


Bonaventura

Bukowski O.P.---

B

~~Fr. Lo. Lisiecki O.P.~~

J. Olsęyko.

TRACTATUS
THEOLOGICUS
DOGMATICO-HISTORICO-
CRITICO-SCHOLASTICUS
DE
FIDE THEOLOGICA
EJUSQUE REGULIS
SPE ET CHARITATE
JUXTA MENTEM
S. THOMÆ ANGELICI
DOCTORIS
PER
R. A. P. F. ALBERTUM KRECZMAN
S. T. *~~PRÆSENTATUM~~*
Regentem Studii Generalis Grodnensis
ORDINIS PRÆDICATORUM
Usibus Scholarum Thomisticarum
ACCOMODATUS.



VILNÆ
TYPIS S. R. M. & REIPUBLICÆ
apud PP. Scholar: Piar: A. D. 1780.

APPROBATIO

THEOLOGORUM ORDINIS.

Tractatum Theologicum Dogmatico, Historico, Critico Scholasticum, qui de fide Theologica, ejusq; regulis, spe & charitate inscribitur, ab eodem Authore R. A. P. S. T. Alberto KRECZMAN Regente Studii Nostri Grodnensis elucubratum attente perlegi, eumq; etiam publica luce donari posse pari ratione ac tractatum de Incarnatione Divina, existimo. Trocis 5. Aprilis 1780. Anno.

Fr: Ignatius HUBCZYNSKI
S. T. Magister Ordinis Prædicat;



Summa cum voluptate perlegi tractatum Theologicum de Virtutibus Theologicis à R. A. P. S. T. Præſentato ALBERTO KRECZMAN conſcriptum; tanta enim ipſum legenti occurrit doctrinæ eruditio, tanta Eccleſiaſticæ hiſtoriæ criſis & dogmatum ubertas, quanta omnium, judicio requiri videbatur ad abſtruſa quæq; explananda ad oſtendendam rei veritatem & ad confutandos quoſcunq; errores. Ea propter eundem judicavi dignum prælo mandari. Vilnæ ad S. Spiritum Anno 1780. Die 18. Aprilis.

Fr: JUSTINUS ROSTKOWSKI *S. T. Præſentatus, Regens Studii Viln: Ordinis Præd.*

mpp:



CENSURA ORDINARIA.

Tractatum Theologicum de Fide Theologica Spe & Charitate &c. Usibus Scholarum Thomiſticarum Accomodatum typis mandari poſſe cenſeo

Datum in Seminario Vilnensi A. D. 1780. 1. Junii.

Gvillelmus KALINSKI C. M. *Juris Naturæ & Historiæ Naturalis Professor.*



IMPRIMATUR.

Datum Vilnæ in Cancellaria Consistoriali Vilnensi Annô Domini 1780. die 2. Mensis Junij.


Petrus Samson TOCZYŁOWSKI *Cantor Prælatus Cath: & Offic: Generalis Vilnensis.*

mpp:



INDEX.

Diſſertationum, Articulorum, Paragraphorum, Confectariorum, & aliorum titulorum, qui in hoc Tractatu de Theologicis Virtutibus continentur.



§ II.

Petes 4.

Articulus II.

§ XII.

Con-

§ I.

rum

§ VI



Pag.	Versus.	Erratta	Corrige.
11.	5	ſcquerentur	ſequeretur.
27.	11.	Loctrinam Dei	doctrinam & voluntatem Dei
29.	2	Eclesiæ comoveret	Ecclesiæ Catholicæ commoveret
35	5	Ecclesiæ quid	Ecclesia eſt quid
39.	27	Habeat	habeant.
53.	26	Viſibilem	Inviſibilem
88	6	Ad Antonium	Ad Antoninum
89	15	Ad ſalulem	Ad ſalutem
95	10	Meclometis	Maehometis.
105	12	Colligentur	Colligantur
110	21	Pachalis	Paschalis
114	12	JnterCorinthos	Inter Corinthios
118	5	& ejus	& jus
127	3	Athorem	Authorem
180	7	Literari	Literali
188	21	Efficaciſſimas	Efficaciſſima
202	14	Doctria	Doctrina
214	27	Contiuetur verbo	Continetur in verbo
227	3	Bulluart	Billuart
228	18	modio	odio
231	8	Mature	Maturo
234	3	universals	universalis
259	5	Cæpha	Cæphæ
299	1	Dico	Dici
308	6	Apollianorum	Apellianorum
343	5	temporalibus in ordine	temporalibus & diſponere de rebus temporalibus in ordine.
367	4	Jmmediaté Deo	Jmmediate à Deo
370	4	ut ſucceſſor	ut eſt ejus ſuccesſor.
371	25	& ſi quidem	& ſiquidem
383	9	ſeu in Apoſtolatus	ſeu ut in Apoſtolatus
383	20	teneant	tenent
390	19	Clemens IV.	Clemens VI.
394	1	non pigueat hic obſervandum obſervare	obſervandum non pigeat hic obſervare

(†)

399 - -	28 -	um - - - -	cum
401 - -	9 -	commſit - -	commiſſt
403 - -	23 -	ſæcuribus - -	ſæcularibus
405 - -	7 -	hanc - - -	hunc
409 - -	9 -	Reliquorum ſedium	Reliquarum ſedium
412 - -	2 -	Rova - - - -	Nova
416 - -	5 -	cogregatorum -	congregatorum
419 - -	12 -	Cæos - - - -	Cælos
419 - -	23	eſſet dicit - - -	eſſe dicit
421 - -	2 -	concilum - -	concilium
424 - -	25 -	Machiæ - - -	Mathiæ
493 - -	1 -	Baptiſm - - -	Baptiſma
- -	item	invaldum - -	invalidum
550 - -	21 -	Dumnantur - -	Damnantur
559 - -	13 -	vicleffista - -	vicleffitas
568 - -	21 -	adiumenta - -	adiutamenta
585 - -	ultimo	- 57 - - - - -	37
6[illegible]7 - -	8 -	dilucuto - - - -	diluculo
6[illegible]3 - -	3 -	ſortitudo - - -	fortitudo
671 - -	14 -	inferebant - - -	inſerebat
689 - -	11 -	in Cælis - - -	in Cælo
712 - -	21 -	inviceni - - -	invicem
735 - -	25 -	Carioſitate - -	Curioſitate
737 - -	20 -	Hinc -	Hic
738 - -	17 -	nequil - - -	nequit
743 - -	16 -	privatam - -	privatamq:
744 - -	23 -	libris - - -	liberis
762 - -	23	nutricuntur - -	nutriuntur
763 - -	1 -	vocibus - -	vicibus



PROEMIUM.

Ecce Chariſſime Diſcipule poſt Diſſertationes de Deo Trino, Creatore viſibilium & inviſibilium; poſt Diſſertationes de gratia Salvatoris, poſt explicatam Oeconomiam ineffabilis Myſterij Incarnationis Verbi Divini, lubens tibi offero Tractatum de Virtutibus Theologicis, eo quidem alacriori animo, quod ipſe nativo quodam, & quaſi hæreditario jure ad te redeat. Hic enim eſt, qui tui causâ jam dudum, ut ita dicam præformatus erat, tibiq; ad calamum datus, hic idem ipſe, cui primam originem, idem progreſſum, & publicam tandem lucem dedit S. Religionis erga te amor.

Et verò cum omnis Theologiæ pars utilis ſit ac neceſſaria, ea certe, quæ de Divina Fide, Spe, ac Charitate agit nulli omnino cedit, & quo ad eruditionem comparandam, mores componendos, Deumq; laudandum & aſſequendum; nam *accedentem ad DEUM credere oportet.* Hebr: 11. Enimvero & quid tot Diſſertationes de Deo rebusq;

Divinis, si ipse non cognoscatur? Quorsum ut plenitudo totius boni prædicabitur? si animus ad illud bonum capessendum, spe non erigatur? Sed quæ erit spei fiducia, si terminum, in quo illo bono fruendum est, charitas non attingat.

In subsidium fidei Theologicæ venire potest Philosophia & ratio, non quidem ut Magistra, ad cujus nutum Religionis dogmata ·definienda sint; sed ut ancilla, quæ dominatrici fidei subserviat, non præsit. Fidei quippe authoritas ut ex se firma est, & inconcussa, nec aliunde, quam à prima Veritate attestante immutabili certitudine donatur, ita è contrario humana ratio nullo lumine fidei illustrata omnino cæca est, præceps ac infirma.

Hinc merito discas rationi quidem locum dare in rebus ad Religionem spectantibus, sed ita tamen ut Authoritas primatum teneat; *Authoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem; ratio ad intellectum, cognitionemq; perducit. Quanquam neq; authoritatem ratio penitus deserit; cum consideratur, cui sit credendum*, ait S. Aug: lib: de Relig:

cap:

cap: 24. Quid verò rationabilius est, quam Deo T. O. M. loquenti assensum suum præbere, captivando interim intellectum in obsequium? ut monet Apostolus.

Accurate ergo distingue fidem a ratione, nec unquam in mentem veniat, fidei veritates rectæ rationi oppositas esse, ut homines increduli dogmatizare solent dicentes: *nihil credendum esse, nisi in ratione probetur fundatum, fidemquè rationi subjiciendam esse.* Hæc ratio, ut fert eorum opinio, est dux una, cujus ductû satis & abunde cognosci potest religio, quæ hominem ad beatitudinem evehere possit. Ita & scribunt & loquuntur Divinæ fidei Adversarij, qui Naturalistarum nomine hac ætate per Europam grassantur; quorum libri eò magis perniciosi sunt, quo se ad speciem, impietatis hostes profitentes, summisq; laudibus rationem, & Religionem imaginariam, quæ parum aut nihil ab Atheismo differt, profiteantur. Post antiquos Fidei Christianæ hostes, *Celsum, Lucianum, Porphyrium* aliosque, noti sunt in hoc impietatis genere *Tyndalus, Collinsius, Wol-*

ſtonus, *Volterus*, *Helvetius*, *Rouſſojus*, aliiq; plurimi, qui dum fidei Divinæ exiſtentiam impugnant, hac ipſa ratione fundamenta ipſa naturalis religionis, cujus alioquin ſeſe vehementes Patronos profitentur, evertunt.

Tibi Author ſum, ut S. THOMÆ Opera diligenter pervolvas, qui jam pluribus ante, materiam hanc pertractaverat, eoq; admirabili & omni exceptione majori ingenii acumine, quo ut *Volfius* alioquin Acatholicus homo ait, in evolvendis, diſcutiendisq; argumentis, vel maximè ſublimibus, excelſisq, præſtabat, prævidit, quidquid jam noſtra ætate in hac materia excogitatum dictumq; fuit; & fieri non poſſe, ut fides adverſetur rationi. Vide lib: 1. contra Gentes cap: 7.





DISSERTATIO I.

DE FIDE THEOLOGICA EJUSQUE ACTIBUS.



Idem olim, qua Christiani suæ Religionis Mysteriis assensum præbebant, irriderunt & nunc irrident Idololatræ, quos Christiani nominetenus sequuntur moderni Pseudo-Philosophi, Naturalistæ, & Atheistæ.

ARTICULUS I.

De natura fidei Theologicæ.

Ne in nominis Ethymologia anceps hæreas, to *fides*, varias *habet* signi-

ficationes in S. literis; 1. fumi folet pro *fidelitate*, quæ eft *virtus præbens conftantiam in fervandis promiffis & conventionibus*, hoc modo fidem fumit Apoft: ad Rom: 3. *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* 2. Pro *Veracitate*, hoc fenfû 1. Apoc: Chriftus appellatur. *Teftis fidelis* 3. Pro *promiffione* fidelitatis objecto. 1. ad Tim: 5. *primam fidem irritam fecerunt* 4. Pro *confcientia*, fic communiter dicitur poffeffor bonæ vel malæ fidei, hoc fenfû dixit Apoft: Rom: 14. *Omne autem, quod non eft ex fide, peccatum eft*; id eft, quod non sit ex confcientia, quâ exiftimatur effe licitum, peccatum eft. 5. *pro gratia* gratis data, 1. Corint: 15. *alteri* (datur) *fides in eodem Spiritu.* Porro talis gratia confiftit in quadam excellenti certitudine circa res fidei Catholicæ, qua homo fit idoneus ad alios in illius doctrina erudiendos. 6. Pro *dono* Spiritûs S. cujus nomine intelligitur actus intellectûs cum fuavitate elicitus, proferens magnam certitudinem de rebus fidei. 7. *Pro fiducia* & in hoc fenfu abutuntur voce *fides* Novatores, dum

ajunt

ajunt homines justificari per fidem, qua confidunt sibi remitti peccata per Christum. Hæc acceptio fidei pro *fiducia* in hoc sensu hæretico rejicienda est; admittenda tamen tanquam effectus fidei, imo & spei; ex eo enim quod Deo credimus, & in eum speramus, concipimus fiduciam in ipsum. 8. Pro *ipsis rebus creditis* sic v. g. Christum incarnatum esse fides est. 9. *Pro habitu*, quo inclinamur ad assentiendum revelatis, vel *pro actu*, quo defacto assensum præbemus Deo revelanti, & hæc est fides Divina seu Theologica. Sic vero hanc fidem definitam legimus. Hebr: 11. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ubi to *argumentum* intellige firmam adhæsionem rebus non apparentibus; quia ut ait S. Thomas, *per authoritatem Divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his quæ non videt.* Unde hæc fidei definitio deducitur: *est habitus supernaturalis intellectui infusus, quo veritatibus à DEO revelatis assensum præstamus.*

Ex his facile intelligis, circa res quales fides Theologica versatur, nempe

pe principaliter circa ipſum Deum; *quia accedentem ad DEUM credere oportet.* Hebr: 11. Sed quoniam hic acceſſus fit per media, proinde fit quoq; conſequens, omnem rem revelatam fidei objectum materiale eſſe. Objectum vero formale *quod* ſive ratio *quæ* fidei eſt Deus, ut in ſe prima veritas eſt excedens rationem naturalem; ratio autem ſub *qua* fidei ſive ratio formalis credendi, idem ipſe Deus eſt ut prima veritas in dicendo, & revelando ea, quæ non apparent. Omnis enim fides innititur authoritati dicentis; ideo enim alicui credimus; non quia eſt juſtus, vel ſapiens, ſed quia verax, conſequenter id, cui innititur fides Chriſtiana, eſt authoritas Dei tanquam veracis, ſeu quod idem, quia eſt prima veritas in dicendo. Unde Chriſtus exigens fidem à Judæis, proponit Dei veritatem in dicendo tanquam motivum: *Qui me miſit verax eſt, & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Joan: 6.

Hic velim advertas, quod in hoc complexo *prima veritas*, ſive *veracitas in dicendo & revelando* duo dicit; nimirum, pri-

primum veracitatem, & *locutionem* sive *revelationem*. Motivum ergo credendi non est exterior locutio & revelatio, sed ipsa Divina veracitas. Quamvis enim non credamus alicui nisi dicenti & revelanti secretum, non tamen ideo credimus, quia loquitur & revelat, sed quia existimamus eum veracem in dictis suis, proinde revelatio se habet ad modum conditionis nobis applicantis veracitatem DEI, & sine qua credere non possemus.

Certum quidem est, quod cum Deus revelat Beatis, quæ per lumen gloriæ non vident, ipsi revelatis assensum præbent eâ solâ ratione, quia Deus revelat, & tamen fides in eis locum non habet, sed id insuper indubitatum est Beatos assentiri revelatis per revelationem claram, eis ostendentem ea, quæ revelantur ad modum, quô Prophetis revelantur clarè multa contingentia. Sic Prophetæ lumine propheticô perfusi videbant Christi passionem futuram, ejusq; circumstantias & quidem clarè; quod autem ille, qui passurus erat, esset Deus, hoc obscuré & per fidem cognoscebant;

bant; ſicq; in illis erat fides, ex ea parte, qua illi ſuberat aliquid æternum, & prophetia ratione temporalis, quod videbatur; Beatis autem nihil eſt obſcurum; nam & temporale eis clarè revelatur, & æternum in Deo revelante per viſionem beatam intuentur clarè.

Habes indé diſcrimen inter revelationem, cui fides innititur, & prophetiam; nam prima eſt obſcura & ænigmatica, quoniam fides non videt, quod credit, proinde intellectus credentis captivatur in obſequium fidei, ex doctrina Apoſtoli. At revelatio prophetica per ſe non petit obſcuritatem, ſed potius claram rei, quam prædicit, viſionem. Ex hoc capite Prophetæ dicuntur *Videntes* in Libris Judicum; & Prophetia ſæpiſſime vocatur *Viſio* in Scripturis. Fit conſequens, in CHRISTO, in quo ratione claræ viſionis beatæ fides non erat, fuiſſe Prophetiam; quia de ratione Prophetiæ eſt quidem ànnuntiare ea, quæ procul ſunt à communi ſenſu vel ſecundum locum, vel ſecundum tempus hominum, quibus prænuntiantur; non tamen, quod ſint procul & obſcura ipſi Prophetæ.

AR-

ARTICULUS II.

De Analysi sive resolutione Fidei Christianæ.

Analyseos sive resolutionis nomine intellige *mentis regressum ad inquirendum motivum, illiusq; determinativum ad assensum.* *vg.* si a te quæratur, unde tibi constat Deum esse trinum? ais, quia Deus, qui verax est, hoc dixit; at quia, potest ulterius quæstio promoveri; unde constat hoc vel illud Deum dixisse? respondebant olim Manichæi, & nunc multi Pseudo-Philosophi, quia hoc rationi congruum est, nunc Lutherani & Calvinistæ, quia Scriptura testatur; alii, quia Ecclesia nos docet.

§ I.

An ultima fidei Divinæ resolutio fiat in humanum ratiocinium?

Ut jam dixi Manichæi apud S. *Augustinum* lib. de Utilitate credendi superstitiosum esse ajebant, fidem ante rationem imperare, hoc ideo, quia nihil credendum esse docuerunt, præterquam id quod ratio suaserit. Hunc errorem adoptatum ab *Abailardo* legimus

in

in Epist. 190. *S. Bernardi, fidem,* ait S. Doctor de Abailardo *definit æstimationem, quasi cuiquè in ea sentire, & loqui, quæ lubeat, liceat.* Horum vestigiis insistunt moderno sæculô plurimi Pseudo-Philosophi, qui Naturalistarum nomine assumpto in illud doctrinæ caput conspirarunt: *nihil esse credendum, nisi in ratione probetur fundatum,* ipsam primam fidei regulam Divinam nempe Scripturam, ajunt, rationi subijciendam esse. Contra hoc hominum incredulorum genus acturi, hic pauca dicemus, plura dabimus in Tractatu de religione revelata. Igitur.

DICO: FIDEI NOSTRÆ RESOLUTIO IN HUMANÆ MENTIS RATIOCINIUM NEC FIT, NEC FIERI POTEST. *Ita fides Catholica.*

Prob: 1. Juxta Scripturam fides Christiana non fundatur in sapientia hominum, dicente Apostolo 1. Corint: 2. *Et prædicatio mea non in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, quam nemo Principum huius sæculi cognovit.* Hinc idem

idem Apoſt: 2. Corint 10. vult eſſe fideles *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*, atqui ſi &c. fides noſtra 1, eſſet fundata in ſapientia hominum 2. importuna & nullatenus neceſſaria eſſet captivitas intellectûs in obſequium Chriſti & fidei, ſi ea tantum crederent fideles, ad quæ credenda ratione naturali moverentur. Proindé Chriſtus laudaturus fidem Petri, qui eum Filium Dei vivi confeſſus fuerat, repoſuit confitenti: *Caro & ſanguis non revelavit tibi* (hoc eſt, hanc veritatem confeſſionis lumine ac naturali ratiociniô intellectûs Petre non es aſſecutus) *ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*. Ergo.

Prob. 2. ex communi conſenſu Patrum miſſis aliis, paucos refero, S. *Auguſtinus* lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap. 2. contra hæreticos disputans tali modo arguit; *Unde igitur exordiar? Ab authoritate an à ratione? Naturæ quidem ordo ſe habet ut cúm aliquid discimus, rationem præcedat authoritas.* Nam ut ait Serm. 51. de Verbis Domini in Editione nova Serm. 139. cap. 1. *Fides enim debet precedere intellectum ut ſit intellectus fidei præmium. Propheta enim*

aper-

apertissimè dixit (*Isaiæ* 7.) *nisi credideritis non intelligetis*. S. Chrysost: Hom: 83. in Math. *Credamus Deo* inquit ---- *etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit, & superet sensum & rationem nostram sermo ipsius*. Idem habet Cyrillus Alexand. libr 4. in Joan. cap. 4. & alii.

Prob. 3. ex absurdis sequelis, Si enim fidei nostræ resolutio in humanæ mentis ratiocinium reduci posset, sequerentur 1. cognitione fidem generari 2. Fidem Divinam infallibilem non esse 3. Mysteria Fidei nihil mysterij habere. 4. Jntellectum creatum fore primam veritatis mensuram; atqui hæ sequelæ sunt absurdæ. Ergo. *Prob. min.* Prima namq; sequela evertit naturam fidei; ubi enim cognitio præcedit, fides locum non habet, ut nôrunt omnes. Secunda patet, quia vis intellectûs humani, quæ foret regula fidei, infallibilis non est ut quotidiana docet experientia. Tertia probatur: Mysterium enim est arcanum & absconditum ab intelligentia communi, quod si comprehendatur, sicut arcanum & absconditum, ita Mysterium esse desinit.

Hinc

Hinc consequens foret opera Dei imo ipsam Divinam naturam ab intellectu humano comprehendi posse, quod est hæresis *Eunomii*. Si autem opera Dei comprehendi possent, sequerentur 1. DEUM supra naturam operari nihil omnino posse 2. Naturam Dei infinitam non fore, quemadmodum intellectus creatus infinitus non est, infinitum enim a finito comprehendi non potest. Quarta sequela manifesta est. Jndubitatum ergo est illud S. *Augustini* monitum Epist. 118. alias 56. ad *Dioscorum* cap. 5. quod fides ducere debet rationem, non ratio fidem: & contrarium docere, ait, hæreticorum omnium quasi regularis ista est temeritas. Ergo.

Obijcies 1. Quodcunq; proponitur ut fide credatur divina, examinandum est, ut prudenter credatur; ergo. *Prob. Ant:* Corde levis est, qui id, quod ad credendum proponitur, non examinat, nam *qui cito credit, levis est corde* Eccl: cap: 19. ergo.

Resp. exponendo textum. Qui cito credit homini, *conc.* DEO *nego*. Literalis

lis ergo ſensus eſt; homini qui falli, & fallere poteſt non eſſe citò credendum, ſed prius explorandum qualitatem perſonæ, quæ loquitur, & teſtatur, Unde Eccleſiaſtico ſermo eſt de fide humana non Divina. Si enim certé conſtat DEUM loqui, qui nec fallere nec falli poteſt, eó prudentius, quò citiús credendum eſt.

Subſumes: Atqui cito credens Deo levis eſt corde: *Prob.* Credens Deo, prudenter aſſentiri debet ejus dictis; ſed ſi citò credit prudenter non aſſentitur eius dictis; ergo.

Prob min. Qui vult prudenter aſsentiri dictis, debet juxta regulam Apoſt: ad Theſſal. 5. *Omnia probare, & quod bonum eſt, tenere;* atqui cito credens omnia non probat ut id, quod bonum eſt, teneat; ergo.

Reſp: exponendo textum. Omnia probare quando proponitur credendum aliquid, quod univerſa ſemper tenuit Eccleſia, & certe conſtat id a Spiritu S. proſiciſci, *nego;* ſecus *Conc.* Contingit enim, quod aliqui ſe Prophetas Dei venditantes plurima ex parte Dei ſe nobis nunti-

nuntiare mentiuntur, præter traditam doctrinam, & ab Ecclesia probatam (ut Novatores facere consveverunt) ab his exigenda sunt prætensæ missionis signa & indicia; contra hos loquitur Apostolus fideles commonefaciendo, quod etiam Joan: in 1. Epist: cap. 4. præstitit dum probare jubet Spiritus, si ex Deo sunt.

Dices: Etiam quando proponitur aliquid, quod universa tenet Ecclesia licet examinare & probare. *Prob.* B. Virgo MARIA mysterium Incarnationis á Synagoga creditum examinavit, & Angeli dicta probavit. Lucæ 1. cogitando *qualis esset ista salutatio.*

Resp. ad prob. dist. ant. examinavit quantum ad ea, quæ sciebat a Deo proficisci; *nego.* quantum ad circumstantias ipsius Nuntii, *conc.* Mysterium Incarnationis B. Virgo cum Synagoga credidit; at prudenter examinavit seriem rei gerendæ, cogitando qualis esset ista salutatio; quia primo aspectû timere poterat, an qui loquebatur, esset verus an ementitus DEI nuntius, quia tam magnum Mysterium in se complendum

nuntiavit. Verum ſtatim ac cognovit verbum Angeli eſſe verbum Dei, abſq; hæſitatione, & ulteriore examine credens, *ecce* inquit, *ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Quare nec citius, nec tardius credidit, quam oportuit.

Inſtabis: Atqui etiam ea, quæ per revelationem à Deo proficiſci ſcimus, rationi debent ſubjici; *Prob:* Etiam ea quæ a Deo per revelationem proficiſci ſcimus ex evidenti ratione credi debent; ergo. *Prob: Ant*: Si enim abſq; evidenti ratione ea, quæ Deus revelat, credi deberent, plura credi poterant contra manifeſtam rationem, excuſandiq; erunt infideles, ſi plura contra rationem credant; ergo.

Reſp: *nego utramq*; *prob*: Nam ea, quæ credenda per fidem proponuntur ſunt quidem ſupra, non contra rationem. Sed ais unde hoc innoteſcit? Inde quod licet demonſtrari non poſſint, oſtendi tamen poteſt, ea rationi non repugnare. Tandem ea eſſe à Deo dicta, & proinde prudentiſſime credibilia motiva credibilitatis evincunt; nihil autem

tem horum habent infideles, quod eos excuſet.

Objic: 2. 1. *Petri* 2. Apoſtolus jubet eſſe paratos ad reddendam rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe, & ideo de ea, quæ in nobis eſt fide. *Confirm:* ex *S. Aug.* qui *lib.* 14. *de Trinit: cap.* 1. docet: rerum naturalium notionem fidem gignere, nutrire, & roborare; ergo.

Reſp: Hujusmodi rationes jubet Petrus à doctoribus fidelium reddi, quæ videlicet cum fidem antecedunt, infideles non trahant, ſed inducant; cum vero ſequuntur, vim fidelibus non afferant, ſed adjiciant robur. Diſciplina namq; Chriſtiana non eſt omni ex parte ſimilis Pythagoricæ, cujus Alumni nulla rationis antecepta informatione, nullaq; omnino reddita cauſa, authoritatem Præceptoris mordicus tenebant. Indoctorum iſta conſvetudo, eaq; Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum, ut cæca & temeraria ſuæ ſectæ dogmata ſine judicio amplectantur; non erudiuntur iſti, ſed quaſi veneficiis & incantationibus in inſaniam agitantur. Nos Chriſtiani habemus, ut jam dixi, & a-

libi plura dicentur, clariſſima motiva credibilitatis, de quibus Apoſtolus & Auguſtinus loquitur; nam propugnat S. Auguſtinus quod rebus naturalibus exploratè perceptis & cognitis ſtatim intelligitur, fidem cum natura nullo modo pugnare, ſed mirifice conſentire. *Vide Canum lib. 12. cap. 5. ad 2.*

CONSECTARIUM

1. Vehementiſſime errare eos ac decipi, qui philoſophicis rationibus Myſteria incomprehenſibilia fidei comprobari, & explicari poſſe effutiunt, quorum e numero comparet *Kekermanus* Dantiſcanus in Siſtemate Theologico cap. 3. Myſterium SS. Trinitatis contra Socinianos naturæ lumine nobis innoteſcere aſſeverans. Quo cum manus junxerunt, quamvis alio ex titulo, Naturaliſtarum turbæ, quia Myſteria nihil Myſterij habere dogmatizant cum impio Spinoſa, aliiſq; ejuſdem furfuris hominibus circa uſum recentis Philoſophiæ in revelatis Myſteriis pertractandis. Hos in ter eminet *Ludovicus* Me-

Mejer medicus, Parens Libri: Philosophia Scripturæ Interpres, ejusq; discipulus Ludovicus *Volsogenius*, uterq; Cartesianus, qui alter asserere non dubitat, tantum abesse cæce credenda esse supernaturalia, ut potius rigorosam expetant demonstrationem.

2dum. Nec tamen existimes fidem adeo esse inimicam rationi, ut ei contraria sit. Fides enim esto sit supra naturalem rationem, eidem tamen nullo modô contrariatur, quoniam verum non contrariatur vero; & quamvis ea, quæ docet, non ratione, sed authoritate dicentis credenda sint; patitur tamen, ut ostendatur, ea naturali rationi non repugnare, & sic argumentô negativo fides ipsa confirmatur. Ita enim se gerunt Catholici Doctores, prius credunt mysteria fidei, & deinde difficultates, quæ occurrunt, examinandas proponunt.

§ II.

An fidei nostræ resolutio ultima fiat in Spiritum discretionis?

Protestantes ultimam fidei resolutionem, tum quò ad propositionem cre-

dendorum, tum quò ad assensum rebus propositis volunt fieri debere in S. Scripturam, quod sic solent explicare; regulam discernendi credenda fide Divina a non credendis, moventem ad assensum vel dissensum esse Spiritum particularem privatumq; quem Spiritum discretionis appellant, sive internum motum Spiritus S. cuilibet fideli assistentis, ut si pio & humili corde ad Scripturæ S. meditationem accedat, errare non possit in discernendo, quid sit credendum, quidvé non. Contra quos.

Dico: Ultima fidei resolutio non fit in Spiritum discretionis, qui cuilibet privato fideli adsit.

Prob: Regula, in quam fiat ultima resolutio fidei est modus regendi Ecclesiam; atqui modus iste regendi Ecclesiam per Spiritum privatum internum est alienus tum à modo, quô Deus se gerit in gubernio mundi, quem regit per Principes & Judices; tum à modo quem Christus pro regimine Ecclesiæ præscripsit, præsertim *Joan:* 11. ubi Petro ter dixit: *pasce agnos, pasce oves meas.* Si enim quilibet ex Christi agnis,

quæ

quælibet ovis in terno Spiritûs S. motû regitur, quid opus eſt, ut exteriùs á Petro in fide & doctrina paſceretur? Ulterius, modus regendi Eccleſiam, eſt modus unitatis & pacis; atqui modus regendi per Spiritum privatum non eſt pacis & unitatis, quinimo confuſionis & contradictionis, ut patet: Lutherus enim contradicit Calvino, Calvinus Luthero, & viciſſim unus alium condemnat, atq; ut hæreticum traducit; & quod plus eſt, nedum Lutheranus Lutherano, verum etiam Lutherus ſibi ipſi, in rebus fidei contrarius eſt; & ut alia mittam, pauca refero, anno 1520. lib: de Captivit: Babyl: docet *Lutherus* duo eſſe Sacramenta, ſi tamen juxta Scripturam loquendum eſt, eſſe unum tantum. Sed *Anno* 1522. in locis communibus Melanchtonis dixit eſſe duo, hoc ipſum *Anno* 1530. affirmavit in Catechiſmo; in Confeſſione 1530. Carolo V. oblata profitebatur eſſe tria; in Lib: de Poteſt: Papæ agnovit ſeptem. Et ſic in aliis multis ludit Lutherus. Vide *Cochlæum*, qui de his integrum volumen conſcripſit, imo de ſola communione ſub

una

una vel utraq; ſpecie, 36. contradictiones invenit *Caſparus* Querhamer Saxo laicus vivente adhuc *Lutherô* editas.

Confirm: In libris Canonicis inveniuntur multi textus ad ſpeciem contrarii, aut explicatû difficiles, qui ex Spiritus privati diſcretione conciliari non poſſunt. Conveniant namq; ſimul in unum Lutheranus, Calviniſta & Catholicus, & in medium proferant hæc verba; *Hoc eſt corpus meum*, quibus Chriſti exiſtentia in Euchariſtia exprimitur; Spiritus privatus Lutherani Chriſtum ibi eſſe per conſubſtantiationem ſive impanationem affirmabit; per figuram adeſſe aſſeret Spiritus Calviniſtæ, Catholicus affirmabit per tranſubſtantiationem; cui credendum? Catholici qui ſenſum Eccleſiæ, quam regit Spiritus S. ſequuntur, concordes ſunt; è contra Novatores, qui Spiritû privato ducuntur, adhuc invicem digladiantur, nec adhuc, quæ ſit vera intelligentia, invenerunt. Tandem peto ab Adverſarijs, unde ſciunt a Deo promiſſum Spiritum S. cuilibet fideli, qui ei ſpecialiter aſſiſtat, ne erret in rebꝰ fidei? Nos ut probemus

mus Spiritum S. assistere Ecclesiæ specialiter, ne erret, inter cætera adferimus verba Christi ad Petrum *Lucæ* 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Si autem Spiritus S. cuilibet fideli præsto est, cur pro solo Petro Christus rogat? Cur cæteri sunt confirmandi per Petrum?

Obji: *1mo*. Spiritus S. regit & dirigit quemq; fidelem; ergo *Prob*: *Ant*: *1. Corint*: 3. quilibet fidelis vocatur templum DEI, quod Spiritus S. inhabitat; ergo.

Resp: *dist*: *prob*: vocatur templum DEI ratione gratiæ, donorum supernaturalium, imo ob præsentiam Spiritus S. inhabitantis, *conc*: ratione infallibilitatis in discernendis & examinandis rebus fidei, *nego*: Hæc enim infallibilitas, hæc discretio promissa est à Christo toti Ecclesiæ, & capiti ejus, non verò unicuiq; personæ in particulari. Unde *Math*: 18. Christus ad Petrum futurum aliquando Ecclesiæ caput dixit: *tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Dices:

Dices: atqui aſſiſtentia Spiritûs S. cuilibet fideli promiſſa eſt in rebus fidei. *Prob:* Math: 10. dicit Chriſtus ad Diſcipulos: *Cum ſteteritis ante Reges & Præſides nolite cogitare* &c. *non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis;* atqui hic eſt aſſiſtentia Spiritus S. cuilibet perſonæ promiſſa; ergo.

Reſp: Ibi ſermonem eſſe de Apoſtolis, quibus ad prædicandum mittendis Spiritus S. ea omnia ſuggeſturus erat, quæ ipſos Chriſtus docuit; unde Apoſtoli non innitebantur privato inſtinctui, tanquam medio credendi, ſed doctrinæ Chriſti, cujus evidentiam credibilitatis per lumen propheticum habebant. Et admiſſô, illud privilegium aſſiſtentiæ Spiritus S. Apoſtolis datum fuiſſe tanquam primis Eccleſiæ columnis, nihil inde concludi poteſt, pro Spiritu privato cujuslibet fidelis, imo contrarium evincitur; nam hi, qui inerrantiæ privilegio præventi erant *Act:* 25. Concilium coegerunt, cui Petrus præſidebat, diſceptationem inſtituunt, ut veritatem eruerent, Paulus

lus Jerosolimam vadit ad conferendum cum Apostolis Evangelium, quod non ab homine didicerat, sed immediate à Christo per revelationem, ne forte in vanum curreret, aut cucurrisset.

Instabis. Qui sunt docti a Domino, non a proximo; qui habent Spiritum unctionis, quo omnia judicent, & ipsi a nemine judicentur, qui habent Spiritum Christi, illi habent spiritum discretionis; atqui hoc contingit in fidelibus, ergo. *Prob: min: 1. Isaiæ* 54. Deus dicit: *ponam universos filios tuos doctos a Domino.* Idem legitur Joan: 6. cap: 2do. Jerem: 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit ultra vir proximum suum.* Idem legitur *cap:* 8. *ad Hebr:* 3tio. Joannes in 1. Epist: cap: 2. hortatur fideles: *maneat* (unctio) *in vobis, & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio docet vos de omnibus.* 4to. Apost: 1. *Corint:* 2. *dicit: Spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur.* Ibidem; 5to. *Nos autem Spiritum Christi habemus*; ergo.

Resp: 1. *Dist: Maj:* Qui sunt &c. illi

ha-

habent Spiritum discretionis in sensu Novatorum *nego*; in sensu Ecclesiæ *concedo*. Patebit ex dicendis.

Resp: 2. Opponendo similes textus *Math*. 13. *vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum*. *Hebr* 5. *Rursus indigetis, ut vos doceamini, quæ sunt elementa exordii sermonum Dei*. Et paulo ante dixit Apost: se habere *grandem sermonem de Melchisedech*, sed illos esse imbecilles ad audiendum. Ex quibus apparet non omnes esse docibiles in sensu Novatorum.

Resp: 3. Citatis locis promitti solum majorem docilitatem fidelibus novi Testamenti, quam fuerit in veteri, ita tamen ut docilitas ista esset juxta ordinem & modum, quem Christus in Ecclesia reliquit, ut essent Pastores & Doctores quidam, qui alios docerent, non autem, ut omnes habeant propriam scientiam & Spiritum; alioquin enim illud planè otiosum esset monitum Apostoli *Act*: 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*.

Resp: 4. ad singula; *ad* 1. & 2. *patet*;

tet: ad 3. Unctio illa, de qua Joannes, non est Spiritus discretionis, quem excogitarunt Novatores, sed fides ipsa ab Apostolis illis tradita, a qua ne excidant, monet, cum ipsa doceat omnia, nec ulterius egent, ut doceantur, quasi diceret; sufficienter docti estis ea, quæ credere debetis, ab Apostolis, nec oportet, ut aliam doctrinam audiatis. Imo si fideles illi Spiritum prætensæ discretionis accepissent, cur ipsos monet solicitè Joannes, ut caveant a falsa doctrina, quam per hunc Spiritum nosse & declinare possent. *Ad 4.* Homo Spiritualis quatenus verè agitur & regitur à Spiritu S. rectè omnia judicat, & dum manet in unctione Spiritus, qui eum docuit, non eget doceri ab alio; sed quis certus est, se semper agere ut Spiritualem, sive agi a Divino Spiritu. Multi se a Divino Spiritu agi putant, qui vel a malo vel proprio aguntur, ut 3. *Regum 22.* legimus. Providè igitur monemur 1. *Joan:* 4. non omni Spiritui credere, sed probare Spiritus, si ex Deo sunt. Igitur si debemus pro-

bare

bare & dijudicare Spiritum, ipſe non poteſt eſſe judex noſter, cum non liceat Judicem judicare. Loquitur ergo Apoſt: de doctrina ſua ſpiritualiter intelligenda, deq; conſideratione rerum ſpiritualium, avertendo intellectum à ſenſualitate animali & carnali; non autem de judicandis rebus fidei, præſertim in particulari; hoc namq; judicium non pertinet ad quemvis fidelem. *Hinc patet ad 5.*

Quæris: Quare ergo *Apoſt: 1. ad Theſſ.* 5. hanc generalem ſtatuit regulam: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Hac enim regulâ docet, quemq; probare poſſe, num illa res ſit fidei, nec ne?

Reſp: Nullo modô hoc intendit Apoſt: ſed ſenſus eſt, ut quis prudenter, & non perperam operetur, præſertim, ſi nondum habet certam & determinatam regulam in operando, eam invenire debet conari, conferendo & examinando omnia; id ſi facerent Novatores, nempe ſi rite omnia conferrent, & examinarent ex quib9 Eccleſia Catholica cognoſci poteſt, ſine dubio me-

meliora reperirent, & ad Ecclesiam, unde exierunt, redirent.

Obji: 2. Illud *Joan*: 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, qui misit me, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo est*, Item *cap*: 10. *Oves vocem meam audiunt & sequuntur me*; ergo.

Resp: ad 1. *textum*. sensum illius esse, quod si quis ab impedimentis sæculi hujus obscurantibus intellectum sese expediverit, facile doctrinam Dei cognoscet, & assequetur; sed modo tamen & via ordinaria, scilicet, ex Doctoribus, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei. *Ad alterum*. Oves Christi vocem ejus audiunt, si eos, quos ille misit audiant, sic enim ipse Dominus docet: *Lucæ* 10. *qui vos audit, me audit*.

§ III.
An resolutio fidei fiat in propositionem Ecclesiæ?

Jam supra dictum, motivum credendi & assentiendi revelatis esse authoritatem & veracitatem Dei revelantis, non Ecclesiæ testimonium seu propositionem.

nem. Hic ergo quæstio solum procedit de motivo, seu regula discernendi quæ sint revelata.

Dico: Resolutio fidei fit in propositionem Ecclesiæ, ut regulam discernendi revelata à non revelatis.

Prob: Hanc assertionem manifeste docet Apost: ad *Ephes*: 4. *ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni ventô doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ex quo sic: Necessario admitti debet generalis regula discernens credenda ab iis, quæ credenda non sunt, ne fideles sint fluctuantes, & circumferantur omni ventô doctrinæ; sed talis regula non est Spiritus discretionis, qui potius Spiritꝰ confusionis dicendus est; sed Ecclesia Catholica, contra quam, nè *portæ* quidem *inferi prævalebunt* Math: 16. *Maj: patet.* Alias Christus sufficienter non providisset suis fidelibus. *Min: prob:* Soli Ecclesiæ specialem assistentiam suam Christus promisit *Math*: 28. *Vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi.* Hanc Ecclesiam vocat Apost: *Columnam & firmamentum veritatis* 1. *ad Timot:*

Timot: 3. De ea *S. Auguſt: ait. Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret authoritas.* Fidem a ſola Eccleſia tradi, & ex omni Scriptura muniri affirmat S. Cyrillus Jeroſol: Hic velim *obſerves.* Cum dicimus Eccleſiam eſſe regulam credendorum, hoc eſt intelligendum juxta legem ordinariam, & reſpective ad omnes fideles; nam Deus ipſe per ſe Angelis viatoribus revelavit Myſteria fidei; ſimiliter primis Parentibus, & Apoſtoli immediatè acceperunt a Deo notitiam credendorum, ut patet ex verbis Chriſti *Math:* 10. *Caro & ſanguis non revelavit tibi* (Petre) *ſed Pater meus.* Et Paulus de ſe ipſo *ad Gal:* 1. *ſcribit: Ego enim non ab homine accepi illud* (Evangelium) *neq; didici, ſed per revelationem JESU Chriſti.*

Obj: in favorem Novatorum. Nos committere circulum vitioſum in fidei noſtræ reſolutione, nam credimus revelationem propter authoritatem Eccleſiæ, & credimus authoritatem Eccleſiæ propter revelationem.

Reſp: 1. Nos credere authoritatem

Ecclesiæ non solum propter revelationem, sed etiam propter notas ipsius Ecclesiæ, & motiva credibilitatis; unde nullus est circulus. 2. Etsi credamus authoritatem Ecclesiæ propter revelationem, non tamen sub eadem ratione, sub qua credimus revelationem propter authoritatem Ecclesiæ, sed sub diversa. Credimus revelationem propter authoritatem Ecclesiæ, ut applicantis & proponentis nobis revelationem; credimus authoritatem Ecclesiæ propter revelationem, seu veracitatem Divinam tanquam motivum formale assensûs, & sic in diverso genere. Causæ enim sunt sibi invicem causæ in diverso genere.

Utraq; responsio familiari exemplo nuntii deferentis regias literas solet explicari. Quando dubitatur de nuntii veracitate, inquiruntur ejus indicia, ubi de illa constat, acceptantur literæ Regis propter veracitatem nuntii; at contentis literarum non creditur propter veracitatem nuntii, sed propter veracitatem Regis; & si in literis Regis asseratur veracitas nuntii, ea firma-

matur & magis creditur propter veracitatem Regis. *Ad casum*: Ecclesia proponit hoc & istud à Deo revelatum, de veracitate & authoritate Ecclesiæ nobis constat ex ejus notis, & motivis credibilitatis, ob quam authoritatem in proponendo infallibilem acceptantur & creduntur hæc esse in Scripturis vel traditione revelata; ipsis autem revelatis sic, credimus propter veracitatem Dei revelantis. Et quia in Scripturis continetur veracitas, & infallibilitas Ecclesiæ, illam ulterius & firmius credimus, propter authoritatem & veracitatem Dei revelantis. Hinc evidens est notitiam veracitatis Ecclesiæ, licet per Scripturam firmetur, ab ea tamen non pendere necessario; nascente enim Ecclesia non erat Scriptura, & tamen nota & certa erat veracitas Ecclesiæ, sed primitus habetur ex notis & motivis credibilitatis, licet per scripturam confirmari non diffiteamur, sicq; ex una parte nullum esse circulum, & ex alia non esse vitiosum, in quo reditur ad idem sub diversa ratione; sicut è contra con-

tingit in Spiritu privato Novatorum; qui dicunt se scire hanc scripturam esse veram, *quia* id ipsis dictat Spiritus privatus; & dicunt se scire, quod habeant Spiritum privatum, quia id dicit Scriptura. Nec.

Inferas certitudinem fidei nostræ esse summam & Divinam; atqui talis non foret, si pendet a veracitate Ecclesiæ, quæ primitùs tantum habetur ex notis & motivis credibilitatis; ergo. Nam.

Resp: *nego min*: Nam Ecclesiæ propositio præcedit solum tanquam præambulum explicans, quid sit revelatum, hoc semel explicatô, & exposito, fidelis intellectus assentitur revelato, non propter Ecclesiam proponentem, id enim est quid extrinsecum assensui fidei, sed propter veracitatem Dei revelantis; sicut supra dictum, assensum præberi literis Regis, non propter veracitatem nuntii, sed Regis.

Quæris cum Ecclesia omnibus proponat revelata, quare ergo unus credit, & non alter?

Resp: Hoc fieri inde, quod 1. plures non

non ſatis attendunt ad notas Eccleſiæ proponentis, & motiva credibilitatis non examinant. Sicut enim in diſcutiendis præambulis, ad notitiam primorum principiorum requiritur aliquod lumen naturale *vg.* dum Magiſter præmittit exempla, paritates, ſuppoſitiones & alia, ut ea diſcipulis exponat; ſic in dijudicandis certò notis Eccleſiæ, & motivis credibilitatis, ultra lumen naturale requiritur aliud ſupernaturale, cujus illuſtrationi, plures claudunt mentis oculos. 2. Quia facta etiam propoſitione revelationis per Eccleſiam, ipſa revelatio & res revelatæ remanent obſcuræ, & ideo requiritur pia motio voluntatis, ut applicet intellectum aſſenſui. Hinc enim factum eſt, quod *Joan:* 12. *Cum tanta ſigna feciſſet* Chriſtus, *coram eis non credebant*, imo Paulum prædicantem reſurrectionem mortuorum, Athenienſium plurimi riſû exceperunt. Quare? quia ut dicitur Deut: *cap:* 29. *non dedit vobis Dominus cor intelligens.* Ex his.

Reſolves difficultatem practicam; quomodo ſalvetur fides in pueris & ru-

dibus? Hi enim plerumq; non credunt propter veracitatem Dei revelantis, neq; hoc Deum revelaſſe, quia Eccleſia proponit, ſed ut plurimum credunt, quia ſic ſunt edocti, vel à Parentibus, Magiſtris &c. vel quia alii credunt ſic.

Reſp: Quod ſi revera ita ſit, eorum fides non eſt Divina, proindè ad id ſedulò attendere debent Parochi, & Confeſſarii; plures enim formulas fidei, ſpei & charitatis, contritionis, exactè recitant ſignificationem terminorum non apprehendentes. Hinc memi-nerint in ſuis inſtructionibus non ſolum exigere a pueris & rudibus formulas fidei, ſed inſiſtere & ſæpius interrogare, cur credant? Idem dic de ſpe, Charitate & contritione, & aliis. Vide Conſtitutionem Benedicti XIV. datam Anno 1742. 7. Februarii quæ incipit: *Etſi minime*.

Petes 1. Utrum revelationes privatæ pertineant ad fidem?

Reſp: Revelationes privatæ, quæ modo fiunt in Eccleſia de rebus ad Deum ut authorem ſupernaturalem ordinatæ per-

pertinent quidem ad fidem, ut eſt virtus Theologica, non ut eſt Catholica.

Ratio 1. P. Quia talis fides teſtimonio DEI revelantis innititur; propoſitio autem Eccleſiæ quid accidentale fidei ut virtutis Theologicæ, ut patet in Angelis, primis Parentibus &c. qui habuerunt fidem Theologicam abſq; propoſitione Eccleſiæ.

Ratio 2. P. Quia fides Catholica, hoc eſt univerſalis, verſatur tantùm circa veritates communes toti Eccleſiæ & per Eccesiam proponendas. Unde ſi DEUS alicui modò revelaret quidquam ſpectans ad Religionem, iſte, cui facta eſſet revelatio, teneretur credere, non alter, quamvis juraret id ſibi eſſe revelatum; quia non proponeretur ab Eccleſia, quæ eſt regula diſcernendi revelata, ut dictum.

Petes 2. Utrum fidei poſsit ſub eſſe falſum?

Reſp. Nec ex parte DEI revelantis, nec ex parte credentis poteſt falſum fidei ſubeſſe, hoc eſt, fides non poteſt inclinare ad aſſenſum falſum, nec illum elicere.

Ratio 1. P. Quia non eſt Deus quaſi homo,

mo, ut mentiatur, neq; ut filius hominis, ut mutetur, Num. 23. Cùm ergo DEUS. nec fallere nec falli posſit, neq; falſum revelare poteſt. *Ratio 2. P.* Cum enim ratio formalis fidei ſit prima veritas in dicendo, quæ ut modo dictum, non poteſt revelare falſum, fieri non poteſt, ut fides inclinet ad aſſenſum falſum, vel illum eliciat.

Petes 3. Utrum obiectum fidei ſit neceſſario obſcurum? Et quomodo obſcuritas ſe habeat ad illud.

Reſp. 1. ad 1. affirm. Quia fides eſt *argumentum non apparentium* Hebr. 11. & ex S. Auguſt: Tract. 40. in Joan: *fides est credere quod non vides.* Nam objectum fidei non poteſt per ſe movere intellectum ad sui cognitionem, cùm non ſit ad inſtar primorum principiorum, quæ ex ipſis terminis innoteſcunt, neq; ad inſtar concluſionis, quæ ex principijs per evidentem conſequentiam deducitur; multó minus quid ſenſibile, quod ſenſibus percipitur; ergo illam obſcuram & inevidentem eſſe oportet.

Reſp.

Resp. 2. *ad* 2*dūm.* Obſcuritas eſt conditio neceſſarió requiſitâ ad fidem. Non enim credo DEUM trinum in perſonis, quia non video, ſed quia DEUS revelavit; ſicut non credo Romam exiſtere, quia non video, ſed quia fide dignus mihi dixit. Obſcuritas ergo et inevidentia requiritur ad fidei obiectum ut conditio neceſſaria omnino. Ad ſolvenda ea, quæ hic opponi poſſunt, *vide Art.* 1. *huius diſſer:*

Petes 4. Utrum ſaltem evidentia in atteſtante ſit compoſſibilis cum fide? Evidentiam in atteſtante intellige evidentiam ipſius revelationis, ita quod mihi clare conſtet, quod ſit à DEO.

Resp. Fidem poſſe compati cum evidentia in atteſtante. *Ratio.* Quia *ut ait S. Thomas hic quæſt.* 5. *Art.* 2. *Si aliquis Propheta prænuntiaret in ſermone Dei aliquid futurum, &c. adhiberet ſignum* (ut Moyſes exhibuit coram Pharaone ſigna varia) *mortuum ſuſcitando; ex hoc ſigno convinceretur ille intellectus videntis, ut cognoſceret manifeſte hæc dici à DEO,*

qui

qui non mentitur, licet illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset, unde per hoc ratio fidei non tolleretur. Hic ergo S. Doctor non loquitur de evidentia credibilitatis, ut quidam interpretantur, sed de ipsa evidentia revelationis in se, quod denotant verba: *hæc dici à DEO &c.*

Petes 5. Utrum Mysteria fidei sunt evidenter credibilia?

Resp. affirm. Constat *ex Psal.* 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Unde Christus *Joan.* 10. *Loquor vobis, & non creditis; Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* De hac materia plura dicentur *in Tract. de Relig.*

ARTICULUS III.

De Articulis & Symbolis fidei.

§ 1.

De Articulis fidei.

Qamvis omnia, quæ in Divino Verbo sive scripto sive tradito continentur, Mysteria, sint fide tenenda, tamen quia propter eorum multitudinem ad cer-

certum numerum reduci commodè non poſſunt, ideo per certos & determinatos articulos diſtingui ſolent; articulus enim *eſt coaptatio multorum, quæ habent connexionem ad invicem, ut ſubſunt eidem rationi formali, & ordinem ad unum dicunt.* Unde credibilia fidei dicuntur per articulos diſtingui, inquantum dividuntur in partes habentes aliquam coaptationem ad invicem, ne oriatur confuſio in intellectu noſtro ex multitudine eorum, ſicq; facilior reddatur inſtructio fidelium; habeatur in omnibus credentibus uniformitas; ac in promptu cuiq; fideli adſit fidei profeſſio contra Hæreticos.

Petes. 1. Quæ credenda conſtituunt ſpecialem articulum fidei ?

Reſp. Ea, quæ habent duas conditiones ſequentes: *prima* eſt, quod principaliter pertineant ad fidem, ut ſunt illa quorum viſione beati erimus in Cœlo, & per quæ ad illam beatitudinem perducimur: *ſecunda*: quod habeat aliquam ſpecialem difficultatem ad credendum. Hinc, quod Filius DEI ſit mortuus, & quod reſurrexit, duo

ſunt Articuli, eo quod utrumq; diſtinctam difficultatem ad credendum afferat; quod autem ſit paſſus, mortuus & ſepultus, unus eſt articulus; quia hæc eandem difficultatem includunt. Unde Articulus fidei definiri poteſt: *Propoſitio Catholica primario ad fidem pertinens, & ſpecialem habens difficultatem ad credendum*.

Petes 2dò. An fidei articuli ſecundum ſuccesſionem temporis creverint?

Resp. 1. Non creviſſe quoad ſubſtantiam. Quia illa ſolum ſunt de fide, quæ ſunt in ſacra Scriptura revelata, vel talia ſunt per traditionem Divinam, quæ autem in ſcriptura continentur, ſemper ſunt eadem, nec licitum fuit aliquid addere ſcripturæ; quæ veró emanaverunt ab ore Dei & Chriſti, & quæ cognoſcuntur per traditionem, ſicut Paulus narrat de inſtitutione Euchariſtiæ. 1. *Corint:* 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS in qua nocte tradebatur &c.* ſunt etiam eadem, nec licet in eis aliquid addendo innovare; ergo fidei articuli quoad ſubſtantiam

non

non creverunt. Unde ait *S. August. in Psal* 50. *Tempora variata sunt, non fides.* *Epist.* 109. *ad Optatum idem S. D. dicit: Eadem namq; fides est & nostra & eorum, quoniam illi hoc crediderunt futurum, quod nos credimus factum.*

Resp. 2*do*. Articulos fidei crevisse quoad explicationem; tum quia ut ait S. *Thomas* hic, omnia in figuris contingebant in veteri testamento, quod erat teste Apostolô umbra futurorum. Unde Mysterium vg. SS. TRINITATIS & INCARNATIONIS solum adumbratum, debuit explicité in novo Testamento exponi & proponi; tum quia propter hæreses etiam vel in ipso novo Testamento opus fuit explicare fidem, ne fideles incaute impingerent in errorem; unde consubstantialitas Filij explicata est in Concilio Nicæno I. contra Arianos, consubstantialitas Spiritus S. in Concilio I. Constantinopolitano contra Macedonianos &c.

Petes 3. Qui sunt articuli Fidei ?

Resp: S. Thomas hic art: 8. 14. Articulos fidei in Symbolo contentos explicando enumerat hoc ratiociniô: Ea

quæ

quæ pertinent ad fidem, vel nos beatos reddunt, & ſunt occulta Myſteria Divinitatis; vel nos ad finem beatum conducunt, & eſt Myſterium Incarnationis. Porro circa Maieſtatem Divinam tria nobis credenda proponuntur; *1mo.* Unitas Divinitatis, hic primus eſt articulus. *2do.* Trinitas Perſonarum, hic habes tres articulos ſecundum tres Perſonas, proinde quatuor articulos. *3tio.* proponuntur nobis opera Divinitati propria, quorum primum pertinet ad eſſe naturæ, & ſic nobis proponitur articulus creationis; en habes quinq; articulos; ſecundum verò ſpectat ad gratiam, et ſic proponuntur nobis ſub uno articulo, omnia pertinentia ad noſtram iuſtificationem, habes ſex articulos. Tertium pertinet ad eſſe gloriæ, ſic nobis proponitur articulus de reſurrectione mortuorum, habes ſeptem articulos. Similiter circa humanitatem Chriſti ponuntur articuli ſeptem, quorum primus de Conceptione Chriſti; ſecundus de Nativitate Eius; tertius de paſſione eiuſdem, morte, & ſepultura; quartus de deſcenſu ad inferos; quintus de reſur-

ſurrectione; ſextus de aſcenſione; ſeptimus de adventu ad iudicium. Alii articuli fidei reducuntur ad iſtos; ſic *v. g.* articulus Euchariſtiæ ut eſt Sacramentum ſanctificans, reducitur ad effectus Incarnationis; & ut eſt miraculoſa, ad Omnipotentiam Dominicam ait *S. Thomas* hic art: 8. ad 6. Qui vero 12. articulos numerant tres articulos de tribus perſonis ſub uno comprehendunt, & articulum glorificationis in duos diſtingvunt, unum de reſurrectione carnis, alterum de glorificatione animæ. Similiter ex parte humanitatis duos articulos Conceptionis & Nativitatis ſub uno comprehendunt. Hunc numerum ſtatuit Catechiſmus Romanus ſive Concilii Trid:

CONSECTARIUM.

1. Dum Eccleſia aliquid definit, ut fide tenendum, novam revelationem a Deo non accipit, alias ſi acciperet, in condendis definitionibus non foret neceſſe tanto ſtudio perquirere revelationes factas in Scripturis, contentas in traditionibus ac in com-

muni Patrum intelligentia; nec in illo casu loqueretur a seipsa, sed Deus per ipsam tanquam per instrumentum, quomodo locutus est per Prophetas; sed Ecclesia revelationem olim factam proponit, non quidem authoritate, quam habet a sanctitate, virtute & eruditione fidelium, quæ *humana* dici solet; sed authoritate, quam habet infallibili assistentia Spiritus S. ex quo privilegio in propositione credendorum ab omni errore immunis dirigitur à Spiritu Sancto.

2dum. Articuli implicite propositi, tunc credebantur solum implicite, ut primum vero Ecclesia eos explicavit, & explicatos proposuit, obligatio fuit eos credere explicite, alias notam hæreseos incurrisset, & modo incurreret discredens. Sic v. g. ante definitionem Stephani I. Pontificis ii, qui tenebant baptisma ab hæreticis collatum verbis Christi non valere, errabant quidem, sed non erant hæretici; tales tamen fuerunt qui hunc errorem spargebant post Ecclesiæ decisionem, quæ non est quidem articuli alicuius innovatio, sed explicatio, expositio, & determinatio.

§.

§ II.
De Symbolis fidei.

Nomine Symboli venit: *credendorum summa in brevem & facilem methodum reductorum ad instructionem rudium.* Eô enim scopô condita sunt Symbola, ut fideles facilius animo teneant credenda, & præ oculis habeant fidei regulam, ne astutiâ hominum circumferantur omni ventô doctrinæ. Symbolum enim est signum seu tessera, qua distingvuntur fideles ab infidelibus.

Petes 1mo. Quot sunt Symbola Ecclesiæ?

Resp: Celebriora Symbola quatuor esse. Primum est *Apostolorum* ab Apostolis editum, non scriptô sed de ore in os traditum. Secundum *Nicænum* in I. Concilio generali Nicææ editum a 318. Patribus contra Arii blasphemias. Tertium *Constantinopolitanum* contra Eunomianos & Macedonianos, quorum primi Spiritum S. alienum esse a Patre, nec a Patre immediate procedere asserebant, sed solum remoté, sicut nepos ab avo; secundi verò una cum primis

Spiritus S. divinitatem negabant, ideo noluerunt Eum cum Patre esse adorandum.

Hic observa quia tunc temporis nemo hæreticorum negabat Spiritum S. procedere a Filio, sed solum de processione a Patre erat quæstio, nihil de hac re Patres exprimendum putaverunt. Quando autem hæc vox *Filioq;* addita fuerit Symbolo, habes in Tractatu de Sanctissima Trinitate. Quartum tandem Symbolum est; quod nomine S. *Athanasii* circumfertur, ab Ecclesia receptum.

Petes 2*do*. Quis est tenor Symboli Nicæni?

Resp: Sequentis est tenoris: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, nec non invisibilium factorem. Et in unum Dominum JESUM Christum Filium Dei unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; DEUM de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de DEO vero, natum non creatum,* homousion, *hoc est eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt cœlestia & terrena. Qui propter nos homines & propter nostram*

salu-

salutem, descendit, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, venturus inde, judicaturus vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat tempus, quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat, & quia nullis existentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse trepton, *hoc est convertibilem aut mutabilem filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* Symboli Constantinopolitani idem est tenor, excepto quod pauca sint mutata, & ea, quæ Divinitatem Spiritûs Sancti profitentur, sint addita, proinde sæpe apud Scriptores utrumq; pro uno sumitur, & est illud quod in Missa legitur & canitur.

Observat autem S. *Thomas* quod quia Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum est explicativum Symboli Apostolorum, & fuit conditum fide iam manifestata, & Ecclesiâ pacem habente; ideo publicé cantatur in Missa; Symbolum autem Apostolorum, quia tempore persecutionis editum fuit, fidè nondum publicata, occulté dicitur in precibus

Canonicis, quaſi contra tenebras errorum præteritorum & futurorum.

DIGRESSIO CRITICA I.

Utrum Symbolum, quod Apoſtolicum dicitur, Apoſtolos Authores habeat?

Gerardus *Voſſius* libro de tribus Symbolis diſſert: 1. negat ab Apoſtolis editum, ſed ſolum eo nomine dici tale, quia Apoſtolicæ doctrinæ compendium eſt, ac præ aliis gaudet verbis Apoſtolorum & Evangeliſtarum; ante Voſſium *Calvinus* lib: 2. Inſtitutionum cap: 16. indicavit ſe non agnoſcere Apoſtolos huius Symboli Authores. Calvinum Magiſtrum ſecutus *Chamerius* lib: 9. de can: cap: 10. *Eſſe ab Apoſtolis Symbolum ſic compoſitum, ſi non eſt falſum, certo quod proximum falſo eſſe, nemo negat, incertum eſt.* Eraſmus, *quod an ab Apoſtolis proditum ſit?* dicit ſe neſcire in Præfat: Paraphraſis S. Mathæi.

Dico: Symbolum quod Apoſtolicum dicitur Apoſtolos Authores habet.

Prob: Quod ex traditione habemus id firmiter tenendum eſt; atqui ex traditione, eaq; non interrupta habemus

Sym-

Symbolum, quod Apoſtolicum dicitur, ab eis promanaſſe; ergo. *Prob: min:* S Jrenæus ſæculi II. Scriptor lib: 1. contra hæreſes: *Eccleſia enim,* inquit *per univerſum orbem uſq; ad fines terræ ſeminata & ab Apoſtolis, & a Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum DEUM Patrem omnipotentem.* Tertullianus Sæculo II. lib: de Præſcrib: cap: 37. ait: *In ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit.* Porro per regulam intelligit Symbolum Apoſtolicum, ut conſtat ex libro de velandis Virginibus cap: 1. *Regula,* ait, *fidei una omnino eſt ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unum Deum omnipotentem, mundi Conditorem, & in Filium eius JESUM &c.* Idem teſtantur ſequentium ſæculorum ſcriptores, ut *Lucifer* Calaritanus lib: 2. - - - - - - ubi hoc Symbolum appellat *formam diſciplinæ, & regulam fidei* per Apoſtolos traditam S. Ambroſius Epiſt: 7. ad Siricium Pontif: M. *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Cæleſtinus 1. Pontif: M. in Epiſt:

 ad

ad Nestorium vocat *Symbolum ab Apostolis traditum*, S. Leo Epist: 13. ad Pulcheriam, Concilium Ephesinum in Relatione ad Theodosium, S. Maximus Homilia de Traditione Symboli. Non potest autem congruenter ab *Apostolis traditum* dici, nisi reipsa illud ediderint. Sed & illud reipsa ab illis *editum*, *collectumq;* aperte testatur S. Leo iam citatus. *Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem signata est sententiis.* Cassianus lib: 6. de Incarn: cap: 3. & 4. S. Isidorus Hispal: lib: 2. de Eccl: Officiis cap: 22. Rufinus in Expositione Symboli, quorum sententias vide apud *Natalem* Alexandrum *Tom: 3. Historiae Dissert: 12.*

Confirmat assertionem Regula ab Augustino tradita lib: 4. de Bapti: cap: 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur;* atqui à nullo Concilio aut Pontifice hoc Symbolum editum fatentur Adversarii ergo.

Obiicies 1mo. Si Symbolum hoc Apostolos haberet authores, non ipsi in Epi-

Epiſtolis, nec B. Lucas in Actibus Apoſtolicis tanti rem momenti ignorare ſiviſſent Eccleſiam Catholicam; atqui Apoſtolorum nemo, nec B. Lucas Symboli meminit; ergo.

Reſp: nego mai: Multa enim alia ſunt ab Apoſtolis facta, quorum nec S. Lucas, nec ullus Apoſtolorum meminit. Aliunde argumentum inficiale nullius eſt ponderis, niſi poſitiva habeat adiuncta momenta. *Vel d ſt: mai:* S. Lucas aut allii Apoſtoli eius meminiſſent, ſi ſcripto traditum eſſet ab Apoſtolis, *concedo*, ſi pertineat ad Traditiones non ſcriptas *nego*. Porro Symbolum ad Traditiones non ſcriptas refertur. *Symbolum* ait Hieron: Epiſt: 61. ad Pamachium, *fidei & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, aut atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

Dicit Baſnagius. Si Symbolum Apoſtolorum eſſet fætus, in Scripturarum Canonem referretur; atqui non; ergo. Si.

Reſp: cum Natali. Symbolum non quidem ſcripſiſſe Apoſtolos per ſe, ſed brevem illam fidei formulam, de qua inter ſe convenerant, Diſcipulos viva voce

docui-

docuisse, a quibus vicissim quasi per manus ad posteros transiit.

Instat idem. Sed nec Epistolas quanquam Canoni insertas per se scripserunt Apostoli, sic vg. Epistolam ad Ephesios *Tychicus* excepit; ad Romanos *Phœbes &c.* Ergo.

Resp: cum Illust: *Mansi:* dist: Nec Epistolas perse fcripserunt, at dictarunt tamen, & quidem eo fine, ut in scripto traderentur Ecclesiæ, *concedo*, secus, *nego*. Epistolas proinde dictarunt Apostoli, ut in Scripturam redactæ servarentur, in publicis cætibus identidem legendæ ad solamen & eruditionem fidelium; Symbolum vero dictarunt, ut memoriæ mandaretur, quo de fide interrogati fideles haberent in promptu, quid responderent.

Pergit Basnagius Si Apostolos Authores haberet Symbolum, dogmata fidei omnia contineret, tum ea, quæ præsentes; tum ea quæ futuros Hæreticos arguere possent, atqui non, cum contractum sit, & pauca contineat; ergo.

Resp: Mentem Apostolorum fuisse summa fidei capita in Symbolo comple-

plecti, id proinde omnino curârunt, ut brevissimam formulam conficerent, ne vulgarium hominum mentem prolixitate fatigarent. Eo consiliô dogmata alia, quæ scitu maxime necessaria tunc iudicabant, claré explicarunt, alia subobscure tantum & implicite in potestate Ecclesiæ relinquentes, ut cum necessitas exposceret, ea ipsa exponeret.

Urget heterodoxus. Si hæc formula revera Apostolis tribuenda foret, nunquam permisisset Ecclesia, ut ex illa voces aliquæ subducerentur aliæ pro aliis substituerentur, quin & aliæ ab ea diversæ, ut est Nicæno-Constantinopolitana, & S. Athanasii, cuderentur; atqui tamen hæc omnia facta esse negare nemo potest; ergo. *Maiorem* manifestam esse triumphat, ex eo quod diversimode in diversis Ecclesiis legeretur: nam in vulgari solum legitur: *Credo in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli & terræ;* Symbolum orientale habet *unum:* in Aquileiensi & Romano, *Creatorem cœli & terræ* omittuntur, nam post *Omnipotentem* additur *visibilem & impassibilem,* & sic in aliis multis.

Resp:

Resp: dist: maj: Ex illa vocum subductione & substitutione solum colligitur, quod Ecclesiæ Symbolum integrum non habebant, *concedo*; quod Apostoli authores eius non sint, *nego*. Nec mirum, quod enim ex traditione habetur, non cito, sed solum successione temporis habetur, maxime ubi de multis agitur. Porro in sola Ecclesia Romana habetur eo ordine, iis sententiis, & iisdem plane verbis, quibus est ab Apostolis traditum. Rationem dat *Rufinus* in Explicatione Symboli, quia nullæ hæreses é Roma eruperunt, & ideo majori explicatione non indiguit. Quemadmodum enim Symbolo a Nicænis Patribus condito, addi aliquid Constantinopolitanis Patribus visum est, quod id tunc expedire judicaverint ad hæreses retundendas; ita pariter committi a nonnullis potuit, ut Apostolico Symbolo aliquid adderent, vel detraherent, prout commodum rei præsenti, & opportunum ducebant.

Ad id quod addit *Basnagius* de diversis Symbolis; Alias quidem fidei formulas Ecclesia probavit, non rejiciendo Apo-

Apoſtolicam tanquam minus aptam, ſed quod opportunum duxerit, fidem Divinitatis & Incarnationis JESU Chriſti, nec non de Spiritu S. adverſus novas hæreſes paulò latius explicare.

At ait: Quô iure Apoſtolicæ Inſtitutionis formulæ Conſtantinopolitana prælata eſt in Miſſis?

Reſp: Ideo forte, quod circa tempora Synodi II. generalis mos obtinere cæperit, ut in Miſſis Symbolum recitaretur; tunc verò ad rem præſentem magis opportuna judicata eſt formula Conſtantinopolitana ad reprimendos Arianos, Eunomianos, Photinianos, & Macedonianos tunc graſſantes.

Inſiſtit heterodoxus Criticus. Hoc Symbolum inſtitutionis Apoſtolicæ non eſſe, quod vocem: *Catholicam Eccleſiam* includat, cum ſupponatur a nobis conditum eſſe, antequam Apoſtoli in diverſas Provincias ſeceſſiſſent; quo tempore Eccleſia Catholica non fuit.

Reſpondenti Natali illam voculam poſtea forte adiectam eſſe, cum iam fides latè diffuſa nomen *Catholicæ* iure ſibi vendicaret; regerit *Baſnagius*, id qui-

quidem factum admittens, sed ex adiectione ista colligit Symbolum Apostolicæ institutionis esse non posse, quia ait irreligiosum duxissent illi veteres fideles aliquid addere formulæ Apostolicæ. At.

Resp: Nulla hic irreligiositatis occasio occurrit, cum irreligiose se non gesserint erga Moysis libros antiqui fideles sive *Esdras* sive *Josue* sive alius quisquam, quos tamen voculas aliquas a primævo Authore alienas induxisse, manifestè constat.

Objicies 2. In Symbolo quod Tertullianus repræsentat non habentur capita de Christi descensu ad inferos, de Spiritu S. &c. Ergo non fuit eodem modo traditum Ecclesiis, proinde Apostolicum non est. *Ant:* patet ex libri *de velandis Virginibus* cap: 1. Libr: de Præscrip. Et lib: contra Praxeam cap: 2.

Resp: Tertullianum non enumerare omnes Symboli Articulos traditos ab Apostolis, sed solum eos, qui illi argumenta suppeditabant adversus hæreticos tunc grassantes. nempe Praxe-

xeam, Valentinianos, Marcionitas, Appellitas. Alias responsiones lege apud *Natalem* jam citatum.

Petes 1. An Apostoli ita Symbolum ediderint, ut suum unusquisq; illorum, Articulum seorsim ac distincte protulerit.

Resp: *negativè*. Sed omnes in communè contulerunt, & in eandem cujusq; articuli sententiam conspirarunt. Nam Jacobus Frater Joannis, cui tribuunt adversæ sententiæ Patroni articulum numero 3. *Et in JESUM Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum*, antequam Apostoli Symbolum conderent, Martyrio sublatus fuerat, *Act*: 12. Insuper momenta, quibus pars adversa nititur, spuria sunt. Nam Epistola Clementis ad Jacóbum Fratrem Domini reipsa Clementis non est, ut consentiunt Critici, cum in ea S. Petri obitûs mentio fiat, qui non nisi aliquot annis post Jacobum illum occubuit. Idem dic de Serm: 115. S. Augustini de *Tempore*, ubi singuli Apostoli singulas sententias proferentes referuntur, ille enim Sermo S. Augu-

ſtini non eſt, & cujuscunq; authoris eſt, certe vitiatum & interpolatum eſſe multis oſtendit *Natalis Diſſert:* 12. Sæculi 1.

Petes 2. Quis & qualis fuerit hujus Symboli Apoſtolici uſus in Eccleſia jam tum a primis Sæculis?

Reſpondet Serry ad annum 325. quô Symbolum Nicænum conditum eſt, Symbolum Apoſtolicum Catechumenis addiſcendum tradebatur, atq; ita in ea fidei profeſſione Eccleſia generatim baptizabat; at veró ut cæpit Nicænum Symbolum in uſu eſſe, maxime auctum a Patribus Conſtantinopolitanis, non una omnium Eccleſiarum fuit diſciplina. Orientales miſſo Symbolô Apoſtolico Nicænum tradebant Catechumenis, atq; in illius profeſſione baptizabant. Imo hoc ſolum quotidiano in uſu habuiſſe Orientales, teſtis eſt S. *Baſilius* Seleucienſis Epiſcopus in Epiſtola Synodica ad Leonem Auguſtum. *Ubique*, ait, *hoc ſolum circumfertur & prædicatur*, nempe Nicæno-Conſtantinopolitanum. In occidentali Eccleſia a primis temporibus,

te-

teſte S. Auguſtino, Rufino & aliis, ad hæc tempora, Apoſtolicum Catechumenis traditur, exceptis Eccleſiis Hiſpaniarum, quæ ex Decreto Concilii Toletani III. morem Græcorum ſecutæ ſunt, ut contra Gothos, & Vandalos Arianos, Hiſpaniam infeſtantes haberent teſſeram clarioris ſive magis explicatæ fidei, quæ Nicæno Symbolo continetur.

CONSECTARIUM.

Errat ergo *Baſnagius* perſvaſus II. vel III. Eccleſiæ ſæculo in acceptis referri debere Symbolum Apoſtolici nomine inſignitum, ſed breve & conciſum, auctum deinde, ut ipſe exiſtimat, novis acceſſionibus, adverſus ſubinde hæreſes inſurgentes. Ita ait Criticus heterodoxus *Carpocrati* mortuorum ad vitam revocationem neganti, oppoſitum illud dicit: *Carnis reſurrectionem*; Donatiſtis alterum: *Eccleſiam Catholicam* & illud *Sanctorum communionem*. Hæc utiq; tam facile a Baſnagio excogitari potuerunt, quam probari difficile. Quis enim II. vel III. Sæculi Scriptor tan-

ta valuerit authoritate, ut conditam a ſe fidei formulam per univerſam Eccleſiam approbaret, atq; admitti cogeret? Id utiq; vix factum admitteremus; factum vero de Symbolo, ut in omnibus Orientis & Occidentis Eccleſiis idem omnino recitaretur, niſi quod alicubi voculæ tantummodo quædam variabant Rufino teſte. Nullum ſive Concilium ſive Decretum Romani Pontificis deſignatum eſt ab antiquis, cujus authoritate id traderetur Eccleſiis per orbem diſperſis. Si vero publica authoritas abſuit, nulla ſatis congrua ratio ſuccurrit, ut tanta concordiâ reciperetur ab omnibus, niſi quod ab Apoſtolis eſſet. Sed ait *Baſnagius*: Symboli hujus dilatandi cauſam fuiſſe, quod authores licet alios haberet, ab Apoſtolis doctrinam tamen contineret plane Apoſtolicam. At nunquid ut fidei formulam, Apoſtolicam doctrinam continentem, conderent, adjutorio alicujus privati Theologi opus habuerunt, nempe per orbem diſperſæ Eccleſiæ, ſive in eo omnes conveniſſe credemus, ut à privato conditam eandem admitterent?

S. Gregorii vulgo Thaumaturgi capita fidei, vel Symbolum nihil non de fide purum continebat, acceptum insuper â B. Virgine per visum illi apparente noverant plurimi, nihilo tamen secius ad alias Ecclesias, si forte pervenit, certò tamen â nullo fidelibus sibi subjectis traditum legimus, utcunq; Apostolicam doctrinam continere judicaretur. Maneat ergo firmum Symbolum Apostolicum & doctrina & authoritate tale esse.

At supra ajebat Basnagius Symbolum illud primò brevissimum fuisse, postea exurgentes hæreses occasionem dedisse alia addendi. Sic dicit vox *Catholica*, Donatistis mentientibus in solius Donati partibus, hoc est, in Affricæ certis oris veram Ecclesiam Christi permansisse, opposita est, quæ vox Rufini ætate in Symbolum Ecclesiæ Aquilejensis nondum irrepserat, cum ejus non meminerint in *Expositione Symboli.* Fallitur imo potius falli vult Criticus Acatholicus, hanc enim voculam in Symbolo noverat Rufinus, quanquam eam latius non explanaverit;

ita enim ille: *Sequitur* (in Symbolo) *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* In hoc ipso verò Opusculo tradit Rufinus, Symbolum in Ecclesia Romana servatum additamenti nihil admisisse unquam, quod nullæ ibi hæreses exortæ sunt, ex quo sit consequens vocem *Catholicam*, quam pariter retinebat Romanum Symbolum, nec adscititiam fuisse, neq; contra Donatistas tunc recens natos appositam, alioquin hanc additionem notasset *Rufinus*, notasset etiam *S. Augustinus*, qui de hac voce sæpius agit contra Donatistas. Sed nec inde colligere potest Basnagius vocem *Catholicam* adjectam esse, quod eo tempore, quo nos dicimus Symbolum ab Apostolis editum, Ecclesia *Catholica* hoc est *Universalis* non fuerit, utpote coarctata Palestinæ finibus; nam etiam tunc Ecclesia *Catholica* vocari poterat, non quidem actuali universalitate, sed universalitate a Christo promissa, decreta, & præcepta. Cum Christus Apostolis præcepisset *Marci* 15. Ut *euntes in mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ*, atq; ita Ecclesiam

in

in universum mundum extenderent; universalem etiam Ecclesiam dicere potuerunt, universalitate dogmatum atq; doctrinæ, quod ea omnia doceat Ecclesia, quæ sunt homini necessaria ad salutem. Aut etiam universalem universalitate temporum, quod sit Ecclesia in omne ævum duratura, dicente Christo; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi* Math: 28. Potuerunt ergo Apostoli edito Symbolô *Ecclesiam Catholicam* dicere.

DIGRESSIO CRITICA II.

De Symbolo Athanasii.

Dico 1. Probabile est Symbolum sub nomine S. Athanasii quod circumfertur, genuinum esse ejus opus.

Prob: assertio ex authoritate. 1mo. Nam Gregorius Nazianzenus, in oratione de Laudibus S. Athanasii dicit scripsisse egregiam fidei professionem, quam Ecclesia Orientalis & Occidentalis veneratur. *2do.* S. Augustinus testibus Baronio & Bellarmino in Enarr: super Psal: 120. totam periodum hujus Sym-

boli ſub nomine S. Athanaſii laudat. *3tio.* S. Hilarius in Fragmentis S. Athanaſio illud tribuit. *4to.* Concilium Toletanum ex hoc Symbolo nonnulla recitat. *5to.* Synodus Auguſtodunenſis illud ſub nomine S. Athanaſii laudat. *6to.* Gregorius IX. Pontifex, & Eugenius IV. ut genuinum veneratur. *7mo.* Suffragatur S. Thomas hic quæſt: 1. Art: 10. Ergo.

Dico 2. Probabile eſt etiam Symbolum quod dicitur S. Athanaſii non eſſe genuinum ejus opus. *Ita recentiores critici, qui aſſertionem ſequentibus ſtabilire conantur.*

1mò: Demonſtrationis loco eſſe poteſt altiſſimum veterum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſilentium, nemo enim Athanaſio ſuppar aut coævus ſymboli meminit; non *Nazianzenus* in oratione de Laudibus ejus; non *Cyrillus*, aut Patres Epheſini contra Neſtorium; non *S. Ivo*; non *Concilium Calcedonenſe* contra Eutychianos, in quo tamen ſymbolo Neſtorianiſmus & Eutychianiſmus apertis terminis damnantur. His adde ſilentium Latinorum contra Græ-

Græcos poſt Photii Schiſma de Proceſſione Spiritus S. diſputantium uſq; ad Gregorii IX. tempora. 2do. Repugnat ratio temporis, quò minus Symbolum hoc S. Athanaſio tribuatur; eſt enim editum eo tempore, quo Hæreſis Neſtoriana & Eutychiana emerſerunt, ut patet ex terminis Symboli; illæ autem hæreſes plurimis annis poſt tempora S. Athanaſii ſunt enatæ. 3tio. Ipſe Athanaſius in Epiſt: ad Antioch: abhorret ab omni alio Symbolo condendo, contentus formulâ Nicæna. 4to. Stylus & nativus Sermonis contextus non eſt Græci hominis. 5to. Non concordant primæ ſententiæ Patroni quô tempore, & qua occaſione S. Athanaſius illud ediderit. Ergo.

Ad Probationes primæ aſſertionis reſpondent Patroni alterius aſſertionis, & quidem.

Ad 1mum. Negant S. Gregorium loqui de Symbolo S. Athanaſii, ſed fuiſſe Synodicam Epiſtolam nomine ſuo & Epiſcoporum Ægypti, quæ & Nicænum Symbolum, & alia nonnulla ad

Pneumatomachorum hæresim oppugnandam documenta continebat.

Ad 2dum. Negant S. Augustinum ex nomine S. Athanasii periodum citare; absolute enim loquitur: *Alius autem est ille sol, non factus, sed genitus, per quem facta sunt omnia.*

Ad 3tium. Hæc additamenta in fine Fragmentorum non esse S. Hilarii collectanea, sed alterius, unde nec habentur in antiquis codicibus.

Ad 4tum. Synodus illa anno 630. habita est, quo tempore a Scriptore Latino Symbolum istud jam editum fuisse concedunt. Aliunde Synodus nullum Authorem indigitat, ex quo verba mutuata sunt; forte Author Symboli verba Concilii propria sibi fecit.

Ad 5tum. Hæc Synodus posterior fuit Toletanâ nam Anno 670. habita.

Ad 6tum. In hoc duo distinguunt, unum juris & fidei, alterum facti & criticæ. Juris, fideiq; quæstio est, num Symbolum illud puram Catholicæ Religionis doctrinam complectatur. Facti scientiæq; criticæ, controversia est, num ab ipso Athanasio, vel

vel alio Scriptore fuit elaboratum. Quæstio prima facile dirimitur authoritate Gregorii IX. & Eugenii IV. qui Symbolum illud Græcis & Armenis tradiderunt, ex hoc enim colligitur puram & integram esse illam fidei professionem. Quæstio altera quæ solum est facti, sitne ab Athanasio editum Symbolum? non proinde præfatorum Pontificum authoritate resolvitur, etsi Athanasii nomen præferat; quia de ea tituli præfixione (cum hæc nec ad fidei dogma, nec ad disciplinæ regulam ullo modo pertineat) nulla Ecclesiæ cura fuit, nec esse debuit, nec de Authore, sed de dogmatibus in eo expositis quæstio olim fuit. Ecclesia enim quæstionibus juris judicandis intenta majestatem suam ad minutilas illas quæstiones facti expendendas minime demittit, nec aliquid certi de iis statuit, dummodo fidelibus nocumento non sint. Ex titulo ergo præfixo non concluditur Symbolum genuinum fœtum esse S. Athanasii.

Ad 7mum. Ajunt S. Thomam' Symbolum ob nominis titulum S. Athanasio

ſio tribuiſse, an autem eſset verum ejus opus non expendiſse ſecundùm accuratiores criticæ regulas, quia ad ejus inſtitutum non pertinebat. Sed.

Dices in favorem 1mæ ſententiæ. Symbolum S. Athanaſii admiſsum eſse à Græcis ut genuinum in Concilio Flor: ſed contra illud duo repoſuerunt. *1mum.* verſiculum de proceſſione Spiritus S. a Filio fuiſse aſsutum a Latinis. *2dum.* multo irreligioſius in S. Doctorem; Athanaſium plus æquo incaluiſse, mero, dum illud ſcriberet ſic *Genadius* ipſe Græcus teſtatur *in Defenſione Concilii Flor: cap: 1. ſec: 5.*

Reſpondent 2dæ ſententiæ Patroni fatendo hæc duo Græcos repoſuiſse, verum & tertiam evaſionem inveniſse Græcos, nimirum ſuppoſititium eſse ajebant, quapropter Græcis amplius ex hoc capite nullum negotium à Latinis faceſſitum eſt, etſi ob alia duo reſponſa, quibus vim ejus declinare nitebantur, acriter exagitati fuerunt. Verbo *Beſſarion* Græcus natione, ſed in Concilio Florentino Catholici dogmatis ſtrenuus Propugnator, in oratione ad Patres ha-

habita, quæ adducere potuit ex Patribus Græcis, adduxit, de Symbolo hoc ne quidem mentione facta.

Petes 1mo. Quem ergo ſtatuunt ſecundæ ſententiæ Defenſores Authorem præfati Symboli?

Reſp: Varii varios ſtatuunt Authores. Paſsim nunc illud attribuunt, *Vigilio* Tapſenſi in Affrica Epiſcopo. Hic enim dum Conſtantinopoli exularet ſub finem V. Sæculi, cùm audiſſet, quantas ſtrages ageret hæreſis Ariana ſub dominatione Vandalorum, Arianorum, & Neſtorianam ac Eutychianam luem videret late diffundi, Paſtoralis Officii partes exiſtimavit periclitanti populo ſuo ſuppetias ferre, ponendo ob oculos profeſſionem fidei non ſolum adverſus perfidiam Arianam, ſed etiam adverſus Neſtorianam & Eutychianam.

Petes 2dò. Cur ergo hoc Symbolum non Vigilii ſed Athanaſii nomine vulgatum eſt?

Reſpondent. Ideo ipſe Vigilius hanc expoſitionem Athanaſianam nominavit. *1mo.* Quod ſummam Athanaſianæ fidei contineret; *2do.* ne de condita hu-

jus fidei formula in ſuſpicionem apud Hæreticos veniret, ac propterea in apertum vitæ diſcrimen adduceretur. Vide *Natalem* Tom IV. Hiſt: Sæculi IV. cap: 6. *Graveſonium* Hiſt: Sæculi IV. *Annatum* lib: 4. de Patribus &c.

Petes 3tio: Quis eſt finis Symbolorum?

Reſp: Triplex. *1mus*. Inſtructio fidelium. *2dus*. Hæreticorum profligatio. *3tius*: Major Fidei explicatio. Symbolum Apoſtolicum ſecundùm S. Chryſoſtomum & Auguſtinum primo fine; Nicæno-Conſtantinopolitanum ſecundo; tertio S. Athanaſii conditum eſt. Porrò Symbolum non eſt Scriptura Canonica; Spiritus enim S. non dictavit literam, ſed ſolum inſpiravit ſenſum. Quæ tamen continet, ſunt de fide, quia eſt doctrina viva voce tradita a Chriſto Apoſtolis, & ab Apoſtolis ad fideles transmiſsa.

Sunt & aliæ fidei profeſſiones a multis conciliis emanatæ, a I. Concilio Antiocheno, a Carthag: IV. Toletano XI. & Tridentino, ſed quia ſpecialiter ſunt ad confutandos Hæreticorum

rum errores particulares, ſicut & ad majorem fidei Catholicæ expreſſionem, inter Symbola non annumerantur.



ARTICULUS IV.

De interno actu fidei.

Duo ſunt in fide diſtinguenda, *actus* nempe & *habitus*. Prior eſt motus in Deum, quo aliquis in ipſum tendit, ut primam veritatem, & cui revelanti aſſenſum præbet: poſterior eſt virtus inclinans intellectum humanum ad aſſentiendum his omnibus, quæ revelata ſunt. Sicut actus ſic habitus poteſt eſſe informis, vel etiam vivus; informis quidem ſi a charitate ſit ſejunctus, de quo S. Jacobus in Epiſt. ait: *Fides ſine operibus*, Charitatis & gratiæ, *mortua eſt*; vivus autem ſi a Charitate animetur, & in hoc ſenſu intelligendum illud Rom: 1. *Juſtus autem ex fide vivit*, id eſt: ex Fide, quæ per charitatem formata operatur opera vitæ æternæ.

§ I.

§. I.

De credendis ad salutem necessariis necessitate medij.

Petes 1. Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra naturam?

Resp; Fuit semper necessarium omnibus adultis necessitate medij ad salutem credere, aliquid supra rationem naturalem. Id patet ex Apost: Hebr: 11. *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia est, & requirentibus se remunerator sit.* Hinc Trid; sess: 6. cap: 7. cum dixit baptismum esse Sacramentum *fidei*, addit, *sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Quamvis enim Deus potuisset hominem salvare absq; sui cognitione supernaturali & amore, secundùm præsentis providentiæ leges, noluit tamen, idq; congruenter hominis naturæ, ut probabitur *in Tractatu de Religione revelata.*

Resp: 2. Fuit omni tempore necessarium necessitate medij ad salutem credere fide supernaturali determinate & explicite hæc duo, nempe: Deum esse authorem gratiæ, & remuneratorem gloriæ,

riæ, patet ex Apoſtolo citato, ubi agit de fide ſupernaturali, quia antea eam definiverat, quod ſit *rerum ſperandarum ſubſtantia, & argumentum non apparentium.* Ex his ſequitur: non ſufficere ad ſalutem, quod quis credat in communi, aut in confuſo, quidquid credit Eccleſia, ſi interim nihil determinate & in particulari de Deo cognoſcat, aut credat; quia abſq; explicita cognitione, quod Deus exiſtat, quod ſit remunerator bonorum, & malorum vindex, non poteſt ipſum debite colere, neq; actiones ſuas in eum, ut in finem dirigere.

Reſp: 3. Poſita ſufficienti Evangelii prædicatione fides explicita Mediatoris Chriſti, ex Divina voluntate eſt omnibus neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. Quia ut legimus Actorum 4. *Non eſt aliud Nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Ipſe Chriſtus Joan: 6. ait. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et Apoſt: teſtatur: *Unus eſt enim DEUS, mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus.* Rurſus Chriſtus Marci ult: *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.*

Hinc

Hinc S. Bernardus Epiſt: 77. ait: *Cautè igitur & vigilanter: Qui verò baptizatus non fuerit, ſed tantum, qui vero non crediderit, condemnabitur, innuens ſolam interdum ſufficere fidem ad ſalutem; & ſine ipſa ſufficere nihil.* Hoc ipſum aperte innuere videtur Trid: ſeſs: 6. cap: 6.

Reſp: 4. Suppoſita Evangelij ſufficienti promulgatione idem ſentiendum eſt de fide explicita SS. Trinitatis. Sequitur ex dictis. Nam *1mò*. Chriſtus juſſit prædicari Evangelium, ut qui crediderit & baptizatus ſuerit, ſalvus eſſet; atqui Chriſtus præcepit omnes baptizandos eſſe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. ergo. *2dò*. Non poteſt haberi fides explicita quod Filius Dei ſit incarnatus, quin explicitè credatur Myſterium SS. Trinitatis. *3tiò*. Myſterium SS. Trinitatis eſt primarium objectum fidei noſtræ; Incarnatio ſecundarium; ergo ſi &c. *4tò*. S. Thomas idem ex profeſſo docet 2. 2. q. 2. 6. & art: 7. propugnat omnes, ne uno quidem excepto, debere explicite credere Incarnationem. Idem exigit pro fide SS. Trinitatis Art: 8. *Dicendum* ait, *quod*

quod Myſterium Incarnationis Chriſti explicite credi non poteſt ſine fide TRINITATIS... Ideo etiam poſt tempus gratiæ Divinæ tenentur omnes ad explicite credendum myſterium TRINITATIS, & omnes, qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per Invocationem TRINITATIS.

Reſp: 5. Fides explicita utriuſq; Myſterij eſt neceſſaria neceſſitate medij non ſolum ad ſecundam ſalutem ſcilicet glorificationem, ut viſum eſt *Cano* & *Baneſio*, ſed etiam ad primam ſcilicet juſtificationem.

Nam Joan: 3. Chriſtus non ſolum dicit, quod *qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam*, hoc eſt; glorificationem, ſed etiam quod *ira DEI manet ſuper eum*, hoc eſt, remanet peccator injuſtus. Hinc Trid: docet fidem horum Myſteriorum ita neceſſariam eſſe, ut nulli unquam ſine illa contingat juſtificatio. Aliunde juſtificatus eſt filius Dei adoptivus, & habet proinde jus hæreditatis ad glorificationem; habet enim gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ; ſit conſequens, quod ſi fides implicita ſufficit ad juſtificationem, ſufficiet etiam ad gloriam, quod

non

non admittunt adverſarii. Argumenta quæ hic opponi poſſunt vide apud *Canum* ad finem Librorum de locis Theol; in Prælectione de hac re. *Serrium* Tract: de Fide Præl: 7. & 8. *Billuart*. Ea verò quæ objiciunt Sociniani, Remonſtrantes cum Indifferendiſtis, & Naturaliſtæ *in Tract: de Relig: revel: reſolventur.*

CONSECTARIUM.

Eos, qui præfata Myſteria, quòad ſubſtantiam ignorant, etiamſi invincibiliter, eſſe abſolutionis incapaces, & omnes confeſſiones in hac ignorantia factas eſſe nullas & iterandas, nec ſufficere ea aliquando credidiſſe, ſi de facto nunc ignorantur; ut patet ex propoſitionibus 64. & 65. damnatis ab Innocentio XI. Summo Pontif.

Petes Quid ergo cenſendum de puero enutrito in ſylvis, aut inter barbaras gentes, ſi faciat, quod in ſe eſt in fuga mali & proſecutione boni?

Reſp: S. Thomas in hoc caſu & ſimilibus recurrit ad extraordinariam revelationem. *Certiſſimè tenendum eſt*, ait quæſt: 14. de

14. de Verit: a. 11. *quod ei per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium &c.* Si autem talis non faceret, quod potest, nec ad agnitionem fidei, nec ad salutem perveniret juxta illud S. Aug: lib: de cor: & gra: cap: 7. *Ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere se non audiisse Evangelium.*

§. 2dus.

De credendis necessitate præcepti.

De credendis necessitate medii jam dictum, ad quæ referri debet fides explicita de immortalitate animæ, nam Deum bonorum Remuneratorem, & malorum Vindicem is non crederet, qui animam post hanc vitam superstitem fore, fide non teneret. Ergo.

Petes 1. Quæ sunt credenda necessitate præcepti?

Resp: 1mò. Omnes articuli contenti in symbolo Apostolorum, quia hoc fine conditum est ab Apostolis illud Symbolum, ut docet praxis Ecclesiæ, cap: *Baptizandos* de Consec: d. 4ta. *2dò.* Præ-

cepta Decalogi & Ecclesiæ, quia ea omnes servare tenentur. *3tiò.* Oratio Dominica, ut sciant ea, quæ a Deo petere debent. *4tò.* Sacramenta necessariò suscipienda, nempe: baptisma, Eucharistia, Pænitentia, quia alioquin rite is non susciperet, qui ea, vel dispositiones ad illa ignoraret. Idem est judicium de aliis Sacramentis, dum ea vult suscipere. Hæc porro quivis scire, seu credere debet explicitè saltem quò ad substantiam ex præcepto obligante ad peccatum mortale.

Petes 2dò. Quando obligat præceptum fidei?

Duplex est præceptum fidei, nempè: *affirmativum* assentiendi veritatibus revelatis; aliud *negativum*, non negandi fidem. De hoc secundo certum est obligare pro semper. De primo est quæstio; juste enim proscripta est propositio ab Innocentio XI. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundùm se.* Altera: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Tertia: *Sufficit illa Mysteria TRINITATIS & Incarnationis semel credidisse.* Nec Christus dixit: qui non crediderit, quan-

quando erit pænitendum &c. sed simpliciter & absolutè, qui non crediderit, condemnabitur. Sicut ergo dantur præcepta per se obligantia de actibus aliarum virtutum, ita etiam de actibus fidei.

Resp: 1. Præceptum fidei affirmativum obligat per se adultum, rationis compotem statim moraliter ad credendum. Quia 1. Fides est medium necessarium ad salutem. 2. Quia is qui differret elicere actum fidei, se exponeret periculo positive dissentiendi agnitæ veritati. Dixi *statim moraliter*, quia cum pueris non est nimis scrupulosé agendum, cum contingere possit, eis non fuisse sufficienter proposita fidei Mysteria. Infideles adulti, quibus est fides sufficienter proposita, moram trahentes citius hoc præceptum infringunt; imo contra negativum sæpè peccant, aut saltem in periculum peccandi se ingerunt, ut jam dixi.

Resp: 2. Juxta magis piam ac tutiorem sententiam quisq; fidelis saltem in solemnioribus Festis vi hujus præcepti per se obligantis eliciat actum fidei circa omnia revelata. Nihil enim determina-

te ſtatui poteſt hac in re, cum Theologi mire varient, in aſſignando tempore, quô hoc præceptum obliget.

Reſp: 3. Præceptum affirmativum fidei obligat per accidens, quoties urget aliquod præceptum, quod ſine actu fidei impleri, non poteſt, tunc enim eſt medium ad illud implendum. vg. quando urget præceptum pænitendi aut ſuſcipiendi aliquod Sacramentum; item dum eliciendus occurrit actus ſpei, charitatis, religionis, ut orare, Miſſam audire, aut celebrare &c. in his enim & ſimilibus caſibus eliciendus eſt actus fidei, ſi non expreſſus, ſaltem ut in actu exercito credat Deum eſſe, quem orare intendit; Sacramentum a Chriſto inſtitutum eſſe, quod ſuſcipiendum aut miniſtrandum occurrit. Ut tamen actus fidei expreſſe eliciatur per accidens ſaltem obligat hoc præceptum, quando urget vehemens tentatio, contra fidem, aut alteram virtutem, quæ non niſi expreſſo fidei actû ſuperari poſſit. Quamvis enim ſi ſit tentatio contra fidem, obligatio ad hoc oriatur ex virtute fidei directe, non tamen directe ex præcepto affirmativo, ſed

ſed ex periculo infidelitatis, proinde directe ex negativo fidei præcepto.

Petes 3. Utrum requiratur ad actum fidei eliciendum pia actio voluntatis?

Nota: Ad fidem ſpectat credere ea omnia, quæ in Divinis revelata ſunt ſcripturis, ſive ſpectent Myſteria, ſive hiſtoriam, ſive miracula, ſive Dei promiſſiones. Ita enim definitum habetur a Trid: contra Novatores.

Reſp: Ad aſſenſum fidei requiritur pia motio voluntatis. Hoc enim expreſſe indicat ſcriptura. Lucæ 24. *O ſtulti & tardi corde ad credendum.* Act: 16. De Lydia Purpuraria, *Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo.* Auditis actum fidei etiam ad cor ſeu voluntatem pertinere, quatenus determinat intellectum. ut myſteria contempletur; hæc quidem determinatio eſt quo ad ſpecificationem; quod autem illum determinet etiam quoad exercitium ibidem cap: 17. Legitur de Athenienſibus, quibus Paulus reſurrectionem mortuorum futuram prædicabat. *Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt.* To *adhærentes ei,* denotat affectum voluntatis ad fidem

requisitum; *crediderunt*, ipsum fidei assensum significat. Huc omnia ea pertinent, quibus contra Pelagianos & Semi-Pelagianos probant Patres & Theologi initium fidei esse a gratia. Ex hoc habes.

CONSECTARIUM.

Hanc motionem vocari *piam* quia nempe est ab auxilio gratiæ, alioquin non foret supernaturalis, & initium fidei & salutis esset a nobis, quod est damnatum in Semi-Pelagianis. Unde Concil: Arausic. II Can: 5. definit contra ipsos. *Credulitatis affectum esse gratiæ donum.* Et Trid: sess: 6. cap; 6. quod peccatores *Divina gratia excitati, & adjuti .... libere moventur in Deum credentes.* Hæc tamen *motio pia* non est amor charitatis, ut contendunt quidam Neoterici, alioquin peccator, in quo amor ille non est, non posset elicere actum fidei, quod est damnatum ab Alexandro VIII. in hac propositione. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiam si videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* Item in Quesnello propositio 51. *Fides non operatur*

nisi

nisi per charitatem. Et propositio 52. *Fides non est absq; amore & fiducia.* Quid enim obest, quo minùs credam inimico, quem aliunde veracem reputo. Est ergo hæc pia motio complacentia seu affectus, non erga bonitatem in se, quod requiritur ad amorem charitatis, sed erga summam Dei veracitatem, vi cujus determinat intellectum ad assentiendum ea firmitate, quæ superat omnem firmitatem ortam ex quovis actu humano scientifico vel experimentali. Hinc fit, quod cum actus fidei sit supernaturalis, si habeat alias conditiones ad merendum, quas vide in Tract: de *Gratia* Diss: 8. *de Merito* sibi adnexas, sit plurimum meritorius; nam ut ait Apost: Hebr: 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Hinc docet S. Thomas hic q. 2. a. 9. *Actus nostri sunt meritorii inquantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiam. Quia,* ait, *ipsum credere est actus intellectus assentientis veritati Divinæ, ex imperio voluntatis a Deo motæ per gratiam.*

ARTI-

ARTICULUS V.

De actu externo fidei.

Actus externus fidei, qui alias *professio* dici solet, elicitur a fide, cum sit ejusdem naturæ cum interno, & lingua extrinsecus exequatur, quod mente concipitur, ut docet S. Thomas hic q. 8. a. 1. De Duobus fidei præceptis hic agendum, *negativo*, scilicet quod est de fide non neganda, & *affirmativo*, de fide confitenda.

§ I.

An liceat aliquando verbo vel facto fidem negare?

Helsceseitæ, alias Sampsei dicti, authore *Elxai* Pseudopropheta, inter alios errores, & hunc sparserunt, simulationem in professione religionis licitam esse, hinc Eusebius lib. 6. cap. 38, ita Helceseitam describit: *Fidem negare indifferens quiddam esse asserit. Qui enim interiore cogitatione recte de fide sentiat, tametsi ore fidem perneget, tamen animo illi firme adhæsurum.* Hos secuti sunt Priscillianistæ, quorum tessera illud erat: *jura*

per-

perjura, ſecretum prodere noli. Secta Libertinorum hac ætate plurimum dilatata pro dogmate ſtatuit, licere fidem exterius negare, interius retentâ. Hoc idem ſentiunt multi Calviniſtarum, & Anabaptiſtarum, hi enim teſte *Staphylo* lib. de Lutheranorum concordia exiſtimant ſibi licere, ſi rogentur, an ſint Anabaptiſtæ, negaɪe ſe tales eſſe, ſatiſq; omnino eſſe, ſi ipſimet clam, quod credunt, ſciant;palam vero profiteri non eſſe opus; dicti propterea *Clancularii*.Huic errori novas addidit vires doctrina permittentium, ut licitam reſtrictionem mentalem, in caſu gravi, cumq; graviſſimus reputetur ille, ubi acerbiſſimæ pænæ ſtabiliuntur contra Catholicos in regionibus Hæreticorum, inde muſſitari eſt cæptum, an liceat hanc doctrinam applicare ad periculum perſecutionis vitandæ, nimirum exterius Romanam Eccleſiam negando, reſervata tamen interius reſtrictione, *ut tibi dicam, ut pœnas effugiam*, interim tamen corde firmo tenendo fidem Catholicam. Contra quam doctrinam erudite ſcribit Card. Orsi O. P. Cum quo.

Di-

Dico: Nullo prætextû ac nullo casû licet exterius verbô vel factô fidem negare, & si interius retineatur in corde.

Prob: Irrefragabili argumento. Præcepta negativa obligant pro semper, quale est illud generale, *declina a malo*, maximè cum sit intrinsece peccatum, quidquid adversus ea committere; sed non negare fidem verbô, aut factô eatenus ad præceptum negativum pertinet, quatenus negare sit enormis fidei proditio. & malum pænam æternam inducens juxta illud Christi Math. 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo* Luc. cap. 9. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet*; atqui, qui exterius verbô vel factô fidem negat, & si interius retineatur in corde, negat Christum coram hominibus, quos secretum cordis latet, erubescit Christum & ejus sermones; ergo merito Christus talem negabit coram Patre, & illum erubescet; hoc autem maxima pæna est; ergo externa fidei negatio est maxima culpa.

Confirm: 1. Cum animi nostri sensus fa-

factô verius exprimantur quam verbô, hic profectô idem disertius & apertius negat, qui se vg. idololatram prodit publico idololatriæ exercitio, quam si nudo & simplici verbo se talem diceret; huic enim dicenti non facile creditur, nisi dictum factis comprobarit; atqui tamen verbo negare fidem non omnes saltem, simulationis cohonestatores licitum dicunt; ergo multo minus facto &c. 2. *ab exemplis.* 2 Mach: cap: 6. Eleazarus simulationem omnem execratus est, qua facillimè comminatæ sibi mortis periculum devitasset. Alterum adest in persona Cephæ seu Petri a Paulo Apostolo reprehensi ob simulationem longè leviorem, quam de qua hic; lege caput 2. Epist: ad Galatas. Exempla nobis exhibet plurima, Historia Ecclesiastica in Libellaticis, qui data pecunia libellos obtinuerunt a Præfectis testantes mendaciter illos thus idolis adolevisse, tamen sedata persecutione tanquam gravissimi criminis rei, publicæ pænitentiæ subjecti sunt. Sancti Martyres, qui innumeri sunt, hanc simulationem, ut sibi illicitam, suo exemplo de-

deteſtati ſunt, ut S. Sabba apud Metaphraſtem renuit comedere carnes, & ſi non immolatas Marti, ſed aliunde appoſitas; S. Athanaſius apud Bolandum, Euſtraticus apud Surium; verbo S. Juſtini Mart. in Apol. 2. ad *Antonium*, ſententia eſt, *Chriſtianos emori malle, quam aut mentiri, aut Inquisitores fidei fallere doloſo, ſimulatóq; reſponſo.* Quod ſi licuiſſet, paucos Eccleſia habuiſſet Martyres, cum innumerabiles ſint. Merito hanc ſimulandi artem SS. Patres execrati ſunt ut, in Arianis Patres Ariminenses &c. S. Aug. lib. contra Mendacium. cap. 2. in Manichæis, Apolinariſtis, Pelagianis. S. Hieronymus in Priſcillianiſtis. Merito ergo S. Auguſt. lib. 6. de Civ. cap. 10. Senecæ idola colentis ſimulationem redarguit; Seneca colebat in omnium oculis, *quod reprehendebat, agebat, quod arguebat; quod culpabat, adorabat --- Eo damnabilius, quo illa, quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum populus veraciter agere exiſtimaret.*

Obij. 1mo. Externa & ſimulata fidei negatio non tollit conjunctionem animæ cum Deo; ergo. *Prob. Ant.* Hujuſmo-

modi conjunctio fieri poteſt actû fidei interno. Ergo.

Reſp: diſt: ant. Hujuſmodi conjunctio animæ cum Deo per amorem & Dei, & proximi manifeſtatum, *conc.* per ſolam fidem internam *nogo ant. diſt. conſeq;* ſimiliter: Ita S. Thomas hic q. 3. a. 2. ad. 1. *Finis fidei,* ait, *& aliarum virtutum referri debet ad finem charitatis, qui eſt amor Dei & proximi; & ideo quando honor Dei, vel utilitas proximi hoc expoſcit- - - debet fidem exterius confiteri.*

Dices. Atqui conjunctio animæ cum Deo per fidem ſolam interius retentam ſufficit ad ſalulem. *Prob. 1mò.* Licitum eſt fugere tempore perſecutionis. 2*dò*: Templa Hæreticorum adire, eoſq; concionantes audire 3*tiò*: Veſci carnibus diebus ab Eccleſia prohibitis, in partibus infidelium ad vitanda vitæ pericula. 4*tò*: Infidelium veſtes portare; ſed hæc tamen adverſantur fidei confeſſioni; ergo.

Reſp: negando minorem univerſaliter ſumptam, quoad omnes partes. Et vero *1mo*: Fugere tempore perſecutionis per ſe, non eſt malum, ſed p otius qu æ-

quædam fidei profeſſio, ne periculo fidei amittendæ ſeſe committat. Excipe tamen caſus aliquos in quibus fugere non licet, quando omiſſio profeſſionis fidei cederet in injuriam Dei, vel in detrimentum proximi &c. *2dò*: pariter non eſt negare fidem, ſi juſtis ex cauſis quis eorum ſana ingrediatur ad audiendos eorum ſermones, ſi tamen abſit perverſionis periculum. *3tio*: Præceptum ſolum Eccleſiæ eſt certis diebus abſtinere a carnibus, contra quod prævalet jus naturale de ſervanda vita, dummodo non interveniat ſimul jus divinum, vg. ſi cui apponerentur carnes, ut hoc ſigno comeſtionis haberetur pro infideli, tunc fas ipſi non eſſet, id attentare. *Ad Ult*: Uſus veſtium indifferens eſt. Niſi veſtes per ſe ſint inſtitutæ ad ſignificandam talem Sectam religionis motivô.

Inſtabis: Multa ſunt in Scripturis exempla ſimulationis alterius religionis, permiſſa & quandoq; laudata. *Prob*: 1*mo*. Elizeus conceſſit Naaman ut Rege adorante in templo Remmon, & ipſe cum eo adoraret in eodem loco 4. Reg. 2. cap. 2*dò*: Jehu Rex Iſrael ſimulavit ſe

Cul-

cultorem Baal: *Achab coluit Baal parum; ego autem colam eum amplius.* 4. Reg. 10. atqui hæc erat religionis falſæ aperta ſimulatio; & propter hoc Jehu remuneratus eſt a Deo; ergo.

Reſp: ad 1mum. diſt. maj. Ibi nomen adorationis improprie ſumitur pro corporis incurvatione, *conc.* propriè pro cultu Deo debito, *nego.* Civile obſequium hoc fuit Regi non idolo exhibitum; ſimulatio autem fuiſſet falſæ religionis, ſi geſſiſſet aliquid Naaman, quod proxime ad ſacrificium falſo Numini oblatum pertineret, vel ad impios ritus, ut ſi vinum ſacrificanti Regi porrexiſſet, quod non fecit.

Ad 2dum: ex facto Jehu nihil colligere poſſunt Adverſarii ad ſimulationem in cauſa religionis & fidei cohoneſtandam. Tria namq; ſunt quæ non proſunt, ſed obſunt Simulatoribus; *primum* quod Jehu piis Regibus non annumeretur, quorum geſta ſunt nobis ad exemplum propoſita, ut ibidem legitur: *Secundum* quod hoc factum referatur quidem, ſed non laudetur aut approbetur. *Tertium.* ſi forte laudaretur, ob finem optimum

lau-

laudaretur, destruendi nimirum Cultores Baal, non ob medium ad finem illum obtinendum. Nec enim facienda mala, ut veniant bona. Verbô, remunerationem accepit, quia Dei voluntatem executus est strenuè, sed mediô utens malo Jehu merito culpandus fuit.

Obij: 2. Apostolorum exemplô licitam esse simulationem religionis edocemur; ergo. *Prob*: *Ant:* Apostoli post antiquatam legem veterem, nonnullos istius ritus & observabant ipsi, & a Fidelibus Christianis observari permittebant; atqui hoc nonnisi simulatione & fictione factum intelligi potest; ergo.

Resp: Nego min. Imo non animô ficto & simulato, sed sincero legales ritus ad aliquod tempus observarunt, non quidem ut in eis spem salutis ponerent, sed ut qualemcunq; illis venerationem exhiberent, & extinctam jam atq; *emortuam Synagogam cum honore ad tumulum ducerent*; ut loquitur S. August: cum quo S. Doctore tria tempora legis sive status sunt distinguenda; primum tempus & status ad mortem Chri-

Christi, quando fuit viva, & suo modo fructifera; alterum à morte Christi ad sufficientem legis novæ promulgationem, quando equidem fuit mortua, sed non nociva, nisi illis qui spem in ea poneret; tertium post sufficientem Christianæ legis promulgationem, & protunc mortifera facta, absq; peccato superstitionis observari non potuit; in primo statu verè & cum fructu, in altero verè sed sine fructu observabant legem Apostoli, nusquam in tertio. Vide plura apud *Serrium* Disp: 1. de Fide Præl: 10. & 11. *Natalem* Diss: contra Helceseitas, *Billuart* Tract: de fide.

Petes 1. Quandonam in praxi censeatur quis facto simulare aut profiteri exteriùs falsam religionem?

Resp: Hæc est regula generalis; usurpare signa, ritus, cæremonias, vestes, actiones, quæ sunt principaliter distinctiva sectæ à secta, seu quæ sive ex se, sive ex institutione, aut ex circumstantiis sunt primario significativa professionis falsæ fidei, est illam falsam fidem exterius profiteri, & ideo nunquam est licitum. Quæ verò distin-

guunt non Sectam à Secta, ſed gentem a gente, ſeu quæ per accidens tantum indirectè & ſecundariò ſunt profeſſionis falſæ fidei ſignificativa, quamvis ſint vitanda, ne demus aliquibus occaſionem exiſtimandi nos negaſſe fidem, dum tamen juſta adeſt cauſa huic deceptioni præponderans, poſſunt licitè uſurpari. Ex his habes.

CONSECTARIA.

1mum. Juſta de cauſa poteſt Catholicus induere veſtes aliarum Nationum, quæ non ſunt deſtinatæ præciſe uſibus ſuæ religionis; quia eas aſſumit, non ut profiteatur earum religionem, ſed ut auferatur occaſio inquirendi de religione. Idem dic de illarum vexillis in bello, ut tali ſtratagemate decepti vincantur. Item licitum eſt intereſſe ſepulturis hæreticorum exhibendo eis honorem civilem. Item probabile eſt licitum eſſe, non audire Sacrum vg: diebus Dominicis in terris hæreticorum, ad evitandum grave malum, quia id variis ex cauſis poſſe Catholicos, notum eſt hæreticis.

Idem

Idem dic & probabilius de ésu carnium diebus vetitis nisi in contemptum religionis ad id adigerentur. Nec est reus negatæ fidei, qui negat se esse Sacerdotem aut Religiosum, secus si negaret se esse Catholicum, aut Papistam.

2dum. Flectere genua coram idolo, ei thus adolere, etiamsi intentio dirigatur ad Christum; gestare imaginem Machometis in collo appensam, sumere cænam Hæreticorum, Psalmos in eorum fanis cantare, organis pulsare, contrahere matrimonium coram ministro benedicente nuptias secundùm ritus suæ Sectæ nunquam est licitum.

Petes 2. An exteriùs solum negantes fidem incurrant pænas latas contra hæreticos?

Resp: Negative. Quia hæ pænæ latæ sunt contra infidelitatem simpliciter talem; tales autem verè infideles aut hæretici non sunt, non datur enim in eorum intellectu error. Hujusmodi tamen homines debent se gerere pro excommunicatis coram illis, qui eorum externam fidei negationem noverunt.

Hinc quia Ecclesia judicat de externis, tales ut veri Hæretici absolvuntur a S. Tribunali Inquisitionis.

§ II.

De præcepto externi actus fidei affirmativo.

Dico: Datur præceptum naturale & Divinum de confitenda exterius fide aliquando. Assertionem probat S. Thomas ex illo Apostoli Rom: 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Ex quo sic: Juxta Apost: eadem est necessitas confessionis fidei ad salutem, ac est fidei internæ ad justificationem; atqui fides interna necessaria omnino est ad justificationem; ergo confessio fidei externa necessaria est ad salutem. Unde ibidem ait Apost: *Si confitearis in ore Dominum JESUM, & in corde tuo credideris - - - - salvus eris.* Sed.

Petes. Quando obligat hujusmodi præceptum?

Resp: Juxta S. Thomam tunc potissimum urget hoc præceptum, quando per ejus omissionem vel debitus cultus

&

& honor Deo ſubtrahitur, vel utilitas proximo impendenda. Intellige de ſubtractione non pure negativa, ſed privativa, id eſt quando ex omiſſione hujus confeſſionis ſequeretur ignominia Deo, vel periculum Divini honoris, aut proximi utilitas negligeretur. *Puta,* ait S. Thomas, *ſi interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur vel non habere fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide.*

CONSECTARIUM.

1mum. Videns profanari Euchariſtiam, Imagines &c. Deum, aut fidem contemni, Hæreticorum & Libertinorum colloquiis adſtantium fidem periclitari, tenetur contradicere, & fidem confiteri, ſi ſic poſſit iſta impedire.

2dum. Ab authoritate publica interrogatus de fide, illam ſincere confiteri tenetur. Dixi *publica Authoritate,* quia a privato interrogatus, ſecluſo ſcandalô, poteſt ambigue reſpondere, aut dicere: *quid ad te?*

Hæc intellige de præcepto Divino confitendi fidem. Ex præcepto autem Ecclesiastico Concil: Trid: sess: 24, cap: 22. de Refor: & ex Bulla Pij V. *Sacro-Sancta* tenentur professionem fidei emittere promovendi ad beneficia curam animarum habentia, ad Canonicatus & Dignitates Cathedrales, Item Doctores & Professores in Academiis.

Illa de fide ejusq; actibus ac præceptis sufficiant, restat ut de fidei regulis agamus; porro illæ 1. Sacra Scriptura & traditiones, quæ vocari solent regula inanimata de qua alibi acturi sumus in Tract: *de Relig: revelata.* 2. regula est Ecclesia Christi. 3. Summus Pontifex S. Petri in Romana Sede successor, Christi in terris Vicarius. 4. Concilia Æcumenica. 5. Sancti Ecclesiæ Patres.



DIS-



DISSERTATIO II.

DE ECCLESIA.

Ecclesia Græcè, Latinè convocatio dicitur, sive quod omnes ad se vocat, ut *Rabano* visum est, seu quod quicunq; in eam conveniunt, non ex meritis & justitia sua, sed Dei vocatione, quæ fit per gratiam conveniunt.

Porro dupliciter sumi potest, universalissimè prout non solum viatores, verum etiam comprehensores & Angelos complectitur. Hi enim omnes in una societate Deo adhærent. Ecclesia sic accepta varios habuit status, *1mò.* in lege naturæ nempè snb Patriarchis; *2dò.* in lege scripta sub Sacerdotio Aaronico, *3tiò.* in lege Evangelica, sub Christo, Apostolis, & Rom: Pontifice.

Item alium statum habet in terris spiritualem militiam exercens, & vocatur *Ecclesia militans sivè societas fidelium hominum*

num sub uno capite Christo, ejusq; in terris Vicario Rom: Pontifice ordinata. 1. *hominum* quia hujus militantis Ecclesiæ nec Angeli, nec beatæ animæ sunt membra. 2. *fidelium*, hoc est, fidem Divinam in baptismo acceptam in se habentium. 3tiò. *societas* ad significandam unionem, vel internam, quæ habetur per fidem & dilectionem, vel externam, quæ consistit in administratione, & receptione Sacramentorum, & aliis ad verum cultum pertinentibus. 4. *sub Christo*, ipse enim invisibile Ecclesiæ caput, & cùm Ecclesia sit visibilis, oportet illam habere caput visibile, quod est Christi in terris Vicarius. Alium statum habet Ecclesia in purgatorio, ubi probatur igne, & purgatur. Alium in cœlo, & *est congregatio fidelium extra statum viæ, qui jam vident facie ad faciem, quod credebant in via.* Hic ergo unicè agemus de Ecclesia militante.



ARTICULUS I.

Utrum detur Ecclesia vera militans?

Cum vera religio concreata sit cum primis Parentibus, juxta illud S.

Aug:

Aug: *Erat condens naturam, & largiens gratiam;* Ecclesia, in qua sola veram religionem reperiri licet, ut jam dictum, varios subiit status 1. ab Adamo usq; ad Moysen, qui status naturæ dicitur. 2. a Moyse ad Christum, qui status legis nuncupatur. 3. a Christo ad mundi finem, qui gratiæ status merito appellatur. Igitur.

§. I.

Utrum fuerit Ecclesia vera in lege naturæ?

Per statum legis naturæ intelligimus, non dictamen rationis cuiq; inditum ad faciendum bonum ordinis naturalis, sed statum, in quo homines moti a Spiritu S. seclusa lege scripta, bonum salutis operari poterant, & de facto operabantur.

Dico: Fuit Ecclesia in lege naturæ.

Prob: Illa aggregatio est vera Ecclesia, quæ omnes homines fideles a mundo condito, concludit, ac quæ Deum tum sacrificiis, tum sacramentis veneratur; atqui in lege naturæ talis erat aggregatio, quæ omnes fideles concludebat, & Deum tum sacrificiis, tum sacramentis venerabatur, ergo. *Prob: min.* 1. pars *Amò.* ex S. Gregor: M. Hom:

Hom: 19. in Evang: *Quis*, loquitur, *Patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet, quam Conditor noſter ... qui habet vineam univerſalem ſcilicet Eccleſiam, quæ ab Abel juſto uſq; ad ultimum electum ...., quot Sanctos protulit, quaſi tot palmites emiſit.*

Prob; 2. Eadem pars min: Deus omnes homines vult ſalvos fieri & per Chriſtum Mediatorem ſalutem conſequi; ut enim ait S. Aug: Serm: 3. in Pſal: 36. *Omnes, qui ab initio ſæculi fuerunt juſti, caput Chriſtum habent. Jilum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe jam credimus, & in ejus fide & ipſi ſanati ſunt, in cujus & nos.* Ergo in lege naturæ erat talis aggregatio, quæ omnes fideles concludebat.

Prob: min. Altera pars. Fideles in ſtatu naturæ legis Deum ſacrificiis venerari ſolitos fuiſſe edocemur ex toto libro Geneſeos, exemplo Abel Gen: 4. Enos ibidem. Henoch cap: 5. Noe cap. 8 Abraham, Iſaac & Jacob. Nec mirum, poſito quod Adam non peccaſſet, fuiſſent tamen ſemper ſacrificia (inquit Angelicus) qnandoquidem creatura in quocunq; ſtatu Deum debet agnoſcere, ut ſupremum bonorum omnium fontem,

quod potiſſimum ſit ſacrificiis. Sacramenta utiq; ſic propugnat S. Aug: lib: 5. contra Julianum cap: 1. *Nec ideo tamen credendum eſt, & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramentô ejus opitulatos fuiſſe.*

CONSECTARIUM.

Ut jam dictum ex S. Aug: vera Eccleſia initium ſumpſit in primis parentibus, qui poſt peccatum commiſſum *per ſapientiam ſanati ſunt*, ut dicitur Sap: cap. 9. Poſtea crevit in *Abel* juſto, ad cujus ſacrificia Deus reſpexit, Gen: 4. Eandem illuſtravit *Enos, qui cœpit* (ſolemniori ritû) *invocare nomen Domini*; ibidem. Poſtea in *Enoch* incrementum cæpit, qui cum Deo ambulans, hoc eſt, illi ſerviens translatus eſt, Gen: 5. Refloruit in *Noe* juſto. Emicuit in Abraham, Iſaac & Jacob, qui quidem ſic erant grati & accepti Deo, ut nominari Deus eorum dignatus ſit Exodi 3. *Ego ſum DEUS Abraham, DEUS Iſaac, & DEUS Jacob.* Hic ergo Eccleſiæ ſtatus complectebatur omnes homines fideles,

ab

ab initio mundi, uſq; ad legem datam in monte *Sinai*, imo ex gentibus fideles, quos Judæi *Noebitas* appellare ſolebant, uſq; ad Chriſti adventum ſalutiferum. Vocatur autem ſtatus naturæ, non ideò, quod præcepta ſupernaturalia non habuerit, fuerunt enim mandata fidei, ſpei, & charitatis, ac pænitentiæ, ſed quod literis exarata non fuerint, at cordibus inſculpta, & de ore in os tradita.

§. II.

Utrum fuerit Eccleſia in lege ſcripta?

Dico: Fuit Eccleſia in lege ſcripta.

Prob: Eccleſia eſt corpus, in quo multi ſacris quibusdam ſignis ſenſibilibus ad colendum Deum coadunantur, qualia ſunt Sacramenta, ait S. Aug: & ſacrificia, ut per ſe patet; atqui erant in lege ſcripta Sacramenta & ſacrificia, ergo. *Prob: min.* quo ad 1. p. Innocentius III. cap: *Majores*, agnoſcit circumciſionem ut Sacramentum. Angelicus 1. 2. q. 102. art: 5. hoc probat ratiocinio, veterem legem habuiſſe Sacramenta: Nomine Sacramentorum intelligimus ſigna gratiæ, quibus homo præparatur

ad

ad colendum Deum, vel per modum ministri, vel per modum suscipientis; atqui talia erant in lege scripta signa: consecrabantur namq; Sacerdotes & Levitæ, ut ministerio Altaris vacarent, populus vero ad colendum Deum per Circumcisionem instituebatur. De hoc momento ait S. Aug: lib: 19. contra Faustum cap: 11. *In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coadunari homines posse, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortiô colligentur.*

Prob: min. Quod ad 2. p. Sacrificia tum in recognitionem supremi dominii Dei in nos; tum ad gratias pro beneficiis rependendas, tum ad nova ab ejus bonitate impetranda, tum demum ad obtinendam peccatorum veniam, perpetuo & sempiterno cultû offerebat Synagoga; ut patet ex libro Levit. ubi cap: 1. ritus & modus offerendi holocausta delineatur. Cap: 2. ritus oblationis Sacrificiorum similæ oleo consperfæ; cap: 3. ritus hostiæ pacificæ litandæ; cap: 4. ritus offerendi hostias Sacerdotis, Principis, & multitudinis per ignorantiam peccantis; cap. 5. ritus hostiarum pro pec-

catis

catis ex silentio veritatis, immunditia, errore, juramento, & sic de cæteris. Ergo.

Dices: In Synagoga, sivè statu legis scriptæ nec fides, nec gratia fuit, ergo neq; Ecclesia,, cùm sine his duobus Ecclesia subsistere non possit. *Prob: ant:* 1. in Synagoga non erat fides, sed solùm instructio & præparatio ad fidem, juxta illud ad Gal: 3. *Lex pedagogus nóster fuit in Christo.* 2. Nec gratia erat, juxta illud Joan: 1. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per JESUM Christum facta est:*

Resp: Nego ant: Si status legis fidè & gratiâ vacuus fuit. quô jure Abraham Pater credentium dicendus erit? de quo tamen Apost: prædicat; *credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam.* Quô jure, aut titulô sic complacuit in Abraham, Isaac, & Jacob, ut Deus illorum voluerit nuncupari? ut sileam sanctitatem Prophetarum, quorum gratia specialis hæc erat, ut scrutarentur etiam profunda Dei.

Ad 1. Textum: Lex Pedagogus erat ad Instructionem de Mysteriis, &

pro-

promiſſionum Abrahæ factarum, non ad ipſam fidem ſuſcipiendam, quam citra dubium habuerunt Judæi. Hoc manifeſtum eſt ex Apoſtolo, qui ad Rom: 4. ait: *Credidit Abraham &c.* ergo lex eatenùs erat, pro Judæis Pedagogus, quatenus eos edocebat juſtificari per fidem in Chriſtum venturum, a quo & promiſſam æternitatem erant accepturi. Sic interpretatur locum Apoſtoli *Angelicus* in Caput 3. ad Gal: *Per legem*, inquit, *Judœi tanquam imbecilles pueri, per timorem pœnœ retrahebantur a malo, & promovebantur amore & promiſſione temporalium ad bonum. Judœis autem promiſſa erat benedictio futuri ſeminis de hœreditate obtinenda; ſed nondum advenerat tempus ipſius hœreditatis conſequendœ, & ideo neceſſarium erat, quod conſervarentur ad tempus futuri ſeminis, & cohiberentur ab illicitis, quod factum eſt per legem.*

Ad 2. textum. Gratia per Chriſtum facta eſt, id eſt, gratia 1ma, gratiæ omnis fons & principium, de *cujus* (Chriſti) *plenitudine accepimus omnes* ſive in lege naturæ, ſive ſcripta, ſive gra-

tiæ

tiæ existentes. 2. gratia empta & pretio magno soluta per sanguinem Christi. 3. gratia abundantissima. 4. Quia lex nova exhibet gratiam, & ex opere operato justificat; gratia vero legis, quæ dabatur ex fide in Christum venturum, non justificabat per se, sed solum ex opere operantis. Hinc gratia a veteri lege non excluditur. Vide S. Thomam in caput 1. Joannis.

Hinc pulchrè ait S. Chrysostomus hom: 13. in Joan: *Vel accepimus gratiam pro gratia, id est pro veteri novam. Sicut enim est justitia, & justitia adoptio & adoptio circumcisio & circumcisio; ita gratia & gratia, sed illa quidem ut typus, hæc verò ut veritas. Hoc autem induxit ostendens, quoniam & Judæi gratia salvabantur, & nos omnes gratiâ salvi sumus* &c.

§ III.

Utrum detur Ecclesia in nova lege?

Dico: Datur Ecclesia in nova lege a Christo Domino fundata, & specialibus prærogativis decorata.

Prob: 1. Ex figuris veteris Testamenti:

ti: *Primò.* namq; imago Ecclesiæ Christi est paradisus terrestris, qui locus omnium bonorum aggregatione perfectus, designabat Ecclesiam, ex qua perenni fluxu, & refluxu gratiæ animæ Christianæ adveniunt, ut æstû passionum temperata, fructum meritorum afferat in patientia, dicente Christo Apostolis Joan: 15. *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Hinc S. Aug: lib: 4. de Bapt: c. 1. illam figuram celebrat: *Ecclesia paradiso comparata, indicat nobis posse quidem, ejus baptismum homines etiam foris accipere; sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. Nam & flumina de fonte paradisi - - - etiam foras largiter manaverunt - - - ita fit ut cùm paradisi aquæ sit extra paradisum; beatitudo tamen non sit nisi intra paradisum.*

Secundò: Ecclesiæ figura est Heva, quæ sicut è latere Adami educta est, ut initiaret cum viro Ecclesiam, & primam colentium Deum verum societatem, sic è Christi latere fluxerunt Sacramenta, & per Sacramenta novæ le-

gis Ecclesia, ut argumentatur S. Aug: Tract: 9. in Joan:

Tertiò: Ecclesiæ typus est arca Noe, in qua omnis generis creaturæ corporeæ viventes erant, & salvatæ sunt, extra verò existentia viventia, perierunt; quâ similitudine designatur Ecclesia, quæ est congregatio omnium nationum. Hac comparatione usus est Princeps Apostolorum 1. Epist: 3. Ubi tamen notandum, in hoc solum comparationem inter arcam & Ecclesiam esse; quod nemo extra eam salvetur, non autem, quod omnes in illa existentes salutem consequantur.

Quarto. Ipsa Synagoga in suis Sacrificiis, Sacramentis, & Sacerdotibus Christi repræsentabat Ecclesiam. Diversa Sacrificia pro diversis expiandis peccatis instituta, Sacramentum pænitentiæ designabant. Agnus pachalis erat figura Christi, qui in ara crucis tanquam victima pro omnibus & singulis hominibus oblatus est. Circumcisio fuit imago circumcisionis spiritualis, per sacrum regenerationis lavacrum ad remissionem peccati originalis ope-

ran-

randae, ut ad Colos: 2. docet Apost: Magnus Sacerdos, erat Christi typus, expressius verò Melchisedech legis naturae Sacerdos, ut Apost: docet in Epist: ad Hebr:

Quintò. Christus variis parabolis suam manifestavit Ecclesiam, jam Math: 13 similitudine agri, in quo triticum & zizania permissa sunt crescere usq; ad messem, quô significatur, bonos & malos, justos & peccatores in Ecclesia Christi esse, ut explicat S. Aug: Jam exemplô sagenae missae in mare, & ex omni genere pisces congregantis, Math 13. Jam convivii nuptialis Math: 22. ad quod omnes promiscue, & nullo exceptô invitati sunt; omnes quippe ad vitam vocat Christus, omnes verò credentes benignè suscipit, & complectitur Ecclesia.

Sextò. Huc spectat linteum continens omnis generis animalia in terras submissum, & mox in cœlum elevatum, in visu ostensum S. Petro Act: 10. Duplex piscatio Petri, jussû Christi facta, una Luc: 5. altera Joannis 21. Vestis inconsutilis Christi, quae ex omni

parte unita, Ecclesiam, cujus centrum est Christus, & una in ipsum fides, significat.



ARTICULUS II.

Quinam sunt illi, ex quibus verè & propriè Ecclesia confletur?

In partibus Ecclesiæ recensendis tres errores fuisse Historia Ecclesiastica nos docet: *Primus* eorum fuit; qui non putarunt illic Ecclesiam habere partem, ubi non est solida vitæ puritas & integritas, tales olim fuere *Cathari* & qui ad horum vesaniam accedebant Donatistæ, tales hodie ex Lutheranis sunt Anabaptistæ, qui cum Pelagianis perfectam omnino, in hac etiam vita justitiam esse volunt; cum Catharis & Donatistis nullam in Ecclesia infirmitatem ferunt. *Alii* fuêre, qui solis prædestinatis ad gloriam, locum in Ecclesia concesserunt, cujus erroris *Coryphæi* præcipui reperiuntur *Joannes* Wicleff, & *Joannes* Hus, damnati in Concilio

Con-

Constant: quos plures Sectarii moderni sequuntur. *Postremi* solos probos ad Ecclesiam pertinere arbitrati sunt, improbos autem nullo modô, id post veteres quosdam asseruut multi Lutherani.

Dico: Non ex solis prædestinatis & probis constat Ecclesia, sed etiam peccatores & infirmos complectitur.

Prob: Christus Ecclesiam comparavit. 1. Regi facienti nuptias. 2. Familiæ. 3. Reti. 4. Agro. 5. Areæ. 6. Decem virginibus; atqui ad nuptias etiam ille introgressus est, qui missus est in tenebras exteriores, hoc est in infernum; ad familiam quoq; suam Christus pertinere docuit, qui conservi sui non misertus traditus est tortoribus: in reti etiam comprehensi pisces non seliguntur nisi in littore expositi, ubi Angeli separabunt de medio justorum malos, & mittent in caminum ignis; ager quoq; non priùs expurgatur à zizaniis ab inimico homine superseminatis, nisi post collectam messem, & in aream advectam, tunc demum alligantur zizania in fasciculos ad comburendum; in area tamdiu triticum delitescit, donec vannô & cri-

brô repurgatum reconditur, paleæ autem comburuntur igne inextinguibili; non decem virgines, ſed quinq; admiſſæ, reliquis quinq; janua eſt clauſa, ergo.

Aſſertio etiam patet ex Apoſtolicis ſcriptis. Utiq; Eccleſiæ fuerunt, quarum Angelos, hoc eſt, miniſtros in Apocalypſi Deus ad pænitentiam admiſſi criminis cohortatur cap. 2. & 3. Apoſtolus ad Gal: c. 1. & 3. eas utiq; Eccleſias vocat, quas idem ipſe arguit errore depravatas: inter Corinthos quoq; non una erat peccati ſpecies, ſed plurimæ, neq; levia erant errata, ſed flagitia: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes*, & tamen Apoſtolus eos non ſolùm Eccleſiam, ſed ſanctam Chriſti ſocietatem agnoſcit, & prædicath 1. Corint. 1. & 5.

Nec dicant: Illi contentioſi quos redarguit cap. 1. & ille inceſtuoſus cap. 5. non erant de Eccleſia. At per hoc Adverſarii vim inferunt textui; dicit enim Apoſtolus *Omnino auditur inter vos &c.*

Nec iterum dicant: quod inter eos erat, & in medio eorum, ſed non intra Eccleſiam. *Con-*

Contra. Apoſt. judicavit illum Corinthium inceſtuoſum; ergo intus fuerat; ergo membrum Eccleſiæ. Subdit namq; ibidem: *quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare?* Quod autem Paulus illum judicavit, negari non poteſt, nam ſubdit: *jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt,* ergo.

Objic: 1. Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare S. Aug. aſſerit, ergo. *Prob. ant.* S. Aug. lib. 5. contra Donat. cap: 17. cum S. Petro Apoſt. 1. Epiſt. cap. 2. comparat Eccleſiam arcæ Noe, in qua octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam; atqui illæ octo animæ ſolæ erant in arca; ergo ſoli etiam prædeſtinati in Eccleſia.

Reſp: Comparatio facta eſt quoad aliqua. Arca enim in eo Eccleſiæ typus eſt potiſſimum, quod extra eam nullus ſervatus ſit, non in eo, quod omnes intra eam facti ſunt ſalvi. Ita S. Hier. in Dial. contra Luciferianos. Unde etiam Petrus Apoſt: ne quis in errorem Novatorum incideret, locutus eſt cautè adjiciendo: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos fecit baptiſma: non car-*

nis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.

Dices: Atqui qui sunt in Ecclesia, ejusq; membra omnes salvi fiunt. *Prob.* S. Aug. ibidem vocat Ecclesiam hortum conclusum, fontem signatum; atqui in horto concluso, fonte signato, qui esse possunt præter prædestinatos sive salvandos? ergo.

Resp: Ecclesiam sic vocari non ratione omnium, qui sunt ejus membra, sed ratione electorum. Per figuratam dictionem multa, quæ parti conveniunt, in totum solent transferri vg. gentem bellicosam dicimus, non quod omnes tales sint, sed multi; sic etiam homo dicitur mundus, vel immundus, si facies sit munda, vel immunda. Inde ergo venit, quod vocabula quibusdam Ecclesiæ partibus convenientia, Ecclesiæ ipsi tribuuntur, hinc dicitur Sancta ratione bonorum, hortus conclusus ratione electorum.

Inferes: Ergò pari jure Ecclesia dici potest immunda, peccatrix &c. si immundi & peccatores in ea inveniuntur.

Resp: nego illatum: discrimen est.

Nam

Nam cum boni prima atq; optima sint pars Ecclesiæ Christi, imò verò cum sint Regni cælestis Principes, quamvis in mundo sint despectissimi, veré ac jure ea, quæ in eos conveniunt, in totam Ecclesiam transferuntur, non tamen econtra; præcipué sicut Ecclesia, ea tantum communia habet, quorum est Christus tanquam caput; ita ab iis solum nomenclaturam sumit, ut est sanctitas, puritas &c. Mala autem & peccata sicut a Christo non procedunt, sed ex fragilitate cujusq; proveniunt, ita Ecclesiam denominare non debent.

Instabis: Ecclesia é filiis Dei conflatur utpotè cùm non sit aliorum Mater, quam quorum Deus Pater est; atqui soli prædestinati sunt filii Dei, qui scilicet sunt hæreditatem percepturi; *si filii,* ait Apost. Rom. 8. *& hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.*

Resp. dist. maj. è Filiis Dei qui per baptismum Christo & Ecclesiæ sunt geniti, *conc:* qui ad hæreditatem sunt prædestinati, *nego.* Etsi Filii Dei secundùm prædestinationem quandoq; nominentur, at propria eademq; frequens

eſt denominatio a præſenti juſtitia. Videmus etiam filios verè exhæreditari; non ergo omnino colligitur, filius eſt, ergo percipiet hæreditatem; nisi addas, & ejus, quod accepit, non amiſit. Quoniam autem Filius Dei non ſemper probus intelligitur, ſed is quoq; interdum qui paterna bona prodegerat, ideo adhibui diſtinctionem. Ex his enim ſic genitis per baptiſmum, improbi quidam & ſtulti ſunt, quos Patris Matriſq; cura parturire iterum geſtit, donec formetur in eis Chriſtus. *Nonne.* Deut 32. inquit: *ipſe eſt Pater tuus? at generatio perverſa erat, & infideles filii.*

Objic: 2. Veram Chriſti Eccleſiam perfectam & immaculatam eſſe oportet, quam Apoſt: ad Ephes. 5. ſine macula & ruga deſcribit; ergo.

Reſp. cum S. Aug. lib: 2. Retract: cap. 19. diſt: Eccleſiam quæ jam ſit, *nego.* Quæ præparatur, ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa, *conc.* Non autem modò in tantis ſcandalis, in tali permixtione hominum peſſimorum eſt glorioſa. *Mundat ergo eam Chriſtus la-*

va-

vacro aquæ abluens peccata præterita - - - facit eam occurrere in eam gloriosam sine macula & ruga.

CONSECTARIUM.

Reprobos & infirmos, peccatoresq; membra Ecclesiæ esse, quæ in Christi nomine per baptismum cogitur, qui est fidei Sacramentum, non equidem viva & perfecta, Ecclesiæ capiti per charitatem unita, sed imperfecta, & quamvis non mortua, mortificata tamen, sola fide conjuncta, nempe de numero earum ovium, de quibus Psal. 71. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ*, quæ non sunt oves omnino secundùm prædestinationem; de quibus hominibus fidelibus dici potest illud 1. Joan: 2. *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*, hoc est, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, seu in Ecclesia, secundum prædestinationem scilicet, quamvis essent secundùm fidem & Sacramentorum communionem. Hi profectò quamvis Ecclesiæ sint membra, habent enim influxum capitis per fidem, tamen non sunt eæ partes Ecclesiæ, quæ cum Chri-

sto

ſto manſura eſt in æternum: *Ipſi*, ait S. Aug. lib: 3. de doct. Chriſt. cap. 321. *non pertinent ad illud modo tabernaculum, tunc domum.*

Petes. 1. Utrum Catechumeni ſint in Eccleſia?

Reſp. Catechumenos non eſſe actû in Eccleſia, quippè qui nondùm ſunt baptizati nam baptiſmus facit membrum Chriſti utpotè fidei Sacramentum, & janua aliorum omnium Sacramentorum. Aliquo tamen modô nempé in voto poſſunt dici eſſe in Eccleſia, cùm ingredi poſtulent, & habeant fidem, & quandoq; charitatem.

Petes 2. Utrum Hæretici, Apoſtatæ & Schiſmatici, & Excommunicati ſint in Eccleſia?


Reſpondeo: Hæretici & Schiſmatici, vel ſunt publici vel occulti. Hæretici publici ſunt, qui palam & notoriè erroribus ab Eccleſia proſcriptis adhærent; occulti verò, qui fidem exterius profitentur, quam interius negant. Schiſmatici publici ſunt ii, quorum notoria eſt rebellio in legitimos Paſtores; occulti verò, quorum non eſt notoria.

Cer-

Certum eſt Hæreticos & Schiſmaticos occultos (idem dicendum de Apoſtatis) eſſe Eccleſiæ membra, & ad illius corpus pertinere; quia eandem cum ipſa fidem exterius profitentur, participant iisdem Sacramentis, atq; exterius legitimis Paſtoribus ſubjiciuntur. Et certé ſi præciſé propter defectum fidei internæ, internumq; Schiſma & Apoſtaſiam aliquis non eſt in Eccleſia, duo ſequentur abſurda, primum eſt, quod ſtatim, ac Paſtor aliquis ſeu Epiſcopus aut ipſe ſummus Pontifex in aliquam Hæreſim occultam incidet, omni deſtituetur authoritate, nullamq; prorſùs in Eccleſia obtinebit amplius jurisdictionem; ac proindè invalidi erunt ac nulli omnes actus, qui à vera jurisdictione dimanare debent: quod quidem quàm ſit abſurdum, ſatis intelligitur.

Alterum abſurdum iſtud eſt, quod nemini unquam conſtare poterit, qui nam hominum cætus ſit vera Eccleſia; quomodo enim dignoſci poterit, in quibus ſit vera & interior fides? unde ſequeretur inviſibilem fore Eccleſiam. At fateor Hæreticos, Schiſmaticos & Apo-

Apoſtatas eſſe in Eccleſia imperfectè duntaxat, & quantum ad corpus ejus ſeu partem externam & viſibilem. Publicos vero & excommunicatos publicé denuntiatos nequidem ad corpus Eccleſiæ externum pertinere.



ARTICULUS III.

De notis veræ Eccleſiæ.

Nomine notæ ſeu notionis intelligunt Theologi quandam proprietatem rei alicui ita propriam, ut per eam & ipſa cognoſcatur, & a quolibet alio ſecernatur: ſic vg. in Divinis, Paternitas primæ convenit perſonæ & ſoli, hinc illam deſignat, & ab aliis perſonis ſecernit. Dum ergo agimus de notis veræ Eccleſiæ, inveſtigamus certa ſigna, ex quibus colligere poſſimus aliquem cætum veræ Eccleſiæ rationem habere. Alio modô hic procedendum cum iis, qui S. Scripturas rejiciunt, cum iis enim procedimus per rationem proponendo eis motiva credibilitatis, quibus quisq; lumen rationis ſequens mo-

moveri debet, ut credat hanc Ecclesiam esse veram, quam tot ac tanta motiva suadent; alio modô cum Hæreticis, cum iis enim agendo per scripturas demonstramus, veram Ecclesiam habere certos characteres & notas, quibus dignoscatur, atq; eas soli Rom: Ecclesiæ convenire.

Munus ergo harum notarum est, non ut Ecclesiam reddant in se evidentem, alias ab omnibus agnosceretur, nec esset objectum fidei, sed ut reddant Ecclesiam evidenter credibilem, ita ut sit evidenter credibile Ecclesiam cui illæ notæ conveniunt, esse veram Ecclesiam. Ergo.

§. I.

An & quæ sint notæ veræ Ecclesiæ?

Dico. Quatuor potissimum sunt veræ Ecclesiæ notæ, quod sit *una*, *Sancta*, *Catholica* & *Apostolica*. Sic Concil: Constantinopolitanum in Symbolo *Credo - - - Et unam, Sanctam Catholicam* & *Apostolicam Ecclesiam.*

Vera Ecclesia est una.

Juxta illud 1. Corint: 12. *In uno Spiritu omnes nos, in unum corpus baptizati*

ti ſumus. Ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus DEUS & Pater omnium.* Optatus Milev. lib: 1. *Sponſus* Chriſtus, *eſt unius Eccleſiæ, ſicut in Canticis Canticorum ipſe teſtatur, qui cum unam laudat, cæteras damnat.* Idem probant parabolæ art. præc. allatæ. S. Cypr: lib: de Unit: Eccleſiæ & Epiſt: 76. S, Auguſt. in ſuis operibus contra Donatiſtas. Inſuper Eccleſia vera debet eſſe una unitate concordiæ, & conſenſionis in eundem finem ultimum, & in eadem media ad illum, in eadem, Sacramenta, eundem cultum, eadem præcepta ad ſalutem neceſſaria, alias eſſet domus conſuſionis, contentionis & ſchiſmatis. *2dò.* una unitate ordinis, ſeu diſpoſitionis ordinatæ plurium ſub eodem regimine unius capitis *unum ovile, unus Paſtor* Joan: 10.

Vera Eccleſia Sancta.

1mò. Dicitur Sancta, ratione Capitis & Sponſi Chriſti, qui eſt Sanctus Sanctorum. *2dò.* quia conſecrata eſt Deo, cujus ſupremum reſpicit cultum, & ipſius promovet honorem. *3tiò.* quia in ea doctrinæ & Sacramentorum re-

reperitur ſanctitas. *4tò.* quia extra illam nulla ſalus, nulla ſanctitas, quæ in materia fidei & morum conſiſtit.

Vera Eccleſia eſt Catholica ſivè Univerſalis.

Chriſtus fundans Eccleſiam ſuam Apoſtolis Act: cap: 1. ait: *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem & in omni Judæa & Samaria, & uſq; ad ultimum terræ.* Vera ergo Eccleſia univerſalis eſt *1mò.* ratione loci, quia eſt per totum orbem diffuſa: *Euntes in mundum univerſum.* Math: 16. *2do.* ratione conditionis perſonarum, quia cujusq; conditionis homines Judæos, Gentiles, cujuscunq; etiam nationis ad ſe vocat, & accedentes complectitur. *Poſtula a me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſal: 2. *Redemiſti nos DEO in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua & populo, & feciſti nos DEO noſtro Regnum* Apoc: 5. *3tiò.* ratione durationis quoniam ad finem ſæculi eſt duratura: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque; ad conſummationem ſæculi.* Math: ultimo. *4to.* ratione doctri-

næ, quia docet, quæcunq; sunt credenda, facienda, & vitanda.

Vera Ecclesia est Apostolica.

Ratione scilicet originis & successionis non interruptæ, quia *1mò.* fundata est a Christo, qui ad Hebr: 3. dicitur: *Apostolus confessionis nostræ.* *2dò.* quia ab Apostolis est propagata & firmata, atq; ab eis derivata, usq; nunc perseverat. Hinc fit quod Christus est fundamentum Ecclesiæ primarium, juxta illud 1. Corinth: 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus JESUS;* Apostoli autem fundamentum secundarium, & ideo fideles dicuntur, *superædificati super fundamentum Apostolorum* Ephes: 2. Hanc notam veram dignoscendi Ecclesiam passim urgent Patres, *Tertullianus* lib: de Præs: cap: 32. *Si quæ,* ait, *Ecclesiæ audent interserere se ætati Apostolicæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ab-*

ab Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint habuerit Athorem & Antecessorem.

§ II.

Cui Ecclesiæ hæ quatuor notæ conveniunt?

Dico: Hæ quatuor notæ soli Romanæ Ecclesiæ conveniunt, non sectis Hæreticorum.

Prob: Quo ad 1. P. Sola Ecclesia Romana est una unitate consensionis in in ultimum finem, & in eadem media, nempe eandem fidem, eadem Sacramenta, eundem cultum &c. unum supremum Pastorem Rom: Pontificem tanquam visibile Ecclesiæ caput, & a Christo institutum in terris Vicarium agnoscit & veneratur; ergo. *Ant: per se patet*, nec a Novatoribus potest negari: Omnes enim Romano-Catholici eosdem articulos credunt, septenarium Sacramentorum numerum confitentur, Rom: Pontificem ut visibile Ecclesiæ caput, & Christi in terris Vicarium agnoscunt & venerantur.

Prob: Quo ad 2. P. Sola Ecclesia Rom: habet notam sanctitatis 1. Quia

est sancta ratione sui capitis Christi, aliorum suorum fundamentorum, nempe Apostolorum, eorumq; Successorum, nec non SS. Patrum, qui illam adversus hæreses defenderunt; & Martyrum, qui sanguine suo eandem sigillarunt. *2do.* Est sancta ratione finis, scilicet cultûs Divini, cui tota consecratur; ratione Sacramentorum, Legum, Sacrificiorum, Cæremoniarum, quæ omnia sanctitatem spirant. *3tiò.* Ratione doctrinæ; nec enim unquam falsum docuit, sed solummodo ea, quæ in sacris literis, & traditionibus continentur. *4tò.* Est sancta sanctitate vitæ, morum ac bonorum operum, quæ omnia Christus Dominus in sua Ecclesia requirit: *Christus enim passus est, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Tit: 2. Siquidem Rom: Ecclesia negat solam fidem ad salutem sufficere, excitat omnes ad observandam legem Divinam, quam observatu possibilem, & Divina adjuvante gratia facilem esse docet; commendat omnibus exercitium bonorum operum; suadet Evangelica consilia, qui-

bus

bus ad ſublimem ſanctitatis gradum pervenitur. Adde in hujus ſanctitatis confirmationem innumera miracula a Chriſto & Apoſtolis patrata, ac in S. Scripturis relata, deinde ea, quæ operati ſunt viri ſancti & Apoſtolici, quæq; referunt *Tertullianus* lib: ad Scapulam cap: 4. & Apol: 2. cap: 5. *Euſeb:* lib: 5. Hiſt: cap: 5. S. *Baſil:* lib: de Spiritu S. cap: 29. *S. Hier:* de Viris illuſt: *Aug:* lib: 22. de Civ: cap: 8. & alii tam exacte, ut proinde non sine impudentia & temeritate falſitatis argui poſſint.

Prob: Quò ad 3. p. Eccleſia Rom: eſt Catholica ſeu univerſalis, & quidem ſi nomen ſpectetur, Rom: Eccleſia *Catholica nominatur non ſolùm a ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis* ait S. *Aug:* de vera Relig: cap: 7. Imo ſenſus & conſenſus totius orbis ſtat pro Eccleſia ſubjecta Sedi S. Petri, quod ipſa uti nominatur, ſic ſit Catholica. *1mò.* Ratione loci, quia eſt per totum orbem diffuſa: *fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo*, ait Apoſt: ſcribens Romanis. *2dò.* Ratione hominum ſalvandorum,

ſiquidem nullus, qui extra Eccleſiam Rom: mortuus eſt, poteſt afferri, qui ſalutem ſit conſecutus. *3tiò*. Ratione durationis, quia a Chriſto fundata viciſſitudines equidem varias ſubjit, ſed in mundi finem durabit.

Prob: Quòad 4. p. Sola Eccleſia Romana eſt Apoſtolica. 1*mò*. Quia a Chriſto Domino ſupra Petrum tanquam petram ædificata eſt, contra quam portæ inferi non prævalebunt. 2*dò*. Eccleſia Romana eſt Apoſtolica ratione ſucceſſionis non interruptæ Paſtorum ſuorum ab Apoſtolis. Unde S. Aug: jam citatus ait: *Tenet me* (in Eccleſia Romana) *ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves Dominus commendavit, uſq; ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum*. Hinc Epiſcoporum ac Paſtorum ſucceſſionem in Eccleſia Dei ita neceſſariam affirmat. S. *Hier*: in Dialogo contra Luciferianos, ut ſine illa Eccleſia ſubſiſtere non poſſit. *Eccleſia*, ait, *non eſt quæ non habet Sacerdotes*, id eſt; legitimos, ratione canonicæ ordinationis & ſucceſſionis. Hinc S. Auguſt: contra Epiſt: Fundamenti exclamat:

mat: *O! infelix anima cui te committis, cur non potius te subdis Evangelicæ veritati ab ipsis Apostolorum temporibus, usq; ad hæc nostra per successiones legitimas commendatæ?* 3tiò. Romana Ecclesia est Apostolica ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ. Porro Ecclesiam priorum sæculorum fuisse Apostolicam, & Apostolorum tenuisse doctrinam, fatentur hæretici. Ipsis ergo incumbit probare & ostendere, quandonam hæc tam notabilis mutatio facta est? Quod est illud dogma, quod proponere cæpit Romana Ecclesia, antea non creditum? Quis illius mutationis Author? Quis locus? quod tempus? quos habuit Adversarios & Impugnatores? Hæc nobis ostendant Hæretici in Ecclesia Romana. Quoties aliqua hæresis serpere incepit, mox se opposuêre Catholici, & nedum scriptis verum etiam sanguine illam impugnarunt; & dum Roma dogmata Apostolicæ doctrinæ adversa propalaret, nova Sacramenta fingeret, totus mundus quasi gravi sopore correptus siluisset! Quis credet?

Con-

Confirmantur, hæc omnia: Ecclesia Romana in prioribus Sæculis, adhuc tempore Concilii Constantinopolitani I. in quo assignatæ sunt quatuor notæ veræ Ecclesiæ, erat vera Ecclesia Christi, & competebant illi præfatæ quatuor notæ, ut fatentur Hæretici; atqui vera Christi Ecclesia deficere non potest, ut dicetur; ergo.

Quòd autem prædictæ notæ Sectis Hæreticorum non conveniant deducitur. *1mo.* Quia *1.* non habent unitatem in credendis fidei articulis, siquidem v. g. Lutherani, Calvinistæ. *&c.* in una civitate aliter credunt, quam in alia; imo in una civitate una domus aliter credit quam alia; quod majus est, in una domo subinde tot sunt fides diversæ; quot sunt capita. Nec mirum; quia 2. non habent, nec agnoscunt in terris Vicarium Christi, cui obediant tanquam regulæ, in decidendis ac proponendis fidei articulis infallibili; hinc fit quod quisq: juxta privatum Spiritum credat, quod placet. *3.* Non habent unitatem in iisdem Sacramentis, siquidem ipse Lutherus jam unum adstruit lib: de

Ca-

Captiv: Babil: deinde ibidem ponit tria, Baptiſmum, Panem & Pænitentiam; tandem concludit tantum eſſe duo, Baptiſmum & Euchariſtiam. Confeſſio Auguſt: art: 3. aſſerit tria; alii demum plura, alii pauciora admittunt, & hæc adeo nota & evidentia ſunt, ut ita dicam, palpando inferri poſſit, Sectas Hæreticorum non habere unitatem, quæ eſt nota veræ Eccleſiæ Chriſti, adeoq; non ſunt vera Eccleſia Chriſti.

2dò. Non habent ſanctitatem *1.* ex parte ſuorum Authorum; ipſi namq; eorum ſequaces ultro fatentur Lutherum, Zwinglium, Calvinum multis flagitiis inquinatam vitam duxiſſe. Nota ſunt orbi, Lutheri ambitio, ſuperbia, apoſtaſia, maledicta, ſacrilegia *&c.* Idem dicendum de Zwinglio; qui verò peſſimam vitam Calvini cupit noſſe, legat *Hieron*: Bolſecum, & *Florimundum* Remundum é Calviniano Catholicum. 2. Non habent ſanctitatem miraculorum, niſi quis miraculum dixerit, quod Calvinus *Brulæum* ex vivo fecerit mortuum, apud Bolſecum in vita Calvini. Hinc merito in Diatribe de libero Arbit: ait Eraſmus *Nullus eo-*

rum

rum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. 3. Non habent ſanctitatem doctrinæ; nam ſectariorum doctrina continet multa dogmata falſa, vg. mandata Dei eſſe ſervatu impoſſibilia, ut dicebant *Anomiani.* Cum *Simonianis* docent, bona opera eſſe inutilia; cum *Novatianis* nullum eſſe Pænitentiæ Sacramentum præter baptiſmum; cum *Donatiſtis*, Eccleſiam defeciſſe; cum *Arianis* non eſſe orandum pro mortuis; omnem auſteritatem, jejunia, vota nihili habenda cum *Joviano*, & *Vigilantio*; imo nullum eſſe peccatum quod homini noceat, præter infidelitatem, qua quidem viâ (ait *Dubravius*) Lutherus brevi temporis ſpatiô totum illum terræ angulum, in quo verſabatur, fidefragis, perjuris, adulteris, incæſtuoſis, & ſacrilegis implevit; ut Lutherani cæteriq; Sectarii hoc opere teſtentur manifeſtè, quod aureis ſane verbis elocutus eſt Auguſt: *Non ex aliis* , ait, *hominibus fiunt hæretici, quam ex iis, qui in Eccleſia ſi permanſiſſent, propter vitæ turpitudinem nihilominus periiſſent.*

3tio. Non habent Catholicitatem. 1. Non habent ratione perſonarum, quia

ad

ad ſe non omnes vocant, cum prætendant quemq; in ſua Secta poſſe ſalvari. 2. Non ratione temporis, ubi enim ante Calvinum & Lutherum erat eorum Eccleſia? 3. Non ratione loci; latent quippe in angulo Europæ, in aliis autem mundi partibus non ſunt, aut ſi quidam in his exteris nationibus inveniuntur, habentur pro Hæreticis, & ſeductoribus. Nec mirum: *Negotium enim*, inquit Tertullianus, *non eſt hæreticis convertendi, ſed noſtros evertendi.*

4tò. Non habent Apoſtolicitatem. 1. Non habent hoc ratione doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ; ſiquidem diſſeminant errores, quos vetus Eccleſia Apoſtolica damnavit, ut jam dictum; & ſæpé Calvinus lib: 3. Inſtit: cap: 4. & 5. fatetur de ſatisfactionibus, de Cælibatu Sacerdotum, de oratione pro mortuis, de jejunio Quadrageſimæ. 2. Nec ratione ſucceſſionis Apoſtolicæ in ſuis Paſtoribus, cui enim ſucceſſit Lutherus? cui Calvinus? Unde meritò dicimus ipſis cum Tertulliano lib: 1. Præſcrip: cap: 32. *Edant origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum*

rum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit Auctorem & Antecessorem. Certé retrogradiendo pervenient ad Jovinianum, Vigilantium, Aetium, Simonem Magum & alios, qui cum Apostolis non perseverarunt. 3. Nec ratione missionis legitimæ in suis Pastoribus. Hæc enim esset vel ordinaria, vel extraordinaria; non ordinaria, a quo enim eam habuissent? Non ab Ecclesia Romana, quando ab ea recesserunt; quia protunc vel defecit, & fuit hæretica, & sic non erat vera Christi Ecclesia, perconsequens caruit authoritate mittendi; vel non erat hæretica, & sic Sectarii sunt Schismatici, Hæretici, & Excommunicati, atq; ideo omni Authoritate regendi Ecclesias privati quàm in Ecclesia habere potuerunt. Aliam societatem vel Ecclesiam, a qua habuerunt missionem ordinariam ostendere non possunt. Non etiam habuerunt missionem extraordinariam; hæc enim vel in scripturis exprimi debet, vel miraculis probari;

qua-

qualis fuit miſſio Moyſis, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum eius; atqui neq; in Scripturis expreſſa habetur, neq; miraculis comprobata hucuſq; fuit miſſio Lutheri & Calvini, cum nullus eorum extiterit, qui vel equum claudum ſanare potuerit, ut mox dictum ex Eraſmo; ergo.

Dico 2. Sedes Romana eſt centrum unitatis Eccleſiæ Chriſti ita ut non poſſit eſſe una abſq; ſubordinatione & dependentia a ſupremo ejus capite Romano Pontifice.

Prob: ex SS. PP. S. Irenæus lib: adverſus Hær: cap: 3. dicit. *Ad hanc Eccleſiam Romanam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam; hoc eſt: omnes, qui ſunt undiq; fideles*. S. Cyprianus lib: de Unit: Eccl: *Exordium ab unitate proficiſcitur, & Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtratur*. Optatus Milev: lib: 2. contra Parmenionem: *Negare non potes, ſcire te in Urbe Roma Petro primo cathedram epiſcopalem eſſe collatam - - - in qua una Cathedræ unitas ab omnibus ſervaretur, nec cæteri Apoſtoli ſingulas*

gulas sibi quiq; defenderent, ut jam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.

Petes. Cur ad unitatem Ecclesiæ non sufficit adhærere soli Christo ut capiti?

Resp: Equidem Christus est caput Ecclesiæ sed invisibile; cum autem Ecclesia sit corpus visibile, requiritur, ut habeat caput visibile.

§. III.

Objectiones Hæreticorum.

Obji: 1. Vera Ecclesia potest consistere, modo detur concordia in articulis fundamentalibus, & primariis; ergo apud illos est vera Ecclesiæ unitas *Prob*: *Ant*: Primitiva Ecclesia, quæ utiq; erat vera, perstitit, etsi Apostoli inter se non fuerint concordes; ergo.

Resp: Dist: Prob: Ant: non fuerint concordes quo ad Articulos fidei, *nego*: circa facta quædam particularia, uti an Petrus recte fecerit simulando Judaismum? an Marcus fuerit assumendus in socium Missionis Evangelicæ, *conc.* Sic Petrus, Paulus, & Barnabas discor-

des

des erant ad Gal: 2. Act: 15. Imo & si fideles se opposuerint Apostolis circa observationem Legis Moysaicæ Act: 11. quia abrogatio hujus tunc non erat definita non repugnabat unitati fidei.

Dicunt. Etiam apud protestantes reperitur concordia in credendis Articulis fundamentalibus; ergo habent sufficientem unitatem fidei.

Resp. nego ant: Determinare enim non possunt, quinam articuli sint fundamentales; cùm nec verbulô S. Scriptura distinguat inter fundamentales & non fundamentales. Item *nego* quod aliquis fidei Articulus etiam minimus relinquatur homini liber ad credendum vel non credendum; quia Deus etiam in minimis fallere non potest. Aliunde alios articulos fundamentales assignant Lutherani; alios Calvinistæ; Anabaptistæ alios, alios Sociniani; imo inter Lutheranos unus hos, alter illos, hodie tales, cras alios pro talibus habet. Imo anno 1631. in Synodo Charentonensi ex Lutheranismo & Calvinismo facta est unio, una communio, & Ec-

cle-

clesia, quamvis notum sit eos in pluribus dogmatibus dissentire, præsertim circa Eucharistiam.

Objiciunt 2. Nec Ecclesia Romana est sancta, quia in ea magna grassantur vitia; ergo sanctitas non est nota veræ Ecclesiæ.

Resp. nego Ant. Nihil enim sanctitati Ecclesiæ obest, quod in ea plurium grassantur vitia; nam ubi triticum, ibi etiam paleæ; ubi segetes, ibi zizania. Manet igitur Ecclesia sancta, esto sint in ipsa mali, quia suis fidelibus præscribit præcepta, doctrinas, & media, quibus ad veram sanctitatem pervenire possunt, eosq; ad omnium virtutum & bonorum exercitium hortatur, prohibet peccata, & scelera rigide punit. Econtra sequendo dogmata Novatorum nullus sanctitatem veram aquirere potest; cum contrarientur rationi & scripturæ; unde ne unus quidem hæreticus per tam longum tempus sanctitate conspicuus evasit, sed omnes mali fuerunt religionis vitio; econtra in Romana Ecclesia multi equidem sunt mali, sed suo, non religionis vitio; cúm plu-

plurimi etiam ſint boni probi & ſancti.

Objiciunt 3. Ideo Eccleſia Proteſtantium non foret Catholica, quia per orbem non eſt diffuſa, ſed hoc eſt falſum; ergo. *Prob: min.* In omnibus totius orbis partibus reperiuntur Proteſtantes; ergo.

Reſp: ad Prob. diſt; Ant. Reperiuntur proteſtantes neo-converſi ad ſidem, *nego;* ex Europa ſpe lucri illuc ſe transferrentes, *conc:* Affricam totam, Aſiam percurre, quos ibi invenies Proteſtantes? certe nullos præter mercatores, & mercaturæ Conſules, & alios Advenas ex arctiſſimis Angliæ, Hollandiæ & Daniæ limitibus adventitios.

Dicunt. In variis orbis regionibus etiam multi Proteſtantes neo-converſi ad ſidem reperiuntur; ergo. *Prob.* Proteſtantes Angli habent ſuos Miſſionarios in America, Dani in Indiis Orientalib9; ergo.

Reſp. 1. Nullus eorum adhuc ſanguinem in Apoſtolatu ſudiſſe legitur; nullius etiam miracula, quæ legitimæ miſſionis & Apoſtolatûs ſunt ſigna (ut ait

S. Greg. M.) audivimus. *2dò.* Dist. Ant. Habent Missionarios, qui in ditionibus Angliæ subjectis aliquos ad se alliciunt, *conc*: qui barbaris independentibus fidem annuntiant, *nego*. Ut enim supra dictum est ex Tertulliano: *Negotium non est Hæreticis convertendi, sed nostros evertendi*. Si suam Ecclesiam Catholicam esse volunt, ostendant nobis apud exteras gentes, easq; barbaras, prætensæ suæ missionis effectus, quod nunquam præstabunt. Gratis dato, quod hoc præstiterint, adhuc eorum cætus Catholici nomine reipsa insigniri non potest; eò quod ad Ecclesiam Catholicam non sola sufficiat universalitas loci, sive diffusio per orbem; sed insuper requiritur universalitas doctrinæ, quæ omnia recta, omnia sancta & credibilia complectatur, a qua quidem universalitate quam remotissimus sit cætus Acatholicorum, quis non videt? Ut sileam universalitatem temporis, quam pariter non habent cætus heterodoxi; cum originem suam ad Petrum & Christum referre nequeant.

Instant: Etsi fides Protestantium totum orbem non pervaserit hucusq; nihil obstat, ne imposterum sic dilatetur; ergo. *Prob. Ant:* Romana fides non simul, sed successive suum habuit incrementum; ergo.

Resp. Magna est disp. Quod enim per paucos annos duodecim Apostoli præstiterunt, totum mundum replendo Verbi Dei semine, hoc Protestantes plus quam per duo sæcula præstare non potuerunt; & certe si numerent ipsi tot sæcula, quot Apostoli annos, neq; etiam tunc præstabunt. Cum enim Ecclesia ipsis fatentibus jam senuerit, si eorum cætus Ecclesia est, quomodo in sua senectute crescet, quæ in sua juventute tam exilis fuit.

Replicant. Eo tempore, quo Arianorum Secta omnia miscuerat, etsi Ecclesia vera intra solius Italiæ limites, & his non plane sola fuerit conclusa, nihilominus Romanæ Ecclesiæ defensores etiam protunc Ecclesiam Romanam Catholicam permansisse prætendunt; ergo nihil oberit Ecclesiam pro te-

testantium Catholicam esse, quantumvis per totum orbem diffusa non est.

Resp. 1. Nego, quod intra limites Italiæ Ecclesia vera fuerit conclusa. Præterquàm enim, quod Italia magna ex parte saltem erat Catholicæ fidei addictissima, in omnibus mundi partibus tunc cognitis, erant homines veræ fidei cultores. In omnibus dico, non solum in Tartaria, Colchide, Armenia, Persia, India, &c. verum etiam in ipsis Provinciis Constantio summo Arianismi protectori subjectis. Erant enim quidam illo tempore, testibus S. *Athanasio & Hilario*, & sane multi, qui obscuris verbis delusi putarent, hoc credi ab Arianis, quod ipsi credebant, & hi erant veri Catholicæ fidei alumni; non pauci etiam fuerant, qui ex timore cedentes simulaté consenserunt Arianis, qui quidem graviter delinquentes, itidem sententiâ & animô veri erant Catholici; fuerunt postremò alii, numero quidem pauci respectû aliorum præsertim Arianorum, sed tamen per totum orbem more exulum ita dispersi, ut nulla Provincia Imperii Romani fuerit,

rit, in qua quam plurimi Catholicæ fidei Professores non invenirentur. Ergo. 2dó. Inverto argumentum contra Protestantes: cætus Arianorum temporibus illis etsi intantum invaluerit, ut per potissimas Imperii Romani late patentis provincias fuerit diffusus, tamen hac loci universalitate non potuit obtinere, ut vel ex hoc titulo Catholicus diceretur; ergo a pari, dato non concesso, quod Acatholicorum modernorum secta in variis orbis regionibus inveniatur, adhuc cætus Catholicus dici non potest.

Objiciunt 4. Esse diffusum per totum orbem convenit etiam falsis religionibus; ergo Catholicismus non est nota veræ Ecclesiæ.

Resp. Trans. Ant. dist. conseq. Ergó non est nota sumpta simul cum aliis notis, *nego*; seorsim, *subdist.* non est vera nota, *affirmative* quasi ibi eo ipsô detur vera Ecclesia ubi reperitur, *conc:* non est vera nota *negative*, ita ut ubi non reperiatur, nec vera reperiatur Ecclesia. *nego*. Dixi *Transeat*: nam *vg.* Ethnicismus, Turcismus, & Judaismus

revera per totum orbem diffusi non sunt; quia cum scindantur in species infimas, quasi innumeras, quò ad unam vix per integrum Regnum diffunduntur. Quod ipsum de Lutheranismo & Calvinismo dici potest, ut jam supra dictum. Hinc ad rem præclaré S. Aug: lib: de Past: cap. 8. dixit: *Ecclesiam esse ubiq; hæresim ubiq; sed Ecclesiam ubiq; eandem*, (eadem dogmata tradentem) *hæresim verò diversissimam*, nimirùm aliam hic, aliam alibi; quod verissime commendat judicium Seren: Ducis Saxoniæ *Georgii* de Lutheranis jam tum ab initio in centum sectas divisis, asserentis Lutheranos hodiernos nescire, quid crastina luce credituri sunt. Adde, hic est solum sermo de notis veræ Ecclesiæ distinctivis a sectis Christianorum seu ab Hæreticis.

Objiciunt 5. Etiamsi Ecclesia vg. Lutherana non possit ostendere successionem Pastorum ab Apostolis, nihilominus potest dici Apostolica; ergo. *Prob: Ant:* Ecclesia Christi jam tempore Apostolorum erat Apostolica, & tamen tunc nulla erat successio; ergo.

Resp.

Resp. dist: Ant. Nulla erat successio actû, erat tamen futura, *conc.* secus, *nego.* Quippe jam tunc Ecclesia Christi exigebat continuam per secutura tempora successionem Pastorum propter promissionem Christi factam, quia secuturis temporibus sine illa actuali successione non posset ostendi, quo modo moderni Ecclesiæ Præsules illam potestatem accepissent, & derivassent a Christo. Hinc ait S. Cypr. Epist. 76. ad Magnum; *Pastor haberi quomodo potest, qui nemini succedens, & a se ipso incipiens, alienus sit & profanus.* Talis est Lutherus.

Objiciunt 6. Missio Divina deest Pontificibus Romanis, & Romanæ communionis Episcopis; nam 1. Papa eligitur a Cardinalibus, qui sunt institutionis humanæ. 2. Episcopi plerumq; a Regibus eliguntur; ergo.

Resp: Aliud est electio, aliud ordinatio; per ordinationem non per electionem datur missio. Et licet summus Pontifex a Cardinalibus, Episcopi a Regibus eligantur; ab Episcopis tamen, qui sunt juris Divini ordinantur secundum

dum formam a Chriſto præſcriptam, vi cujus ab ipſo authoritatem accipiunt, ubi ſunt ſemel canonicè inſtituti.

§ IV.

Quid cenſendum de notis veræ Eccleſiæ, quas ſtatuunt Hæretici?

Hæretici cum videant veræ Eccleſiæ notas in Symbolo enumeratas ſuis cætibus applicari non poſſe, alias duas comminiſcuntur, nimirum sinceram verbi Dei prædicationem, & legitimum Sacramentorum uſum. Nec dubitatur apud Catholicos, an in ſola vera Chriſti Ecclesia sincera verbi Divini prædicatio, & legitimus Sacramentorum uſus reperiantur; nullus enim id jurè negare poteſt; ſed quæritur, utrum hæc duo aſſignari poſſint pro genuinis Ecclesiæ notis, quibus vera Chriſti Ecclesia dignoſci, & ab aliis Sectis diſtingui poſſit.

Reſp: Neq; sincera Verbi Dei prædicatio, neq; legitimus Sacramentorum uſus ſunt genuine Xti Ecclesiæ notæ.

Prob: Conditiones ad veram Ecclesiæ notam ſunt potiſſimum tres. *1ma* de-

debet eſſe propria non communis. 2. Debet eſſe notior Eccleſiâ. 3. Sit ſenſibilis obvia, & cognitu facilis; atqui has conditiones sincera Verbi Dei prædicatio & legitimus Sacramentorum uſus non habent; ergo. Non *1mam.* Quia nulla unquam fuit Hæreticorum Secta, quæ non judicaret apud ſuam Societatem veram eſſe doctrinam Chriſti, veraq; ejus Sacramenta reperiri; atqui fieri non poteſt ut veræ Chriſti Eccleſiæ propria sit nota illa, quam tot diverſæ Sectæ sibi vendicant. Non *2dam:* Quia vera Chriſti Eccleſia, quæ tot habet notas, nobis prius innoteſcit, quam vera Chriſti doctrina, & legitimus Sacramentorum usus; cúm non poſſit nobis innoteſcere, quæ nam ſit Scriptura S. & quænam ſint Sacramenta, niſi per Eccleſiæ authoritatem; ergo ipſa Eccleſia notior eſt, quam Verbi Dei prædicatio. Nec *3tiam.* Quia Chriſti doctrina, ex qua ſola habemus numerum Sacramentorum, eſt humanæ menti impervia, nec omni hominum generi accomodata; cúm de ea ejuſq; ſenſu tot graves concertationes, inter ipſos doctiſſimos oriantur,

ut

ut mittam Novatores; sic Calvinus admittit Epistolam ad Hebræos, etsi dicat non esse Pauli fætum, Epistolas Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis, Apocalypsim, quos tamen libros rejicit Lutherus; ergo.

Dices: Per veram Christi doctrinam & legitimum Sacramentorum usum semper vera Ecclesia secernebatur a falsa Secta; ergo.

Resp: Nego Ant. Ut enim dicit S. Aug. lib. 3. contra Petilianum cap. 5. *Nullus prædicans nomen Christi & gestans ac ministrans Sacramentum Christi sequendus est contra unitatem Christi.*



ARTICULUS IV.

Utrum vera Christi Ecclesia debeat esse visibilis?

Quæstio hic procedit de Ecclesia Christi universali, & tota (nam quo ad Ecclesias particulares nullum est dubium) fueritne, aut saltem aliquando esse possit tam occulta, ut pauci duntaxat, illiq; aliis incogniti reperi

ri

riantur veram Christi fidem profitentes? Affirmant miseri Novatores, & hoc ideo, ne si Ecclesiam visibilem indefectibilemq; admitterent, cogerentur ostendere suos proximos Antecessores, qui fuissent in vera visibili Christi Ecclesia; non possent autem alios nominare, quam Catholicos, qui ante ipsos fuerunt, & consequenter fateri deberent, Ecclesiam Catholicam, a qua ipsi per Apostasiam defecerunt, fuisse & esse veram Christi Ecclesiam, quod cúm facere nolint, audacter scindunt nodum dicentes, semper quidem fuisse veram Christi Ecclesiam, sed invisibilem, & semper veros aliquos Evangelicos, suæ Sectæ professores fuisse, sed occultos latuisse, soli Deo cognitos. Contra quos.

Dico: Fides Catholica docet, veram Christi Ecclesiam debere esse visibilem.

Prob: 1. Illa Ecclesia necessario & semper debet esse visibilis, in qua Episcopi & Pastores visibiliter debent gubernare suos subditos, visibiliter docere, Sacramenta administrare, peccantes corrigere, contumaces ab aliorum commu-

mu-

munione ſeparare; & viciſſim in qua ſubditi debent agnoſcere ſuos Paſtores, eorum mandatis morem gerere, Sacramenta ab eis percipere &c. atqui hæc ſemper fieri debent in vera Chriſti Ecclesia; ergo. *Min. Prob.* ex S. Script. Act. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Math. 18. *Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Prob. 2. Tum quia omnes ſub æterna maledictione. tenentur ſe adjungere veræ Chriſti Ecclesiæ; atqui si fuiſſet invisibilis, nullus eam cernere, nullus eam reperire, & conſequenter nullus pro illo tempore potuiſſet ſalvari; contra illud Apoſt. 1. ad Tim. 2. dicentis de Deo. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Tum quia si vera Chriſti Ecclesia facta eſt invisibilis; ergo defecit vera Dei Ecclesia; cum hæc a principio juxta ipſos fuerit visibilis; poſtea facta invi-

si-

sibilis, & conſequenter etiam Hæretici meritò dubitare & timere deberent, ne etiam ipſorum Ecclesia facta sit invisibilis, & defecerit, ipsis non advertentibus, & proinde non sit amplius vera Ecclesia; sicuti ipsi fingunt Ecclesiam Catholico-Romanam fuiſſe visibilem, & defeciſſe non advertentibus Catholico-Romanis.

Objic: 1. Lucæ 10. dicitur. *Regnum Dei non venit cum obſervatione ;* atqui Ecclesia Chriſti eſt Regnum Dei; ergo Ecclesia Chriſti non venit cum obſervatione, ergo non eſt visibilis.

Reſp. Non ubiq; Regnum Dei idem eſt ac Ecclesia, uti nec ibi Luc. 17. ſed intelligi debet de adventu Chriſti, qui tam humilis fuit, ut ab hominibus obſervatus non fuerit, ut patet locum consideranti.

Dices: S. Scriptura comparat Ecclesiam 1. *Theſauro abſcondito.* 2. *Lunæ* quæ ſæpe redditur invisibilis; ergo juxta Scripturam Ecclesia non eſt visibilis.

Reſp. Comparatio eſt quòad aliqua tantum. 1. Ecclesia comparatur *theſau-*

ro *abſcondito* non ideo, quia latet; ſed ideo, quia inventa delectat, & ditat, ut theſaurus inventus, qui inventori prius erat incognitus, *2dò.* comparatur lunæ, non ideo quasi aliquando obſcuretur tota, ac reddatur invisibilis; ſed 1. Quia habet ſuum lumen doctrinæ, & ſanctitatis a Chriſto, sicut luna a ſole habet lucem. 2. quia ex parvo initio crevit in magnam fidelium congregationem, ut videmus creſcere lunam. 3. quia patitur viciſſitudines ſuas, nimirum pacis & perſecutionis, ut luna ſuas; nam non omni tempore eſt æqualis ſplendor Ecclesiæ, ſed etiam aliquo modo obſcurari, ſecundùm aliquam ſui partem infirmam; & quasi ſuas pati eclipſes poteſt; non tamen ita, ut videri & dignoſci exterius nequeat amplius, ſed ſemper ejus lux penetrat nebulas & nubes perſecutionum; eo enim ipſo, quod perſecutiones patitur ab Hæreticis, visibilis eſſe debet, cum Hæretici id, quod eſt invisibile perſequi directe non poſſint.

Inſtabis cum *Brentio.* Id, quod credi debet, non eſt visibile, ſed Ecclesia credi-

di debet; ergo. *Maj. pat.* Quia *fides est argumentum non apparentium.* Hebr. 11. *Min:* videtur certa ex Symbolo Apostolico: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.*

Resp. 1. Retorqueo. Id quod credi debet est invisibile, sed baptisma Christianorum credi debet; ergo non est visibile. *2dò:* Nego maj. Sunt enim aliqua, quæ & fides docet & experientia visibilis ostendit. Hinc *3tiò:* dist. maj. Id quod credi debet secundùm eam rationem, secundùm quam creditur, non est visibile, *conc.* Secundùm quam non cadit sub fidem, *nego. Dist: min.* Sed Ecclesia credi debet secundùm rationem suam Spiritualem & supernaturalem, *conc.* secundùm rationem externam, physicam & naturalem, *nego.* Sic etiam de baptismo dicendum. Sic & Christus videbatur quidem, secundùm quod homo quilibet videri potest, sed fuisse illum ipsum, quem Prophetæ prædixerunt, Messiam, & incarnatum Verbum, profectò sola fide percepit Petrus Math: 16. & non ex carne & sanguine.

Subsumes: Atqui Ecclesia Christi tota

ta eſt inviſibilis. *Prob*: Eccleſia de qua hic loquimur eſt militans; ergo.

Prob: *conſeq*: Eccleſia militans exercet militiam ſpiritualem adverſus hoſtes invisibiles; ergo.

Reſp: Diſt: 2. Prob: Exercet militiam ſpiritualem adverſus hoſtes inviſibiles ſolos, *nego*. Etiam viſibiles, quales ſunt caro & mundus, & quidem per arma etiam ſenſibilia, qualia ſunt Sacramenta, opera bona externa, *conc*. Eo modô homo non eſt ſimpliciter inviſibilis, etſi quòad animam inviſibilis ſit.

Objic: 2. Textus Scripturæ in probatione allati loquuntur tantum de viſibilitate Eccleſiarum particularium; ergo ex illis minime deducitur, quòd etiam Eccleſia univerſalis, de qua ſola hic quæſtio debeat eſſe, viſibilis.

Reſp: Trans: Ant: Nego conſeq. Nam ſi Eccleſiæ particulares non poſſunt eſſe inviſibiles, multominus inviſibilis eſſe poterit Eccleſia univerſalis, quia quales ſunt partes, tale totum ſit, neceſſe eſt. Et licet particulares Eccleſiæ poſſint omnino deficere & in erro-

rores labi, non tamen possunt reddi invisibiles, & simul perdurare, & esse partes veræ Ecclesiæ, seu, universalis; quippe ille cætus, qui desinit exterius profiteri fidem, rite usurpare Sacramenta, obedire legitimo capiti, desinit pariter esse Ecclesia particularis, seu esse pars Ecclesiæ universalis.

Objic. 3 Ad Hebr: 12. Ecclesia dicitur mons inaccessibilis & intractabilis; ergo invisibilis.

Resp: Cum Theophilacto Apostolum loqui de Ecclesia triumphante, ut patet ex contextu.

Objic: 4. Professio exterior fidei, Sacramentorum administratio, & alia quæ exhibent Ecclesiam visibilem non sunt necessario connexa cum fide, ut patet in Hypocritis, proinde fidem interiorem non manifestant; ergo.

Resp: Dist: Ant: Fidem interiorem non manifestant in aliquibus particularibus, *conc:* in corpore Ecclesiæ, *nego.* Etsi enim certum non sit, an hic vel ille qui fidem exterius profitetur, quod illam intus habeat; est tamen indubitatum, non ratione connexionis natu-

ralis, ſed ex ordinatione Divina, quod vera fides ſit in eo corpore, ſeu ſocietate, quæ fidem exterius profitetur, & habeat certas notas, quod ſit vera Chriſti Eccleſia. Nec.

Inferas: Ergo poteſt etiam videri cætus Prædeſtinatorum. Nam.

Reſp: Nego 1. Quia nunc non datur cætus Prædeſtinatorum ſolorum in unum coadunatus, eſt enim in hac vita triticum mixtum paleâ, ſegetes zizaniis. 2*do*, Dato ſuppoſito, adhuc *nego*: Quia non ſunt certæ notæ cætum Prædeſtinatorum diſtinguendi, ſicut ſunt dignoſcendi Eccleſiam ſeu cætum fidelium.

Petes: Utrum viſibilitas competat ſectis Hæreticorum?

Reſp: Non competere eo gradû, quô competit Eccleſiæ Chriſti, quia 1*mò*. non ſunt toti orbi conſpicuæ, cum in angulis Europæ lateant. 2. Neq; ſemper fuerunt viſibiles; ante Lutherum namq; & Calvinum ubi videbantur? 3. Neq; inſigniora in eis habentur ſigna ſicut in vera Chriſti Eccleſia, vg. perpetua & imperturbata ſucceſſio ſuo-

rum

rum Pontificum, congregatio Conciliorum, ejectio hæreticorum &c.

CONSECTARIUM.

1mum. Acatholicos, qui fingunt veram Christi Ecclesiam circa tempora S. Gregorii M. fuisse factam invisibilem, & in paucis occultis veris Evangelicis latuisse, usq; ad prætensæ reformationis tempora factæ a Luthero, dirè torqueri & vexari; dum obligantur edicere & ostendere, ubi nam per illos mille & amplius annos pauci illi Evangelici (in quibus tunc consistebat Ecclesia invisibilis) latuerint? Quod cum per bina jam sæcula provocati facere nequeant, miserè fingendo, se & alios continuò fallunt, ac tandem perdunt. Nam occulti illi fideles vel profitebantur exterius suam fidem, quam gerebant in animo? & tunc Ecclesia non fuit invisibilis; cùm ex ista professione externa possit dignosci cætus fidelium; vel non profitebantur, sed communicabant cum infidelibus (qui juxta Novatores erant Catholici priores) in externo religionis

exercitio, nimirum in uſu Sacramentorum, jejuniis, celebratione Feſtorum &c. Et tunc fuerunt meri hypocritæ, homines perfidi, & ſalutis incapaces, juxta illud Chriſti Math: 10. *Omnis qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et aliunde: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Rom: 10. Proinde in his non potuit conſiſtere vera Eccleſia.

Nec dicas: Quod quilibet ex membris Eccleſiæ illius inviſibilis, fuerit ſolus & ſeparatus ab omni alio, & elicuerit confeſſionem fidei internam. Nam hoc effugium manifeſte vanum eſt, nec ſtarè poteſt, ſi novatores velint eſſe Viri cordati; talis enim ſolus & ſeparatus utiq; debet inſtrui in véra fide ſaltem primitus (quoniam *fides ex Auditu* Rom: 10.) *vg.* filius a ſuo parente, debuit baptizari, & provideri aliis Sacramentis neceſſariis &c. quod non potuit fieri ſine externa profeſſione fidei; fit conſequens, vel hoc ipſô Eccleſiam non manſiſſe inviſibilem. Maximè quia illa ipſa ſeparatio a commu-

munione externa cum infidelibus, ut vocant Catholicos, eſt ſufficiens profeſſio fidei, uti fuit apud tres Pueros Babylonicos, ſtatuam Nabuchodonoſoris adorare nolentes; ergo Eccleſia etiam Lutheranorum vg. manſit viſibilis; ergo debent oſtendere ſuos proximos Anteceſſores, qui fuerunt in Vera Eccleſia Chriſti, & quia alios nominare non poſſunt, quam Catholicos, a quibus ſe ſepararunt, fateri debent Eccleſiam Catholicam, a qua ipſi defecerunt, fuiſſe & eſſe veram Eccleſiam.

2dum. Multominùs veram Chriſti Eccleſiam poſſe ita deficere, ut penitus extinguatur, nullo prorſus fidelium cætû relicto; ſed duraturam uſq; ad finem mundi, adeoq; eſſe perpetuam & quidem neceſſariò. *Ratio*: Quia extra veram Eccleſiam nulla ſalus, nam *ſine fide impoſſibile eſt placere DEO.* Hebr: 11. Hinc & ſalvari impoſſibile eſt niſi qui Deum colat eô modô, quô vult coli. Inſuper ſecundùm ſuaves Divinæ Providentiæ leges, in hominum poteſtate debet eſſe, quod poſſint ſalvari

omni tempore, usq; ad finem mundi; quoniam Deus eos creavit ad felicitatem æternam, proinde debet illis providere de medio, quod est vera Ecclesia; consequenter hæc semper debet perdurare in mundo; proinde illa, quæ aliquando fuit vera Christi Ecclesia, debet talis permanere usq; ad finem mundi; & talis olim saltem fuit Romano-Catholica, juxta ipsorum Adversariorum confessionem, ideo talis debet permanere usq; ad finem mundi, præcipuè quia Christus id ei promisit Math: 16. & ult: Joan: 13. &c. *Nec obest*: quod Synagoga Judæorum tempore Christi totaliter defecerit; & abrogata sit per fidem Christi, & legem Evangelicam; nam hæc non habuit promissionem a Deo de sua permanentia usq; ad finem mundi, ut habet Christi Ecclesia. Insuper Synagoga fuit tantum figura Ecclesiæ Evangelicæ, proinde debuit cessare adveniente figurato. Vide *Bellarm.* lib: 3. cap: 13.

AR-



ARTICULUS V.

Utrùm vera Christi Ecclesia sit indefectibilis & infallibilis?

Quidam ex Novatoribus profitentur quidem Ecclesiam visibilem esse, omnino & absolute indefectibilem, at contendunt, sic eam obscurari posse, ac penitus extingui, ut non sit amplius visibilis. Horum suppositum impugnavimus immediate supra. Proinde hic agendum est contra eos, qui dicunt Ecclesiam prout comprehendit reprobos & prædestinatos, & deficere, & fallere posse. Quæstio igitur est, utrum Ecclesia sit infallibilis in credendo & docendo, sive quod idem est, utrum Ecclesia habeat infallibilitatem tam passivam, quam activam.

Dico 1. Ecclesia Christi visibilis non potest deficere aut errare in rebus fidei & morum credendis.

Prob: 1. P. Ecclesia est Christi Sponsa quam sibi in sempiternum desponsavit, ut dicitur Oseæ 2. *Sponsabo te mihi*

hi in sempiternum. Item vocatur Regnum, quod durabit in æternum: *In diebus autem Regnorum illorum, suscitabit DEUS cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Dan. 2. Præterea vir sapiens in Evangelio describitur is, qui ædificavit Domum suam supra petram; atqui Christus est vir Sapiens, qui Ecclesiam suam super Petram ædificavit, contra quam nec portæ inferi prævalebunt, Mat: 16. Imo quando Synagogæ in Veteri testamento promissa legitur æternitas, principaliter referri debet ad Ecclesiam Christi; cum illa fuerit tantum umbra & figura illius; neq; Synagoga, cui factæ sunt promissiones perennitatis, periit quò ad fidem in Christum Redemptorem, sed in melius mutata fuit. Ergo.

Confir: In Symbolo Apostolico *credimus Sanctam Ecclesiam Catholicam*, qui proinde articulus debet esse verus omni tempore usq; ad finem mundi, quia ad finem mundi debemus hunc sicut reliquos fidei articulos credere. Aliunde si Christi Ecclesiam everterent ejus hostes,

ſtes, id Chriſto illius Sponſo, Fundatori & Conſervatori foret probroſum.

Prob: 2. *P.* Eccleſia eſt Chriſti corpus ad Ephes: 5. ergo a capite ſuo regitur; atqui ſi erraret in rebus fidei & morum credendis, non jam ad alium quam ad Chriſtum hic error referri poſſet; ergo. *Sequ:* 1. *patet.* Nam Spiritus veritatis eſt hujus corporis anima, *unus,* ait Apoſt: ad Ephes: 4. *Spiritus, unum Corpus.* *Sequ:* etiam 2. *conſtat:* Quod ſi enim Spiritû veritatis Eccleſia agitur, ad errorem quomodo poterit moveri? Præclaram deinde habet promiſſionem Eccleſia, quod nunquam ſit à Chriſto deſerenda, imo quod in omnem ſit ducenda veritatem, Joan: 14. Nec.

Dicant: Ejuſmodi Verba de ſolis Apoſtolis eſſe intelligenda. Nam etiam ad ſucceſſores referri debere, illa ſatis indicant: *Qui maneat vobiſcum in æternum,* ibidem: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi* Math: ult: Hinc confutata manet altera Hæreticorum reſponſio, dum ajunt Eccleſiam quidem primitivam in fide errare non potuiſſe; at Eccleſia quæ

nunc

nunc eſt, & erit, errare poterit. Quoniam pollicitationes Chriſti de præſentia ſua, de Spiritu veritatis, de regno æterno, de corpore, cujus ipſe futurus erat caput, non ad Eccleſiam modò, quæ fuit tempore & immediaté poſt tempora Apoſtolorum, verùm etiam ad Eccleſiam Catholicam, quæ futura erat in finem ſæculi, pertinere, neceſſum eſt, ut jam dictum. Sed.

Replicant. Eſto Eccleſia univerſalis, id eſt, collectio omnium fidelium hunc veritatis Spiritum ſempiternum habeat, qui proinde illi aſſiſtat, eam dirigat, ne in errorem labatur; nullo tamen modô hoc privilegium extendi etiam debet ad ſolos Eccleſiæ Principes & Paſtores, ut docent Catholici. At antequam refutetur hæc replica, de qua plura infra.

Notandum. Eccleſiam non ipſam modò Catholicorum omnium concionem ſive collectionem eſſe, quæ per baptiſmum Chriſto & nomen dedit, & peculiaris reſpubl: conſecrata eſt; verum etiam Principes & Præfectos ipſos, Epiſcopos ſcilicet, in quibus reipubl: hujus

hujus authoritas potiſſimum reſidet; nec hoc ſine ſcripturæ teſtimonio aſſerimus. Nam præterquam quod communi omnium opinione civitas id maxime eſt, quod in ea eſt principale, ita ut quod Principes ac Gubernatores Civitatis faciunt, id tota civitas facere dicatur; hujus rei in Scripturis S. illud exemplum luculentiſſimum eſt 3 Regum 8. *Congregati ſunt omnes majores natu Iſràël cum Principibus tribuum, & Duces familiarum in Jeruſalem - - - convertitq; Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſràël.* Simile legimus Exodi 19. cap:

Contra. ex illo Apoſt: ad Epheſ: 4. *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos &c in ædificationem corporis Xti donec occuramus omnes in unitatem fidei* &c. *ut jam non ſimus parvuli fluctuantes.* Ex quo ſic. Si Paſtores ac Doctores huc, atq; illuc errarent, a rectoq; fidei tramite diſcederent, oves profecto etiam ipſæ errarent, nec aliter quam ſine Paſtore diſperſæ vagarentur. Neq; enim fieri poteſt, ut membra reliqua eo non deferantur, quò & oculi ſuam vim, & aciem intenderunt, & caput ſeſe inclinando defle-

flexerit. Ergo ſi Paſtores ſimul omnes a veritate diſcederent, oves ſuas Chriſtus, vel maximé deſtituiſſet. Præterea ſi Paſtores omnes, in aliquo errore verſarentur, iidem omnino populum, aut de ſtatu fidei, fide enim ſtamus juxta Apoſt: moverent, aut certe nutare, vacillare, & fluctuare facerent, conſequenter domus Chriſti non eſſet *columna & firmamentum veritatis*. Adde, quædam ad doctrinam fidemq; pertinent, quæ populares prorſus ignorant, & ſolum implicité credunt, ut Patrem & Filium eſſe unum principium Spiritûs S. & alia; atqui ſi in his deficeret fides omnium Paſtorum, totius Eccleſiæ fides deficeret; ergo. Fixum ergo maneat, Eccleſiam Chriſti neq: errare, neq; deficere poſſe, nam ut ait S. Cyprianus lib: de Unit: Eccl: cap: 5. *Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt, pudica eſt.* S. Aug: lib: 1. de Symbolo cap: 6. *pugnare*, Eccleſia, *poteſt, expugnari non poteſt. - - - Manet in ſua radice; portæ inferi non vincent eam.*

Objic: 1. Vetus Eccleſia ante Chriſti adventum ſæpiſſime lapſa eſt in errores;

rores; ergo. *Prob: ant:* Exodi 23. Aaron ſummus ipſe Sacerdos, aliiq; ex plebe, ſive majores, ſive minores vitulum conflatilem adorarunt. Pariter Jeremiæ temporibus Eccleſiam a veri Dei cultu deſciviſſe deplorat Propheta: cap: 2. *Confuſi ſunt Domus Iſráël ipſi, & Reges eorum, Principes & Sacerdotes, & Prophetæ dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: tu me genuiſti - - - - omnes dereliquiſtis me dicit Dominus.*

Reſp: ad 1mum 1. Nec Moyſes, nec Joſue, in quorum gubernatione illud tempus erat poſitum, in populi inſaniam conſenſerunt, plurimis é plebe etiam huic furori repugnantibus; nam ad Moyſis vocem: *Si quis Domini eſt, jungatur mihi,* congregati ſunt ad eum omnes filii Levi, quos cum Dominus juſtitiæ ſuæ miniſtros fecerit in ultione, hos certum videtur in eo ſcelere cæterorum ſocios & conſortes non fuiſſe. *2dó.* Protunc Aaron Sacerdotio nondum fuerat initiatus, nec adhuc ei erat ſuperhumerale impoſitum, rationaliq; aptatum, in quo erat doctrina & veritas; nihil ergó mirum &c. *3tio* Argumen-

gumentum non eſt contra nos, ſi quidem Aaron metû peccavit, non infidelitate, quod & Petro poſtea accidit.

Ad 2*dum*. Quod graviorem habet difficultatem S. Aug: lib: de Unit: Eccl: cap: 12. Donatiſtis ſic reſpondit: Plerumq; ſermo Divinus impias turbas Eccleſiæ ſic codarguit, tanquam omnes tales ſint, ut nullus bonus omnino remanſerit. Inde quippe admonemur in ſuo quodam numero dici omnes, id eſt, omnes filios gehennæ. Hæc S. D. Hujusmodi ergo Prophetarum oracula hunc ſenſum habent, quoniam in comparatione malorum, adeo pauci boni ſunt, ut nulli eſſe videantur, Scriptura una reprehenſione populum totum comprehendit, quamvis in eo nonnulli ſint boni. Deinde prædictio propemodum erat illa, non reprehenſio; deſcribitur enim populus ille, non qualis tunc erat, ſed qualis poſt Meſſiæ adventum futurus erat. *Canus* de locis Theol: lib: 4. cap: 4.

Subſumes. Atqui non implicat omnes Eccleſiæ Paſtores fidem amittere. Ergo. *Prob*: Tempore Dominicæ paſſio-

ſionis Apoſtoli omnes fidem amiſerunt; *Prob*: *Ant*: Nam quod illo tempore in ſola B. Virgine fides permanſerit, candela illa ſignificat, quæ in Officiis earum dierum ſola non extinguitur; unde Diſcipuli lumen, quod amiſerunt, receperunt, ergo.

Reſp: diſt: 1. Prob. Fidem, quæ per dilectionem operatur, amiſerunt, vel etiam deficiendo in fidei confeſſione, *trans*: per infidelitatem, *nego*: Huc igitur referri debet conſuetudo illa Eccleſiaſtica omnes cereos extinguendi, præter unam. Quanquam *Rupertus* lib: de Div: Officiis aſſerit extinctos cereos priores, ſignificare Prophetas a Judæis interemptos; ac cereum illum, qui ad breve tempus abſconditur, ſignificare Chriſtum. Quod autem Apoſtoli omnes in infidelitatem non inciderint, vel inde patet, quod Jacobus juxta Hebræorum Evangelium ab hora, qua biberat Domini calicem juraverit ſe non comeſturum panem, donec Chriſtum videret reſurgentem, ut Author eſt S. *Hier*: in Catalogo Scriptorum; Petrus etiam & Joannes auditô nuntiô cucurre

rerunt ad monumentum. Sanè vero etiamſi Apoſtoli tunc temporis fide caruiſſent, quod dicendum non eſt, nihil tamen contra nos concluderetur. Nam ut S. Aug: in Pſal: 114. admonuit: tum Apoſtoli defecerunt; cûm nondum erant duces Eccleſiæ, nec illud impletum fuerat: *Ego confirmavi columnas ejus.*

Dices: Math: 16. Chriſtus prædixit Apoſtolis. *Omnes Scandalum patiemini in me.* Luc: 24. *Verba mulierum annuntiantium Chriſti reſurrectionem viſa ſunt Apoſtolis quaſi deliramenta.* Marci cap: 16. traditur: Chriſtum exprobraſſe Apoſtolis incredulitatem & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt; ergo per infidelitatem Apoſtoli omnes fidem amiſerunt.

Reſp: Hos textus intelligendos eſſe de aliquibus non de omnibus. Nam Diſcipuli inquit Math: cap: ult: in Galilæam abierunt in montem, ubi conſtituerat illis JESUS, & videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt, *quidam*, ait, *non omnes*. Convenienter hæc dubitatio ab aliquibus interpretibus, non

ad

ad Apoſtolos, ſed ad alios, neſcio quos, Diſcipulos ex ſeptuaginta ſolet referri. Theophilacti ac Remigii ſententia eſt, illam dubitationem ad tempus, quo Diſcipulis Chriſtus ante apparuerat eſſe referendam; id quod Marcus intellexit, dum ait: *increpavit incredulitatem &c.* Sive enim apparitio hæc, quam Marcus deſcribit, in die Aſcenſionis fuerit, ut multis placuit, ſive antea, ſicut nonnulli docent, dubitandum non eſt, quin eas increpationes hic Marcus recapitulando perſtrinxerit, quas ſeorſim alii Evangeliſtæ ſcripſerunt: *quia iis*, inquit, *qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Conſtat autem ex aliis Evangeliſtis incredulitatem & duritiam, ex ea ſcilicet cauſa, quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt, non ad omnes Apoſtolos pertinere, ut in ſolutione prioris argumenti dictum.

Inſtabis. Apoſtoli eorumq; ſucceſſores Paſtores inſtituti, homines ſunt, fallere proinde falliq; poſſunt, conſequenter errare; ergo.

Reſp. diſt: ant. fallere falliq; poſſunt ſi ſecundùm naturæ ſuæ imbecillitatem

ſpectentur, *conc.* ſuppoſita Divina gratiâ & providentia, quâ homines in veritate fidei continentur, *nego.* Tota namq; fidelium concio homines ſunt, Prophetæ & Evangeliſtæ homines erant; ſed quoniam Spiritum veritatis acceperunt, in falſam fidei doctrinam venire non poterant. Sic ergo Eccleſiæ Doctores univerſi, homines ſunt, ſed quoniam Divino Spiritû gubernantur in vera dogmata, nequeunt in falſa declinare.

Inſiſtes. Ipſamet Eccleſia innuere videtur ſe fallibilem eſſe ratione Paſtorum, qui homines ſunt; ergo.

Prob: Non enim alia apparet ratio, quare ſolum Eccleſiam, non in Eccleſiam credimus; niſi quia fallibilis eſt ratione Paſtorum, qui homines ſunt; & aliunde omnis homo mendax, ergo.

Reſp. ad Prob. Nego Ant. Non enim hæc eſt ratio, ſed antiquior, verior, & firmior, in authoritate fundata hujus eſt cauſa; S. Aug. quippé ait: *Petro credimus, credimus Paulo; in Petrum autem, aut in Paulum non credimus, credendo enim in eum, eſt credendo amare, credendo in eum*

eum ire. Non dicitur, inquit, in Sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam credendam esse, non ut Deum, sed ut Ecclesiam Deo congregatam; hac itaq; propositionis syllabâ *In.* Creator a creaturis secernitur. Hæc ille. Ob id ergo in Ecclesiam non credimus, quia non est fidei nostræ finis.

Objic 2. Ecclesia in Nicæno I. Conc. can. 12. Militiam damnavit; ergo erravit, cum licitam esse militiam constet ex Evangelio. Luc: cap. 3. ergo.

Resp. Dist. Ant. Concilium Nicænum militiam damnavit in his circumstantiis, in quibus militia erat signum idololatriæ. *conc:* absolutè, *nego.* Quod ut pateat, notandum: quod olim militiæ cingulus magni honoris & commodi res erat, propter magna militibus concessa privilegia; & ideo Imperatores Ethnici persecutionis tempore cingulum militiæ iis, qui Christiani erant, fidemq; ejurare recusabant, auferre solebant, eosq; exauctorare, ut legere est apud Euseb: lib: 8. cap. 4. Quam ob causam cum plures milites Christiani ardore fidei cingulum abjicerent, & fi-

ſine honore potius quam ſine fide vivere mallent, ac demum poſtea mundi & honoris tentationibus victi, eundem cingulum, parati fidem negare, viciſſim ambirent; Concilium Nicænum hoc canone eis hanc pænitentiam injungit, ut ſcilicet decem annis permaneant inter pænitentes; poſtquam triennió fuerint inter audientes, id eſt; Catechumenos; ex quo non ſequitur, quod militiam abſolutè damnet, ut perperam calumniari ſolent hæretici.

Inſtabis. In eodem Concil: can: 19. Hæreticos rebaptizandos decrevit Eccleſia, qui tamen rebaptizari non debent; ergo.

Reſp. diſt: Ant. Hæreticos Paulianiſtas, & alios hujusmodi, quorum baptiſma nullum erat, quia non eadem formâ collatum, qua conferri debet, & confertur ab Eccleſia, per expreſſam ſcilicet SS. TRINITATIS invocationem, *conc.* omnes abſolutè Hæreticos, *nego.* Reſponſum confirmat S. Hier. dum ad hunc canonem alludens, ait in Dialogo contra Luciferianos: *Synodus Nicæna omnes Hæreticos ſuſcipit, exceptis Pauli*-

li

li Samosateni discipulis; qui Christum purum hominem esse tenebant; haud dubié in fide & nomine trium Personarum SS. TRINITATIS non baptizabant; nec consequentur veré & validé baptizabant.



ARTICULUS VI.

Quis est supremus Judex controversiarum fidei?

Magnum est ac celebre dissidium, quô Catholici & Hæretici disputant inter se, & acriter litigant, de competenti ac legitimo controversiarum circa fidem & religionem emergentium Judice. Conveniunt quidem omnes admittendum esse harum controversiarum Judicem aliquem, sed in designando, quis ille esse debeat, non conveniunt. *Lutherus* enim & Calvinistæ solam scripturam, normam ac Judicem esse volunt; & ex ea sola omnes fidei controversias decidi posse contendunt. *Gaspar Svencfeldius*. Anti-Lutheranus supponit quemlibet privatum

hominem a Spiritu S. immediate doceri per revelationem privatam, & privatam illam revelationem, seu privatum illum Spiritum revelantem, & immediate docentem, & non scripturam, ut Doctorem & Judicem controversiarum, audiendum esse contendit. Catholici distinguunt inter Judicem & normam; judicem vocant eum, qui sententiam inter litigantes profert; normam verò sive regulam, juxta quam a judice fertur sententia, eaq; distinctione posita, tenent communiter omnes, nec scripturam, nec Spiritum privatum, *Suencfeldianum*, sed solam Ecclesiam esse Judicem, normam verò juxta quam judicat Ecclesia, esse non solum scripturam, sed scripturam & traditionem.

Etsi de hac quæstione jam sint multa dicta, ac plura infra dicentur, quia tamen est summi momenti; nam positô semel, quod Ecclesia sit supremus, & infallibilis judex controversiarum fidei, cui omnes teneantur obedire, convelluntur omnes hæreses & sectæ. Id cum probe noscant Novatores, nihil non tentant, ut hanc veritatem cardina-

na-

nalem concutiant. Quare præsuppositis alibi dictis & dicendis.

Dico: Supremus & infallibilis controversiarum fidei Judex non eſt ſcriptura ſacra, neq; Spiritus privatus, neq; Princeps ſæcularis, ſed Eccleſia.

Prob: 1. P. Sacra Scriptura eſt obſcura & intellectû difficilis, atq; in varios ſenſus à variis trahitur; ergo opus eſt interprete, qui ejus obſcuritatem, ambiguitatem & difficultatem tollat; atqui hic alius non eſt præter Eccleſiam, ut patebit ex dicendis. *Prob*: *conſeq*: In Scriptura duo ſunt litera & ſenſus; circa literam plurimæ ſunt controverſiæ; an ea, quam, habemus, ſit verum Verbum Dei? An ſit conformis ſuo Autographo? An hi vel iſti libri ſint Canonici vel non? Lutherus rejicit Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolam Jacobi, & Apocalypſim, has Calvinus admittit; quis dirimet controverſiam? non ſcriptura, illa enim nullibi dicit hos libros eſse, vel non eſse Canonicos; & quamvis diceret, non teneremur credere, niſi prius aliundé conſtaret eſse Canonicam. Circa ſenſum: ſcriptura

va-

varios imo contrarios ſenſus ſubit; de iisq: ſunt præcipué Controverſiæ, vg. celebris & notiſſima eſt quæſtio de ſenſu horum Verborum Chriſti : *Hoc eſt corpus meum*. Calviniſtæ illis affingunt ſenſum figuratum; Lutherani & Catholici, intelligunt in ſenſu literari. Quis inter illos erit judex ? non ipſa ſcriptura, quæ eſt materia & objectum controverſiæ; ergo quærendus eſt alius judex; niſi velim9 ſine fine diſputare. Dicat Calviniſta Lutheranum laudata verba non intelligere; idem regeret Lutheranus Calviniſtæ.

Roboratur. Multa ſunt fide credenda, quæ non continentur in ſcriptura v.g. ipſa canonicitas, ut ita dicam, ſcripturarum, Baptiſmus infantium, validitas baptiſmi Hæreticorum, perpetua Virginitas B. V. & plura alia, quæ nobiſcum admittunt ſectarii. Unde præclare ait S. Aug. lib: 5. de Baptiſmo contra Donat: cap. 23. *Sunt multa, quæ tenet univerſa Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur*. In his autem clarum eſt Scripturam eſſe non poſſe; judicem; ergo.

Prob:

Prob. 2. *P.* Judex in aliqua causa debet esse publicus partibus litigantibus notus; eas audire, vicissim ab ipsis audiri, & habere authoritatem illas compellendi, ut stent judicio, debet esse unus, non varius; non incertus, nec sibi contrarius; atqui Spiritus privatus non est judex publicus, nec partibus litigantibus notus, est varius in variis, incertus, & sibi contrarius, dictans unum uni, alteri contrarium, ut mox dictum de Verbis Christi: *Hoc est corpus meum*; ergo.

Confirm: Insolentissimæ præsumptionis est, quod plebejus, ignarus, sartor, sutor, rusticus, muliercula prætendant se melius intelligere Scripturam, quam doctissima totius orbis ingenia, sive dispersa sive in Synodis congregata; atqui ita se res habet, si privatus cujusq; Spiritus sit supremus judex controversiarum fidei; ergo.

Dices. Quando Concilium Synagogæ negavit & condemnavit Christum, non fuisset insolentissimæ præsumptionis reus sed plurimum laudandus privatus Judæus, qui a judicio Synagogæ dissensis-

sisset, & Christum pro Messia agnovisset; ergo.

Resp. Nego consequ: ob multas rationes. 1. Quia non erant factæ Synagogæ promissiones infallibilitatis, sicut Christi Ecclesiæ. 2. Quia Synagoga, quæ ad Christum tantum erat duratura, tunc deficiebat. 3. Quia tunc alter erat supremus controversiarum fidei Judex Christus ipse, inter homines visibiliter conversatus, cui omnes obedire & adhærere tenebantur, qui palam & omnibus fidem prædicabat, & missionem suam probabat voce e cœlo delapsa coram Populo, Joannis testimonio, Prophetarum explicatione, ac innumeris & patentissimis miraculis. Non ergo ejusmodi Judæus secutus fuisset Spiritum privatum, posthabito judicio infallibili, supremi & visibilis Judicis; sed laudandus fuisset cum Apostolis & aliis, qui adhærebant Christo; sicq; illud exemplum non abstergit maculam insolentissimæ præsumptionis in Hæreticis, qui concedunt cuilibet particulari, ut definitiones totius Ecclesiæ possit ac debeat

ad

ad examen revocare, easq; reformare secundum privatum suum spiritum.

Prob. 3. p. Nullibi in Scriptura legitur Christum constituisse Principes sæculares Judices controversiarum fidei; non enim illis sed Apostolis, & eorum Successoribus dictum: *Euntes docete*, aut quid simile. Et quidem Princeps dicitur Rom: 12. Dei minister, non ut judicet Ecclesiam, sed ut eam defendat. Id agnoverunt religiosi Imperatores *Constantinus* M. in Concilio Niceno apud Euseb: lib: 3. de vita Constantini cap; 10. *Theodosius* junior in Epist: ad Synodum Ephes. *Marcianus* in Concil: Chalced: *Basilius* in VIII. Synodo & alij. Unde scribebat celebris *Osius* Cordub: *Constantio* Imper: *Nec te rebus misceas Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc discas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit.*

Pars 4. sequitur ex dictis. Necesse est agnoscere regulam vivam, & Judicem supremum controversiarum fidei, ut diximus; atqui is non est Scriptura sacra, nec spiritus privatus, neq; Princeps sæcula-

cularis; ergo Ecclesia; nihil enim aliud assignari potest.

Confirm: Tempore Apostolorum cum exorta esset controversia de circumcisione, non fuit terminata per solam Scripturam, aut Spiritum privatum, neq; per Principem sæcularem, imo ne quidem per Paulum & Barnabam, sed ad Ecclesiam sive Concilium Apostolorum delata fuit, & ab eodem Præside S. Petro Apostolorum Principe decisa & definita. Act: 15. Similiter Math: 18. in casu injuriæ illatæ præcipitur: *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Quidni magis in casu injuriæ illatæ toti Ecclesiæ, qualis est hæresis & error in fide? Tandem de hoc nos certos reddit continua Ecclesiæ praxis; nam lex de die celebrandi Paschatis a Christianis ad Victorem Pontificem delata, ab eo decisa fuit, tandem in Concilio Nicæno firmata; quæstio an post baptismum lapsi a peccatis absolvendi; & an baptizati ab Hæreticis rebaptizandi essent, a Cornelio Papa in Concilio Romano resoluta fuit; & sic per omnia sæcula in gravioribus caussis

ſis exempla adducit V. *Bellarminus*, quas cauſas ſemper judicaverunt, & definierunt Concilia, a Summo Pontifice approbata.

Objic: 1. Contra 1. P. Omnia dogmata ad unius Scripturæ normam debent expendi; ergo. *Prob*: *Ant*: Act: 17. de Beroenſibus dicitur: *Suſceperunt verbum* (a Paulo) *cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent*. Et Joan: 5. Chriſtus dicit Judæis: *Scrutamini Scripturas... Illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*; ergo.

Reſp. ad 1. Autor. Beroenſes non ad Scripturam recurrebant, ut ad Judicem controverſiarum fidei, ſed ut ad motivum aliquod ſuſcipiendæ fidei ſibi a Paulo prædicatæ. Cum enim audirent Apoſtolum prædicantem Chriſti fidem & Evangelium, illudq; ex Veteris teſtamenti; Scripturis probantem, ipſi ne leviter crederent, prudenter ſcrutabantur Scripturas; ut viderent, num omnia teſtimonia veteris teſtamenti de Chriſto a Paulo prolata, ita ſe haberent, ut prædicabantur a Paulo, quibus plane cognitis moti ſunt ad credendum in Chriſtum

ſtum, ut ſequentia innuunt: *& multi quidem crediderunt ex eis*. Nec inde ſequitur nobis Chriſtianis licitum eſſe dubitare de iis, quæ ſunt per Apoſtolos vel Eccleſiam definita, & ea ad Scripturæ trutinam examinare, ſicut licitum erat illis necdum ad Chriſti fidem converſis; non enim tenebantur adhuc illi credere, infallibilitatem Eccleſiæ promiſſam eſſe, bene autem nos in fide ſatis & dudum inſtructi. Nec

Dicas: Illi videntur ſtatim credidiſſe in Chriſtum; dicuntur enim ibi, cum omni aviditate ſuſcepiſſe Verbum Dei; ergo non ad Scripturam tanquam motivum credendi, ſed tanquam ad Judicem recurrebant.

Reſp: nego ant. Quia ut bene notat *Iſambertus*, verba hæc: *cum omni aviditate*, non ſignificant illos in Chriſtum avide credidiſſe; ſed ſolum eos Paulum audiiſſe, ejuſq; concionibus de Chriſto habitis interfuiſſe cum aviditate.

Ad 2. Auth; Ibidem Chriſtus Judæos ad Scripturam provocat, non ut ad talis controverſiæ Judicem, ſed ut ad fidelem, Judæiſq; non ſuſpectum ſuæ Do-

ctri-

ctrinæ ac Divinitatis testem; id patet ex ipsis Christi verbis; non enim dicit; Scrutamini Scripturas, illæ de me judicant, sed; *Scrutamini Scripturas, illæ testimonium perhibent de me.* Ibi enim Christus, ut contra Judæos, se Filium Dei & Messiam esse probet, triplici utitur testimonio, nempe testimonio Joannis, testimonio suorum miraculorum, & testimonio Patris æterni; & cùm nullum horum vellent increduli admittere, contra eos argumentando, quasi ex concessis & admissis, quartum addidit testimonium, scilicet, testimonium Scripturarum, quas illi admittebant.

Testimonio Joannis utitur dum ver. 33. ait: *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati*, scilicet: dum dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, quasi dicens: vos legatos misistis ad Joannem quasi ad Virum vestra etiam opinione Sanctum, & fide dignum, ut sciretis ab eo, an ipse Messias esset? Joannes non se, sed me Messiam esse respondit, hocq; testimonium non dedit amicitiæ, non gratiæ, sed veritati, & testimonium ejus refellere & recu-

recusare non potestis, quem pro Messia recipere voluistis, ut explicat *Euthymius.*

Utitur testimonio suorum miraculorum ibidem v. 36. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.*

Testimonio Patris æterni utitur dum ibidem v. 37. pergit dicens: *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*, nam reipsa testimonium perhibuit, cum in baptismo cælitus intonuit; *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Scripturarum deniq; utitur testimonio, dum v. 39. ait: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:* quasi diceret; alia testimonia licet efficacissimas rejicitis, saltem scripturarum testimonium non rejicietis, quas vos admittitis, & tantopere laudatis, has scrutamini, & in his omnibus Christum invenietis, vel in veritate apertum, vel in umbris & signis opertum. Adde: vox Græca *Ereunate* est anceps,

ceps, poteſtq; eſſe indicativi modi *ſcrutamini* vel imperativi, *ſcrutemini*. Si primum Chriſtus exprobrat Judæis, quod fruſtra legerent Scripturas, cum illæ de ipſo haberent teſtimonium, & tamen nollent credere. Si ſecundum, poſtquam laudatis teſtimoniis probaſſet ſe eſſe Meſſiam promiſsum; culpat eos, quod nollent credere, & ideo ut confundantur remittit ad Scripturas, quæ apertum de ipſo habent teſtimonium. Ex quo ſequitur, quod Hæretici, qui nolunt credere Eccleſiæ, ſint culpandi, ſicut Judæi, & ut confundantur, remittendi ſunt ad Scripturas in factis apertis. Hæc ſanè illis nihil proſunt, quin potius nocent.

Objic: 2. contra 2. P. Chriſtus indicat apertè ſe docere per Spiritum privatum, ſeu per privatam ſuam revelationem ſingulas oves ſuas dum ait: Joan: 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & cognoſco eas, & ſequuntur me*, idq; prædictum videtur ab Iſaia cap: 54. nomine Dei dicente, *Ponam .... univerſos filios tuos doctos a Domino*; ergo privatus ſpiritus ſolus agnoſcendus eſt, ut fidei controverſiarum Judex.

 Reſp:

Resp: nego ant: Quia non de Spiritu privato intelligentiam Scripturæ cuilibet fideli revelante, ſed de gratia præveniente, & ad credendum alliciente & vocante intelligendi ſunt hi textus; nam ad hoc, ut quis credat, duo ſunt illi neceſſaria, internum unum, & externum alterum; internum eſt gratia præveniens, alliciens, vocans, & ſvaviter trahens ad credendum, externum eſt propoſitio ſeu manifeſtatio credendorum. Primum ſeu gratiam illam internam & prævenientem indicat Chriſtus Joan: 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Secundum verò ſeu propoſitionem credendorum indicat Paulus Rom: 10. *Quomodo credent ſine prædicante?* De priori ergo ſive de gratia præveniente & vocante loquitur Chriſtus. *Oves meæ vocem meam audient*, quaſi diceret, vocem meam audiunt, & me ſequuntur, dum gratiam illam prævenientem & vocantem percipiunt, & perceptæ aſſenſum præbent, & de facto in me vocantem fide viva credunt; quod non faciebant Judæi increduli, de quibus dicebat ibidem

Joan:

Joan: 10. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Eodem modo intellige textum Isaiæ. *Ponam... universos Filios tuos doctos a Domino;* doctos nempe per fidem, quæ est donum supernaturale proveniens a Domino, quodq; non obtinetur nisi per gratiam. Sed neq; Christus, neq; Isaias loquitur de secundo & externo omnino necessario ad credendum, nimirum de credendorum propositione seu manifestatione forinsecus sonante, & exterius adveniente ab Ecclesiæ ministris & Doctoribus, de quibus Paulus ad Ephes. cap: 4. ait: *Alios dedit Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi.* Potest etiam dici cum *Gamachæo* Christianos omnes esse doctos a Domino mediate, vel immediatè; quia Dominus Jesus ipse venit tandem in propria persona, & Evangelium vivæ vocis oraculo prædicavit, varijsq; miraculis confirmavit, juxta illud Hebr: 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimê diebus istis locutus est nobis in filio.* Deinde fideles qui Christum in propria persona

docentem audierant, cæteros homines eandem a Christo receptam doctrinam docuere; sic omnes a Domino saltem mediate docti dici possunt, quod non excludit externum Doctorem, sed potius illum supponit.

Instabis 1. Joan 2. dicitur: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio docet vos de omnibus - - - & sicut docuit vos, manete in eo;* ergo ex ipsomet Joanne non alio indigemus Doctore extrinsecus sonante & proponente.

Resp: dist: Ant. Hisce excludit Joannes instructionem Pastorum & Doctorum Ecclesiæ, *nego.* Alioquin frustra dedisset Ecclesiæ suæ Christus, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores, imo frustra hac prolixa Epistolâ sua suos fideles doceret & instrueret ipse Joannes. Hisce excludit solum instructionem illam, quæ est a Pseudo-Doctoribus, Apostatis, aliisq; falsis, Christi fideles seducentibus Apostolis; ut satis aperte ibidem notat ipse dicens: *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos: concedo.* Unde intendit ibi duntaxat dice-

re

re Joannes fideles ipſos, quos jam docuerat per ea ſola, quæ didicerant, fidem tueri & ſervare poſſe Spiritus Sancti auxiliante gratiâ, contra quamcunqué aliam perverſam doctrinam.

Urgebis. Deus Jerem: 31. promittit fidelibus novæ legis: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam - - - Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me, a minimo eorum uſq; ad maximum;* ergo per to *non docebit ultra* excluditur a Deo nedum Pſeudo-Doctor, ſed etiam quilibet alius Eccleſiæ Doctor.

Reſp. 1. diſt. Ant: Non docebit ultra proximum ſuum in patria, *conc:* hic in via de qua eſt quæſtio, *nego.* Hic textus intelligitur de ſtatu futuro Chriſti fidelium beatifico, ſecundum S. Greg: M. lib: 4. Moral. cap. 33. *Quid enim, ait, eſt, quod neſciant, qui ſcientem omnia ſciunt.* Conſentit S. Aug. de Spiritu & litera cap: 24. verum quia Propheta loquitur de gratia novi teſtamenti, quæ fidelibus in hac vita datur. Ideo

Resp. 2. S. *Chryfoftomus*, *Theophilactus*, *Oecumenius*, imo & S. *Aug*. de gratia Xti cap. 10. explicant laudata verba, quod tanta erit facilitas & gratia legis Evangelicæ, ut non fit opus magno labore, ad difcenda ad falutem neceffaria; ita ut etiam ipfi pueri ea ftatim percipiant, quæ erunt præcepta, & tanta erit Spiritus S. illuftratio, tamq; obvius ejus gratiæ impulfus ad credendum, fperandum & amandum, ut externa fidei prædicatio comparata ad illam internam Spiritus S. vocationem, parum aut quafi nihil effe videatur, quamvis femper requiratur, & ad eam dederit Ecclefiæ Deus alios Evangeliftas, alios Paftores, Doctores alios, qui fcilicet Chrifti fideles exterius inftruerent & docerent, dum Spiritus S. interius vocaret & illuminaret. Non ergo Propheta inducit fpiritum privatum, ut internum Doctorem.

Dices: Atqui fine Doctore externo fidelis docetur a Deo, & cognofcit credenda; ergo. *Prob*: Eo ipfo, quô quis vult Dei voluntatem facere, docetur a Deo, juxta illud Joan: 7. *Mea doctri-*

na

na non est mea, sed ejus qui misit me: si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit; ergo.

Resp. Ad Prob: Christi sensus non est, quod quis per hoc præcisè, quod vult Dei voluntatem facere, possit judicare de doctrina Christi; sed tantum, quod ille sit magis dispositus ad judicandum de ea, quam alius quicunq; qui non vult illam facere, sed odio est affectus erga Christum, quales erant Judæi quærentes Jesum interficere. Odium enim sive invidia est impedimentum ad rectè, & ex æquo judicandum, cum taliter quisq; judicet, qualiter est affectus; sed per hoc licet magis sit dispositus, saltem negative ad judicandum de doctrina Christi, non sequitur quod per solum præcise desiderium, seu affectum Dei voluntatem implendi, possit judicare de ea seclusis requisitis aliis. His ergo & similibus testimoniis non aliud significatur, quam quod, dum Pastores exterius instruunt & prædicant, Deus interiori gratia mentem illustret, & cor moveat, ut credamus, sine qua inutilis foret exterior prædicatio; idq; longé

gé uberius præſtat, ut in reſpon: immediate præc. dixi, in nova lege, quam in antiqua. At verò inde excludi miniſterium exterius Eccleſiæ in prædicando, inſtruendo, & docendo, commentum eſt ridiculum. Ut quid enim Apoſtoli tanto zelô prædicabant? tot literas pro fidelium inſtructione ſcripſerunt? Quô fine Chriſtus Paſtores & Doctores in ſua Eccleſia inſtituit? ut quid ipſi Sectarij docent & prædicant? unde ad rem prorſus præclare ait S. Aug. Tract. 3. in Epiſt: Joan. *Videte Fratres magnum Sacramentum; ſonus verborum noſtrorum aures percutit; Magiſter intus eſt. Nolite putare quemquam aliquid diſcere ab homine, admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ, ſi non ſit intus, qui doceat, inanis ſit ſtrepitus noſter - - - Cathedram in cœlo habet, qui corda docet; propterea ait, & ipſe in Evangelio: nolite vobis dicere Magiſtrum in terra, unus eſt Magiſter veſter Chriſtus,* qui ſcilicet intus doceat.

Objicies 3. Chriſtus Joan: 5. dicit: *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio;* atqui acciperet teſtimonium ab ho-

homine, ſi Eccleſia eſſet judex Scripturæ, & controverſiarum fidei; ergo.

Reſp: Chriſtum non accipere teſtimonium ab homine, quaſi illo indigeat, ut probet ſuam Divinitatem & miſſionem; habebat enim teſtimonium Patris & miraculorum, ut jam dictum; & ipſe ibidem dicit; non reſpuit teſtimonium Joannis Baptiſtæ propter Judæos; ut jam dixi; Non ergo Chriſtus hic rejicit omne teſtimonium humanum in controverſiis fidei, ut fingunt Hæretici, ſed ſolum declarat ſe ſui cauſa non indigere; noſtri vero cauſâ eſſe adhibendum, quoties neceſſarium vel utile fuerit. Adde judicium Eccleſiæ non debere cenſeri puré humanum, cum ſit ex ductu & inſpiratione Spiritûs S.

Inferes 1. Ergo ſaltem inde ſequitur Eccleſiam eſſe ſupra Scripturam; ſi judidicat de Scriptura.

Reſp. *diſt*. Si Eccleſia judicat de ſcriptura quoad veritatem eorum quæ continet Eccleſia erit ſupra ſcripturam, *conc*. Si judicat de Scriptura tantum quòad ſenſum ejus legitimùm nego illationem. Non ergo Eccleſia judicat an

ea,

ea, quæ continentur in Scriptura ſint vera, vel falſa; ſed judicat, qui ſit ſenſus ejus legitimus, ex quo non magis eſt ſupra ſcripturam, quam judex interpretans legem, ſit ſupra legem aut legislatorem.

Inferes 2. Ergo ſaltem Eccleſia dominabitur fidei noſtræ; atqui hoc eſt contra Apoſt: 2. Corint. 1. ubi dicit: *Parcens vobis non veni ultra Corinthum, non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudij veſtri, nam fide ſtatis;* ergo.

Reſp. 1. Nego Sequ: Neq: enim Apoſtolus, neq; Eccleſia ex hoc quod ſit ſupremus judex controverſiarum fidei, dominantur fidei noſtræ, ſed ſunt duntaxat inſtrumenta, quibus Deus utitur, ut ipſe dominetur fidei noſtræ.

Reſp. 2. Nego ſubſum. Non enim ſenſus Apoſtoli eſt, quod non debeat, aut non velit dominari ſupra fidem Corinthiorum, ſed quod ob fidem, quam illis inſtillaverat, non vult in eos uſurpare dominationem in propria ſua commoda, ut domini temporales. Sic ergo accipienda verba Apoſtoli: *Parcens*

vobis

vobis non veni ultra Corinthum, ne cogerer authoritate Apoſtolica corrigere crimina, quibus quidam ex vobis ſunt obſtricti; *Non quia dominamur fidei veſtræ,* id eſt: non quia ob fidem, quam vobis prædicavimus, & miniſteriô noſtro accepiſtis, velimus nos gerere, ut Dominos veſtros, & poteſtate noſtra abuti in privata commoda, ſed quod *adjutores* esse velimus gaudii veſtri procurando vobis conſolationem per correctionem eorum, qui ſua malitia vos offendunt. Ita S. *Anſelmus* apud Tirinum; quod cauſam ſectariorum non juvat.

Dices: Non conſtat inter Catholicos, cui hæc ſuprema authoritas definiendi res fidei competat; an ſoli Romano Pontifici, an Epiſcopis ſine Pontifice; an ſoli Ecclesiæ congregatæ in Conciliis, an etiam diſperſæ; an ſufficiat conſenſus tacitus Epiſcoporum; an requiratur expreſſus &c. Ergo ſtatui non poteſt Ecclesia tanquam Judex ſupremus controverſiarum fidei.

Reſp. Dato Ant. nego conſeqv: Quia duo conſtant apud Catholicos, quæ ſufficiunt ad ſubſtantiam quæſtionis.

Pri-

Primum Judicem controversiarum fidei non esse Scripturam, Spiritum privatum, aut Principem sæcularem, sed Ecclesiam. *Secundum*: Ipsam Ecclesiam repræsentari per Summum Pontificem cum majori parte Episcoporum. Cætera non ad substantiam, sed ad modum quæstionis pertinent, de quibus infra.



ARTICULUS VII.

An & in quibus quæstionibus definiendis infallibilis sit Ecclesia?

Quæstiones, de quibus disputari solet, an in illis definiendis infallibilis sit Ecclesia, alias esse *juris* alias *facti*. Quæstiones *juris* genericé loquendo & apud Juristas sunt eæ, quæ ex jure possunt resolvi, ac decidi; quæstiones vero *facti* in materia contingenti sunt eæ, quæ ex nullo jure, possunt resolvi. Apud Theologos quæstiones *juris* dicuntur illæ, quæ ex solo jure Divino solvi possunt, hoc est; quæ ex Scriptura & traditione, in quibus est jus fidei nostræ, de-

decidi possunt. Unde apud Theologos quæstio *juris* quæstio fidei, dicitur, & vice versa; quæstiones vero facti apud Theologos sunt hæ, quæ nec ex Scriptura, nec ex traditione solvi possunt. Sic vg. si quæratur. *An Christus sit creatura?* est quæstio juris, quia ex jure Divino resolvi potest; si quæratur *An Arius dixerit Christum esse creaturam* ? est quæstio facti; quia nec ex Scriptura, nec ex traditione resolvi potest. Præter simplices quæstiones *juris* & simplices quæstiones *facti*, aliæ sunt quæstiones, quæ vocantur *mixtæ* ex jure & facto; quæstio enim mixta dicitur ea, quæ duas includit quæstiones, unam *juris*, alteram *facti*, ut vg. Si quis quærat ; *an tria Capitula sint Hæretica in sensu suorum authorum Theodori, Theodoreti, & Ibæ*: hæc quæstio dicitur mixta, quia duas includit quæstiones, unam juris, scilicet istam: *An tria capitula sint hæretica*; alteram facti nempe hanc, *an in sensu Authorum sint hæretica*; seu an dicere cum Nestorio duas in Christo personas esse, sit hæreticum; & an Authores præfati suis in Capitulis dixerint cum Nestorio du-

duas in Christo personas esse, & hoc factum dogmaticum dici solet.

§ I.

An judicium Ecclesiæ sit infallibile de sensu librorum, seu ut vocant, de factis dogmaticis?

Nota: Facta alia esse dogmatica, sive doctrinalia, alia non dogmatica; Factum dogmaticum seu doctrinale, dicitur quodcunq; privati Authoris vel privatorum Authorum dogma sive doctrina in materia fidei; factum vero non dogmaticum dicitur id, quod dogma non est, sive doctrina. Sic si quis quærat; *an trium Capitulorum doctri a, sit doctrina Nestorii*, seu contineat Nestorii hæreticam doctrinam, est quæstio facti dogmatici. Si vero quis quærat, *an trium capitulorum doctrina fuerit a Concilio Chalcedonensi approbata*, est quæstio facti non dogmatici, sed puri, in qua resolvenda per annos prope 100. Orientalis cum Occidentali disceptavit Ecclesia. Hic quæstio est de factis dogmaticis, quæ moveri solet occasione libri *Jansenii* Episc: Iprensis. Cum *Innocentius X.*

Const:

Conſt. quæ incipit: *Cum occaſione* data 3. Maij. 1653. quinq; famoſas propoſitiones extractas ex libro Janſenii damnaſſet, fautores Janſenii hanc damnationem admiſerunt, dixerunq; has propoſitiones quinq; ut jacent eſſe hæreticas, verum eas non reperiri in libro Janſenii, aut in ejus ſenſu fuiſſe damnatas.

Ut hoc effugium præcluderet Alexander VII. Conſt. *ad Sacram.* 1656. 16. Octobris, Innocentianam Conſtit: confirmans & innovans, declaravit has quinq; propoſitiones ex libro Janſenii eſſe excerptas, ac in ſenſu obvio ab Authore intento damnatas

Hanc Conſtitutionem ut eluderent Janſeniſtæ, confugerunt ad diſtinctionem facti & juris, dixeruntq; Eccleſiam equidem infallibilem eſſe in quæſtionibus juris decidendis, at non in quæſtionibus facti; ſicq; perſiſtunt in ſua priori cavillatione, ſcilicet doctrinam quinq; propoſitionum damnatarum eſſe hæreticam, quod eſt quæſtio juris; ſed mordicus defendunt eam falſo attribui libro Janſenii, & hoc vocant, factum.

Dico·

Dico. Judicium Ecclesiæ de ſenſu librorum ſeu de factis dogmaticis eſt infallibile.

Prob. 1. Ecclesia eſt infallibilis in vera Chriſti doctrina de fide & moribus cognoſcenda, & diſcernenda ab alia quacunq; ob aſſiſtentiam Spiritus S. ei a Chriſto promiſſam. Joan. 14. *Ego rogabo Patrem , & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis*, qui ut habetur cap. 13. *docebit vos omnem veritatem*. Ergo & infallibilis eſſe debet in cognoſcenda, approbanda, vel reprobanda Authoris cujuſcunq; doctrina; ergo & in illius verò & naturali ac obvio ſenſu cognoſcendo , approbando vel reprobando ; cùm Ecclesia dum approbat vel reprobat doctrinam aliquam , illam quo ad naturalem & obvium verborum ſenſum approbet vel reprobet; ergo & infallibile eſt ejꝰ &c.

Prob: 2. Si judicium Ecclesiæ non eſſet infallibile in decidendis factis dogmaticis ; ſeu in decidendo atq; approbando vel reprobando naturali & obvio librorum quorumcunq; ad Religionem ſpe-

ſpectantium ſenſu; nullus eſſet Novator, nullus Hæreticus, qui poſſet de hæresi certo convinci, & ut hæreticus definitivè damnari, quiq; non poſſet, quantumvis ab Ecclesia damnatus reclamare, & dicere ſe hæreticum non eſſe, ſe hæretice non ſensiſſe, ſeq; injuſté ab Ecclesia errante eſſe damnatum; atqui hoc dici aut admitti non poteſt; cum ad ſidei Chriſtianæ noſtræ & totius religionis eversionem tendat; ergo neq; dici potest infallibilem non esse Ecclesiam in decidendis hujuſce facti dogmatici quæſtionibus.

Prob: 3. Ex conſtanti praxi Ecclesiæ 1. Concilium Nicænum I. in Epiſt: Synodica ad Ecclesiam Alexand. apud Socratem lib. 1. cap. 9. dicit: *Placuit-communibus ſuffragiis anathema denuntiare, & ipſi* (Ario) *& nefariæ ejus propoſitioni, & verbis, ſententiiſq; execrabilibus, quibus uſus eſt ad Filium DEI blaſphemiis onerandum.* 2. Senſum obſcurum & involutum Pelagii deprehendit, & damnavit Ecclesia, ut teſtatur Innocentius I. Epiſtola inter Auguſtinianas 183. *Librum, ait, qui ejus eſſe diceretur, evolvimus,*

in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta--- & nihil penitus, quod non displiceret, a quovis damnandum --- anathematizet ergo ista, quæ sentit. Porro Innocentii judicio aquieverunt 214. Episcopi in Concilio Affricano anno 417. & alij per orbem dispersi. 3. Concilium Calcedonense Act. 4. declarat Hæreticum, qui non dicit anathema Eutycheti. Act. 8. dixerunt Patres Theodoretum esse hæreticum & foras ejiciendum, eo quod post plures instantias nollet simpliciter & sine explicatione Anathemadicere Nestorio, jam pariter per judicium comparativum conferendo ejus scripta cum scriptis Sanctorum Patrum damnato. In Concilio Ephesino. 4. Concilium V. generale Constantinop. II. damnavit scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis mox memorati, & Ibæ Edesseni, vulgo tria Capitula; imo ad hoc unum, & ad damnanda scripta Origenis coadunatum fuit. Neq; solum damnavit hæc tria Capitula, ut Nestoriana, sed etiam anathematizavit eum, quicunq; ea defenderet, excusaret, aut non condemnaret. 5. Eodem

mo-

modo ſe geſſit Concilium Later: IV. declarando Hæreticum qui defenderet doctrinam Abbatis Joachim in libro de TRINITATE Concilium Conſtant: ſeſs: ult. præſcripsit formulam, quâ interrogari debeant, qui ſuſpecti ſunt errorum Vicleſi, Joannis Hus, & Hiæronymi Pragensis: *Utrum credant - - - - fuiſſe hæreticos & pro hæreticis nominandos, ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuiſſe & eſſe perverſas, propter quos & quas, & eorum pertinacias per Sacrum Concilium Conſtantienſe pro hæreticis ſunt condemnati.* Tandem Trid. ſeſs. 22. Can. 6. definit: *Si quis dixerit Canonem miſſæ continere errores, adeoq; abrogandum eſſe, anathema ſit.* Ad hæc nihil habent, quod reſpondeant Janſeniſtæ; nisi quod iſta facta dogmatica erant clara & aperta, de quibus nulla erat controversia, factum autem Janſenii eſt obſcurum, involutum, & valde controverſum.

At non vident, aut videre nolunt Janſeniſtæ, controversias, ſtrages, & diſſidia, quæ occaſione horum factorum Eccleſiam turbaverint; quot Epiſcopi aliunde Orthodoxi, vel ex ob-

ſcuritate factorum, vel ex præjudiciis, aut nimia propenſione in Authores, ab eorum parte ſteterint, & ideo ſint ab Eccleſia male habiti, ut patet ex factionibus Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum &c. Tandem ſi hæc ſuppoſitio Janſeniſtarum vera foret, nihil ſixum & ratum haberetur in Eccleſia, nam quod uni videtur clarum, alteri eſt obſcurum. Imo ſi inſallibilitas in decidendis factis dogmaticis, ſit neceſſaria Eccleſiæ, ut hucuſq; dictum, longe magis urget hæc neceſſitas in obſcuris, quam in claris; iſta enim ſe produnt, non illa.

Confirm: 1. Dogma proponendum fidelibus eſt inſeparabile a facto, & ita cum eo connexum, ut dogma non poſſit proponi inſallibiliter, quin factum eadem infallibilitate proponatur; atqui Eccleſia eſt infallibilis in proponendo dogmate, ut concedunt Janſeniſtæ; ergo & in facto dogmatico proponendo. *Maj: prob:* Quamvis dogma poſſit mente perpendi & examinari ſine facto, non poteſt tamen proponi fidelibus sive tenendum, ſive vitandum abſq; facto,

cto, ideſt abſq; textu propoſitionis, aut libri; quod ſi ſit fallibilis proponendo textum, nemo tenetur illi credere, & ſic reſurgent omnes hæreſes antiquæ, novæ ſuſcitabuntur abſq; eo, quod Ecclesia poſſit illis occurrere efficaciter. Hinc.

Confir: 2. Chriſtus nunquam deeſt ſuæ Eccleſiæ in his, quæ ſunt neceſſaria ad depositum fidei conſtituendum, & ad communem fidelium ſalutem; atqui ad depositum fidei conſtituendum, & ad communem fidelium ſalutem neceſſe eſt, ut veram vel falſam doctrinam in libris expreſſam infallibiliter diſcernere poſſit, atq; controverſias quotidie emergentes de ſenſu librorum ſupremo judicio componere, ut patet; ergo.

Prob: 4. Argumento ad hominem. Admittunt Janſeniſtæ quinq; famoſas propositiones, eſſe recte damnatas ut Hæreticas, atq; Ecclesiam in his damnandis eſſe infallibilem; atqui hoc eſt factum dogmaticum: non ſecus ac quod textus libri Janſenii sit hæreticus, eſtq; hoc factum primum difficilius

lius resolvendum, & non minus periculosum, quam secundum; ergo. *Prob: min: 1.* Quod sit factum patet: sicut enim est quæstio facti, utrum textus libri Jansenii contineat dogma hæreticum; ita quæstio facti est, utrum textus unius propositionis contineat idem vel simile dogma. *2do.* Quod sit difficilius resolvendum, quia in textu longiori totius libri potest dignosci sensus ex antecedentibus & consequentibus, ex titulo, ex forma procedendi & toto discursu & aliis; hæc autem non inveniuntur in brevi textu unius propositionis; ergo.

Confirm: Secundum Jansenistas Ecclesia infallibili judiciô approbavit textum S. Augustini, quidni infallibili judicio damnavit textum Jansenii? Cum textus Augustini sit fusior & obscurior textû Jansenii, quippe qui ut prætendunt, est explicatio S. Augustini.

§ II.

Solvuntur Objectiones.

Obj: 1. Christus nòn promisit infallibilitatem Ecclesiæ nisi in rebus

bus fidei; atqui factum dogmaticum vg. quod liber Jansenii contineat errores, non est fidei; ergo. *Prob: min:* Nihil est fidei, quod non est revelatum; atqui non est revelatum, quod liber Jansenii contineat errores; ergo.

Resp: 1. Nego maj. Promissa est enim Ecclesiæ infallibilitas, ne portæ inferi prævaleant adversus eam, quæ est columna & firmamentum veritatis, ut custodiat depositum fidei, ut bene pascat oves, & saluti fidelium provideat. Hæc ergo infallibilitas juxta hanc responsionem non ex revelatione, sed ex speciali assistentia Spiritus S. qui Ecclesiam docet omnem veritatem, habetur.

Resp: alii 2. Dist: min: Factum Jansenii non est revelatum immediatè, *concedo*; mediatè, *nego*. Veritas namq; a Deo revelatur 2pliciter 1mò. Immediatè in se, in particulari, ut hæc: *Christus est homo.* 2. Mediatè in alio ut pars in toto, ut hæc: *David peccavit in Adam* revelata est in hac universali, *Omnes in Adam peccaverunt.* Hoc enim ipso quod revelatur propositio univer-

salis

ſalis, revelantur etiam formaliter propoſitiones particulares, quia veritas propoſitionis univerſalis ex veritate particularium petitur. Porrò revelatum eſt univerſaliter omnem textum, omnem propoſitionem, omnem librum ab Eccleſia damnatum eſſe, vere damnabilem, id namq; comprehenditur ſub infallibilitate Eccleſiæ revelata, proinde & hunc textum hujus propoſitionis, puta Janſenii.

Reſp: *alii* 3. Omiſ: maj: negant min: Ad prob: negant min: Quia cum ſenſus ſcripturæ & traditionis ſit revelatus, ſenſus cujusq; libri aut propoſitionis ipſi conformis, vel oppoſitus eſt etiam revelatus, quia eſt eadem relativorum cognitio; Eccleſia enim procedit judicio comparativo, comparando textum vel propoſitionem cum S. Scriptura & traditione.

Dices contra 2. *&* 3. *reſp:* Datô quod ſit de fide omnem textum ab Eccleſia damnatum eſſe damnabilem, non tamen eſt de fide hunc textum Janſenii damnatum eſſe damnabilem; ergo. *Prob:* *Ant:* Veritas hujus propoſitionis

par-

particularis: *Hic textus Janſenii eſt damnabilis*, non cognoſcitur niſi mediante hoc diſcurſu humano: *Omnis textus ab Eccleſia damnatus eſt vere damnabilis; atqui hic textus ab Eccleſia eſt vere damnatus; ergo textus Janſenii verè eſt damnabilis;* ſed cognitio ſeu aſſenſus veritatis, quæ innititur diſcurſui humano non eſt fidei; ergo nec concluſio quæ ſequitur debiliorem partem.

Reſp: ad Prob: diſt: min; Aſſenſus veritatis quæ innititur diſcurſui humano ut cauſæ moventi ad aſſentiendum non eſt fidei, *conc:* ut cauſæ applicanti motivum, ſeu ipſam revelationem, *nego.* Non repugnat ergò aſſenſui fidei, quod ſupponat aliquem diſcurſum, non tanquam motivum, propter quod præbeatur aſſenſus, ſed per quem revelatio univerſalis applicetur, huic particulari ſubjecto, ut patet in hac propoſitione: *David peccavit in Adam*, quæ licet ſit fidei, indiget tamen, ut credatur hoc diſcurſu: *Omnes poſteri Adami in ipſo peccaverunt; ſed David eſt ex poſteris Adami; ergo David in Adam peccavit.* Iſte diſcurſus non eſt cauſa, ſeu motivum pro-

propter quod credo Davidem in Adamo peccasse, sed tantum applicatio hujus revelationis universalis, *Omnes in Adam peccaverunt*, huic particulari subjecto nempe Davidi, & ista revelatio est motivum, ut credam Davidem peccasse in Adam, similiter in casu controverso. Hinc patet ad id: quod conclusio sequatur debiliorem partem; hæc enim regula non habet locum in discursu merè applicativo, quia propositio universalis quæ ponitur in Majore, non est causa propositionis, quæ ponitur in Conclusione; cum propositio universalis nihil sit aliud, quam omnes propositiones particulares; Minor autem naturalis hæc: *atqui textus Jansenii est damnatus ab Ecclesia*, est tantum explicatio majoris universalis, & ejus applicatio ad hoc determinatum subjectnm, unde si propositio universalis est de fide, non obstante minori naturali, conclusio particularis in Majori contenta erit etiam de fide.

Urgebis Fides est ex auditu, auditus per Verbum Dei; atqui factum Jansenii non continetur Verbo Dei; ergo.

go. Item Ecclesia non habet novas revelationes, nec articuli fidei temporum succeſſione creſcunt; atqui hæc duo videntur admittenda, si factum Jansenii sit revelatum & fidei Divinæ; ergo.

Resp: *ad 1. dist*: *min*: Factum Jansenii Verbo Dei non continetur explicite & immediatè, *conc*: implicitè & mediatè, *nego*. Continetur enim in hac generali propositione revelata: *Omnis textus damnatus ab Ecclesia est damnabilis. Ad 2*. Hæc revelatio universalis non est nova, sed fuit ab initio, consequenter damnatio textus Jansenii non est novus articulus fidei, sed explicatio & applicatio revelationis universalis ad determinatum subjectum.

Instabis. Innocentius XIII. Brevi dato ad Episcopos Belgii 1694. dicit: sufficere, si damnentur quinq; propositiones in sensu obvio, quem verba præseferunt, nulla facta mentione sensûs Jansenii, ergo.

Resp: Dist: ant: Nulla facta mentione explicità sensûs Jansenii, *Trans*: implicita, *nego*. Dicit enim *se firmiſſime inhærere Constitutionibus suorum Prædeceſſo-*

rum

rum Innocentii X. *&* *Alexandri* VII. *easq; in suo robore semper permansisse - - - - eos qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debere sincere, absq; ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas propositiones in sensu obvio.* Summi autem Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. eas damnarunt in sensu a Jansenio intento.

Persistes. Clemens IX. admisit ad pacem Ecclesiæ quatuor Episcopos, Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Aletensem, qui in suis mandatis docuerant, sufficere pro facto Jansenii obsequiosum silentium; tantum ab iis exegit, ut subscriberent formulæ Alexandri VII. quod ipsi præstiterunt, sed inserta in secretis actibus verbalibus distinctione juris, & facti, declarantes assensum mentis dogmati debere, facto verò solam reverentiam silentii; ergo.

Resp. Clementem IX. hos Episcopos non admisisse ad pacem, nisi quia cum fundamento existimavit eos formulæ Alexandri VII. subscripsisse simpliciter, sine ulla limitatione, ut ipsi si-

ſignificatum fuit. Quod autem eorum Acta verbalia non innotuerint ſummo Pontifici, non mirum, erant enim ſecreta.

Oppones. Epiſcopus Catalaunenſis in declaratione ſua aperit Clementi IX. quis fuerit ſenſus horum quatuor Epiſcoporum in ſuis actibus verbalibus, nempe, quod formulæ ſine ulla exceptione duxerint ſubſcribendum, quod ad Pontificiam de *facto* ſententiam pertineret, eam cum reverentia quidem ſuſcipiendam, ſed intra fines, ne quid ipſi contrarium doceatur; ergo.

Reſp. Pontificem veriſimiliter intellexiſſe de facto perſonali Janſenii, utrum ſenſus propoſitionum eſſet ſenſus internus Janſenii, quia cum declaratio dicat, eos formulari ſubſcripſiſſe, in quolibet ſenſu, in quo ab Eccleſia damnatæ fuiſſent propoſitiones; Eccleſia autem eos damnaverit in ſenſu a Janſenio intento, non potuit Pontifex credere eos ad obſequioſum ſilentium reſtringere, reverentiam debitam facto dogmatico Janſenii, niſi ſupponendo eos pugnantia loqui.

Dices contra 1, reſp. princip. Argum.

Si

Si factum Jansenii non est revelatum, non est credendum fide Divina, sed humana tantum, proinde est incertum.

Resp. Factum Jansenii juxta datam resp. neq; fide Divina, neq; mere humana, sed fide Ecclesiastica, quæ est quasi media inter Divinam & humanam, sed certissima & firmissima, utpote innixa speciali assistentiæ Spiritus S. & inde infallibilitati Ecclesiæ in his rebus est credendum.

Nec dicas. Hanc assistentiam esse ipsam revelationem. Nam aliud est alicui revelare veritates, aliud auxiliari & adesse, ne a veritatibus revelatis deviet; patet in definitionibus Conciliorum, quibus non fiunt novæ revelationes, alioquin Patres forent scriptores sacri, & definitiones eorum essent S. Scriptura.

Instabis. Quidquid definitur in Conciliis, excepta fide, retractari potest; ergo si factum Jansenii non sit fidei, judicium Ecclesiæ circa illud non erit infallibile. *Ant.* *est S. Leonis Pont.* in Concil: Calced: *Præter id, quod ad causam fidei gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis.* *Resp:*

Resp. dist: Ant. In Conciliis solutis & a summo Pontifice non confirmatis, *conc:* subsistentibus & confirmatis, *neg.* Concilium autem Calcedonense, de quo loquitur S. Leo fuit absolutum Actione 6. antequam ageretur de tribus capitulis, & non nisi quoad damnationem hæreticorum fuit a S. Leone confirmatum.

Objic: 2. In quæstionibus facti errare posse Ecclesiam senserunt, qui de hac re scripserunt, ad censuram usq; famosarum quinq; propositionum Jansenij. ergo. *Prob. Ant.* S. Thomas Quodlibeto 9. q.8. Art: ult: ait; *in sententiis quæ ad particularia facta pertinent - - - possibile est Ecclesiæ judicium errare propter falsos testes.* Canus lib. 5. cap. 5. Concl. 3. *In moribus non toti Ecclesiæ communibus, sed qui ad privatos homines vel Ecclesias referuntur, errare per ignorantiam Ecclesia potest.* *Gerson* de potestate Ecclesiæ, *Bellarminus, &c.* ergo.

Resp. Hi & alii, quos congerit vitasse, loquuntur de factis particularibus de quibus Ecclesia fert judicium ex relatione hominum. 1. S. Thomas clare

re deſignat facta particularia, cum dicit: *in sententiis quæ ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de poſſeſſionibus, criminibus.* 2. Canum loqui de factis perſonalibus, conſtat ex exemplo, quod adducit: *Cum quis occulte uxore habita, alteram ducit publice, jubet illi ut priore relicta, poſteriorem accipiat.* 3. Idem refert Gerſon & addit: *& iſtud eſt unum factum, non jus.* 4. Similiter intelligitur Bellarminus, tum ex cauſa fallibilitatis Eccleſiæ in factis, quæ adducit: *quia ex teſtimoniis hominum præcipuè pendent,* Tum ex exemplis quæ profert: *Ut an talis ſit promovendus ad Epiſcopatum? an jure fuerit promotus? unde Ant: diſt:* poteſt. In quæſtionibus facti particularis ſivé perſonalis, *conc.* dogmatici *nego.* Cum enim factum perſonale ſpectet ſtatum vg. Innocentiam, internum animi ſenſum, quorum cognitio ex teſtimoniis hominum pendet, conſequens &c. At judicium de facto doctrinali, ſive doctrina in libris expreſſa, non pendet ex teſtimoniis hominum, ſed ex collatione doctrinæ in libris contentæ cum S. Scriptura & Traditio-

tionibus, fidei nostræ Regulis, unde fit; ut Ecclesia speciali Spiritûs S. assistentia adjuta in eo decidendo sit infallibilis.

Instabis. V. Bellarminus lib: 4. de S. Pontif. expendens causam *Honorij* dicit: *Tuto dicere possumus hos Patres* (VI. Synodi) *deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis*; ergo sentit Ecclesiam errare posse in factis dogmaticis.

Resp. nego conseq. Nam hic V. Bellarminus loquitur de facto mere personali Honorii, & interno, cujus decisio pendet principaliter ex informatione & testimoniis hominum. Nota V. Bellarminum per Patres Synodi intellexisse *Græcos*, cum certum sit Cardin. Turrecremata, quem citat, errorem facti in causa Honorii rejicere in solos Græcos; sicut & ipse V. Bellarminus in solutione Obj. dicit: *a Joanne IV. Martino I. Agathone & Nicolao I. Pontificibus, & a toto Concilio Romano, sub Martino congregato, eas Epistolas Honorii melius esse intellectas, quam a Græcis* in Concilio VI.

 Dices:

Dices: V. Bellarminus loquitur de Epiſtolis Honorii a Patribus Concilii *non intellectis*; ergo agit de ſenſu ejus literali, non perſonali.

Reſp. diſt. Ant. Loquitur de Epiſtolis ejus malé intellectis ſecundùm ejus ſenſum perſonalem & internum, *conc.* ſecundúm literalem, *nego.* Nam judicium de ſenſu literali textûs, qui ob oculos verſatur, non ſit ex informatione, & rumoribus; ſed ex conſideratione ſignificationis vocum & propoſitionum, cum Spiritûs S. gratia facta, earumq; collatione cum S. Scriptura & Traditionibus.

Objic. 3. Illud judicium non eſt infallibile quod aliquando revocat Eccleſia; atqui ſuum de textibus & libris dogmaticis judicium aliquando revocavit Eccleſia, ergo. *Prob. min.* 1. Concilium Antiochenum *Omouſios* vocem proſcripſit, quam tamen poſtea Concilium Nicænum I. approbavit. 2. Hæc vox *Chriſtotocos* habebatur ut Catholica; atqui tamen Concilium Epheſinum illam improbavit. 3. Concilium Calced. famoſa tria Capitula approbavit; eadem

Sy-

Synodus V. ut hæretica repudiavit; ergo.

Resp. ad 1. Proſcripſit ſecundùm ſenſum, quem Paulus Samoſatenus ei attribuit, non verò ſecundùm ſenſum Orthodoxum. Paulus per hanc vocem *Omouſios* intelligebat, Filium in Divinis habere quidem eandem naturam ſpecie cum Patre, ſed numero diſtinctam, quod non affirmant Patres Nicæni. *Ad* 2. Similiter vox *Chriſtotocos* in ſenſu Neſtoriano ſolum reprobata eſt, qui negando unionem hypoſtaticam; per vocem *Chriſtotocos* excludebat vocem *Theototicos*, ſive Dei Genitrix. *Ad 3. Nego Ant.* Nam in Concilio Calced. de tribus capitulis nihil fuit agitatum, ſed ſolum de admittendis ad communionem Theodoreto & Iba, qui poſtquam dixiſſent anathema Neſtorio, & Eutycheti, ac EpiſtolæS. Leonis ad S. Flavianum ſubſcripſiſſent, ad eam admiſſi fuerunt. Hinc Vigilius Papa, qui confirmavit V. Synodum, ait: *Abſit, ut tam horrendas blaſphœmias Patres Calcedonenſes approbaverint.*

Instabis. Legati S. Pontificis in Concilio Calced. sententiam pronuntiant: *relectis chartis agnovimus ex sententia RR. Episcoporum Ibam innoxium approbari.* Ergo concilium approbavit Epistolam Ibæ.

Resp: nego consequ: Non enim Ibas innoxius visus est, quia ejus epistola innoxia; sed quia interrogatus deprehensus est Orthodoxus. Teste enim Eumenio Nicomediæ Episcopo dicta in Cyrillum revocavit, & Nestorium ac Eutychetem damnavit, quare dignus Episcopatu judicatus est.

CONSECTARIUM

Supposita infallibilitate non S. Pontificis, a qua nunc abstrahimus, quia eam non agnoscunt ii, contra quos agimus, sed Ecclesiæ in controversiis fidei, & factis dogmaticis definiendis, sequitur non esse licitum appellare a Constitutione *Unigenitus* Clementis XI. damnante 101. Propositiones Paschasii Quesnel, ad futurum Concilium generale, quod hic brevi argumento ostenditur.

Non

Non licet appellare a judicio infallibili & irreformabili; atqui Constitutio *Unigenitus* est tale iudicium; ergo. *Prob: min.* Constitutio Unigenitus est judicium Ecclesiæ; atqui judicium Ecclesiæ est infallibile & irreformabile in dogmatibus, & factis dogmaticis desiniendis: ut hucusq; dictum; ergo. *Prob. Maj.* Ecclesia universalis Constitutionem *Unigenitus* acceptavit, & acceptando fecit suam; ergo. *Ant. constat.* Ex testimoniis Ecclesiarum Europæ, Italiæ, Siciliæ, Venetiarum, Sabaudiæ, Germaniæ, Belgij, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Hispaniarum, & Portugalliæ. Extant autem hujus rei testimonia in institutione Pastorali Emin. Card. de Bissii Tomo 3. Instit. 2. Quantum ad Galliam, ubi quæstio hæc mota est, 100. & 10. Episcopi hanc Constitutionem acceptarunt, 10. recusarunt, & quatuor tantum ad futurum Concilium appellarunt. Ex Academiis 24. in eodem Regno, tres tantum Parisiensis, Remensis, & Nanetensis acceptationem prius factam revocarunt. Ut vim hujus argumenti eludant Constitutionis præfatæ hostes. Di-

Dicunt. 1. Equidem Ecclesiam in Concilio congregatam esse infallibilem, at non dispersam.

Resp. Hoc assumptum stare non potest, cum apertè contradicat Christi promissionibus, quibus pollicitus est se futurum cum Ecclesia omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi; nunquid omnibus diebus congregantur Concilia? Nunquid Ecclesia dispersa, non est vera Ecclesia, quæ deficere non potest? Imo Ecclesia in Concilio congregata non est infallibilis, nisi quia repræsentat universam Ecclesiam dispersam; ergo a fortiori hæc est infallibilis.

Dicunt. 2. Ex silentio Episcoporum non potest colligi acceptatio Constitutionis dictæ, cum humanæ rationes silendi possint adesse.

Resp. 1. Habetur consensus expressus omnium fere Ecclesiarum. 2. DEUS non permittit, quod Episcopi circa falsum dogma publice propositum sileant; cúm id vergeret in defectionem Ecclesiæ; *Ecclesia Dei ea, quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* ait S. Aug. Epist. 55.

ali-

alias 119. Silentes ergo Episcopi hac in re censentur assensum præbere. Plura de hoc vide apud P. Bulluart Diss: 3. Art. 7. de infallibilitate Ecclesiæ.



ARTICULUS VIII.

Utrum Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum?

Canonizatio Sanctorum est *sententia canonica, & definitiva Sanctitatis ac gloriæ alicujus defuncti a S. Pontifice lata, universali Ecclesiæ proposita ac intimata, qua canonizatus exponitur publico cultû venerandus.*

Dico: 1. Ecclesia est infallibilis in canonizatione Sanctorum.

Prob: Nisi Ecclesia esset infallibilis in canonizatione Sanctorum, posset errare præcipiendo omnibus fidelibus, ut canonizato cultum exhibeant, Festum celebrent; atqui hoc falsum est; nam Ecclesia errare non potest in legibus generalibus ferendis, quæ concernunt mores fidelium; maximè autem refert

ad

ad mores fidelium, ne Ecclesia erret in Sanctis canonizandis, ut ait Canus lib: 5. cap. 5. Concl. 3. Hinc S. Aug. Epist: 118. ait: *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an sit faciendum, quod tota facit Ecclesia.* Et S. Thomas Quodlib. 9. art. 16. *Quia --- honor &c. quem Sanctis exhibemus, pie credendum est. quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit.* Ad primum. *Summus Pontifex cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus --- præcipuè per instinctum Spiritûs S.*

Dices. 1. Nullus ita potest esse certus de statu alicujus, sicut ipsemet de se; quia *quæ sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est.* 1. Corint: 2. atqui nullus potest esse certus de seipso; *nemo enim scit, utrum sit dignus modio vel amore* Eccl: 9. ergo. 2. Canonizatio Sanctorum nititur medio fallibili, scilicet humano testimonio. 3. In Martyrologio Usvardi recensetur inter Sanctos Eusebius Cæsariensis, quem tamen appellat S. Hieron. Signiferum Arianorum. 4. Juxta S. Aug. *Multa corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna.* 5. Ecclesia potest errare in pro-

po-

ponendis reliquiis absq; gravi inconvenienti; ergo & in proponendis Sanctis.

Resp: *ad 1*. Nullus potest ita esse certus seclusa assistentiâ Spiritûs S. de statu alicujus, benè tamen ea supposita. *Ad 2. nego ant:* Quamvis enim Ecclesia in hoc negotio requirat humana testimonia, tanquam manuductionem ad prudenter agendum, ejus tamen testimonium nititur testimoniis Divinis, quæ sunt vg. vita Sancta, miracula eorum meritis facta, peculiariter lumen & assistentia Spiritûs S. ut ait S. Thomas jam laudatus. *Ad 3.* Quod Eusebius ponitur in Usvardi Martyrologio, hoc solùm probat a particulari Ecclesia illum forte ut talem coli. Martyrologia quidem proponuntur toti Ecclesiæ, ut noscantur, qui in certis locis colantur; non ut omnes quos referunt, colantur ut Sancti a tota Ecclesia. Unde Ecclesia aliquando emendat Martyrologia. *Ad 4.* Juxta Sylvium & Bellarminum hic textus nullibi legitur in S. Augustino. Potest aliter intelligi de cultu civili, ut de magnificis sepulchris & similibus. *Ad 5.* Disp. est ex eo, quod Sanctus sit obje-

ctum

ctum directum cultus, cultus autem reliquiarum directe fertur in Sanctum, qui sit revera Sanctus.

Dico 2. Non videtur esse de fide, quod Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum, consequenter nec est de fide, quod ab Ecclesia canonizatus sit Sanctus.

Prob. 1. P. ex S. Thoma supra citato, qui judicium Ecclesiæ in canonizatione Sanctorum ponit medium inter judicium Ecclesiæ de rebus fidei, & judicium de factis particularibus, & dicit: quod non sit de fide, sed sit *pie credendum, quod in his judicium Ecclesiæ errare non possit.* Et quamvis sit fide certum Ecclesiam esse infallibilem in communi doctrina morum; non est tamen eadem fide certum canonizationem Sanctorum ad communem doctrinam morum pertinere; neq; enim id omnes concedunt. Hinc sequitur 2. P.

Petes 1. Quid censendum de beatificatione Sanctorum?

Nota: Beatificatio est *indulgentia sive licentia facta a S. Pontifice, ut aliquis in sanctitatis fama defunctus, Beatus possit appel-*

la-

lari, eiq; cultus in aliqua Provincia vel civitate cum Divini Officii recitatione exhiberi. Sic enim loquuntur beatificationis Decreta.

Resp. Piè credibile eſt Eccleſiam non poſſe errare in beatificatione Sanctorum. *Ratio* Quia in hoc negotio etiam procedit mature & alto judicio, multis inſtitutis probationibus, per multas congregationes perpensis, cum profunda indagatione probitatis vitæ, feliciſſimi exitûs, ac miraculorum, quæ Divina ſunt teſtimonia, beatificandi meritis patratorum.

Dices: Eccleſia beatificando quemquam non definit ultimate; ergo ipſius judicium pótеſt quandoq; errori eſſe obnoxium.

Resp: nego conſeqv. Et si non definiat ultimate, indulgendo tamen concedit, & approbat cultum hujus vel illius, in qua conceſſione & approbatione si erraret, ſuæ infallibilitati in doctrina morum, ſuæ ſanctitati & ſuo honori derogaret.

Petes 2. Qua ergo certitudine tenendum eſt Eccleſiam non poſſe errare in ca-

canonizatione & beatificatione Sanctorum?

Resp: Ut jam dictum, etsi non sit certum certitudine fidei Divinæ, est tamen certum certitudine fidei Ecclesiasticæ, omni certitudine humana majori, quæ cum Spiritûs S. assistentiæ innixa, sit in errorem nequaquam inducere potest, patet ex dictis.

Petes 3. Qua censurâ notanda propositio asserens Ecclesiam in tali judicio posse errare?

Resp: Esset 1. *Erronea*, quia opponitur communi sensui fidelium. 2. *Temeraria*, quia adversatur communi Theologorum sententiæ. 3. *Scandalosa*, quia inde communiter in fidelibus nascitur scandalum. 4. *Impia*, quia est contra religionem & cultum Sanctis debitum.

Petes 4. Quando habuit initium Sanctorum canonizatio?

Resp: Quamvis Sanctorum canonizatio, quo ad modum, qui nunc servatur in Ecclesia, non semper fuerit in usu, fuit tamen semper quò ad substantiam; ita quod nullus ut Sanctus coleretur, sine prævia discussione & approbatione il-

illius ſanctitatis ; ut conſtat ex *Optato* Milevitano lib. 1. contra *Parmen.* ubi significat illicitum fuiſſe venerari Reliquias alicujus *hominis etſi Martyris, ſed nondum vindicati*, id eſt, nondum approbati & recepti. Hæc vero diſcuſſio, approbatio ſeu canonizatio fiebat ab Epiſcopo vel Primate pro ſuis Eccleſiis tantum, ſed cultus in eis inſtitutus ex populorum devotione, accedente conſenſû tacito vel expreſſo S. Pontificis ſæpe extendebatur ad alias Eccleſias. Ob pericula quæ in his casibus contingere poſſunt vitanda, abuſusq; tollendos, Alexander III. cap. *Audivimus* de Reliquiis & veneratione Sanctorum jus canonizandi Sanctos, ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervavit, & ipſe S. *Bernardum* & *S. Thomam* Cantuarienſem canonizavit.

Petes. 5. An Ecclesia sit infallibilis in doctrina diſciplinæ?

Nota. Inter res faciendas, aliæ omnino ſunt neceſſariæ & immutabiles vg. quod talis contractus sit uſurarius, & vocantur *res morum;* aliæ ſunt liberæ & mutationi obnoxiæ vg. communio ſub

una,

una, vel duplici ſpecie, & vocantur *res diſciplinæ*; quæ res diſciplinæ rurſum vel eſt *univerſalis* pro tota Ecclesia invecta & probata; vel ſolum *particularis* pro aliqua particulari Ecclesia.

Reſp. 1. Ecclesia non poteſt errare in diſciplina generali, quæ ad omnes pertinet præcipienda. *Ratio.* Ex Concilio Apoſtolorum Act. 15. in quo præcipientes diſciplinam generalem, & quidem non diu duraturam, nempe abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato, aſſerunt ſe habere Præſidem & aſſiſtentem Spiritum S. *Viſum eſt*, ajunt, *Spiritui S. & nobis;* atqui certum eſt de fide Ecclesiam non poſſe errare in his, in quibus definiendis Præſidem habet Spiritum S. ergo.

Reſp. 2. In præceptis morum & diſciplinæ, quæ non toti Ecclesiæ communia ſunt; ſed quæ ad privatos homines, vel particularem Ecclesiam referuntur, Ecclesia non eſt infallibilis. *Ratio.* Quia circa hos mores & diſciplinam particularem Ecclesia nititur teſtimoniis hominum, qui & falli & fallere poſſunt. Unde Innocentius III. cap

a nobis de ſententia Excommunicationis ait: *Judicium DEI veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, ſemper innititur, judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit & falli.*



DISSERTATIO III.

DE SUMMO PONTIFICE.

Hoc, miſſis aliis inter Sacerdotium Leviticum, & Chriſti diſcrimen eſt, quod Aaron ſupremus in Synagoga Sacerdos conſtitutus a Deo, in ſuo munere habuit Succeſſores; at Chriſtus totius Eccleſiæ caput, & Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech factus, minime, *hic autem* (Chriſtus) *quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Hebr: 7. Attamen antequam de hoc mundo exiret ad Patrem interpellaturus pro nobis, Petrum in terris ſuum conſtituit Vicarium, ſummum, Viſibilem in iis, quæ

quæ ſunt ad DEUM, Pontificem; ipſe autem habuit, & uſq; ad conſummationem ſæculi habebit in ſua dignitate Succeſſores. Quinam igitur ſit ille Summus Pontifex, Vicarius Chriſti, Petri Succeſſor, ejuſq; dotes? examinemus.



ARTICULUS I.

De Sancto Petro.

Novatores ex odio in Eccleſiam Romanam ajunt Chriſtum non unum Petrum. ſed omnes omnino Apoſtolos conſtituiſſe Eccleſiæ capita, cum poteſtate æquali illam regendi. Hoc eo fine aſſerunt, ut evincant Romanum Pontificem nullo modô ſuperiorem eſſe aliis Epiſcopis, inter quos ad ſummum eſt primus inter pares. Alii verò, ut Authoritatem ſummi Pontificis eludant, contra omnem traditionem & hiſtoriam audacter pugnant dicentes cum Centuriatoribus Magdeburgenſibus S. Petrum nunquam Romæ fuiſſe, multominus Sedem ibidem fixiſſe; hinc concludunt Romanum Pontificem Petri in

Sede ſucceſſorem, & Chriſti in terris Vicarium eſſe non poſſe.

§ I.

Utrum S. Petrus conſtitutus ſit a Chriſto totius Eccleſiæ Caput & Primas?

Apoſtolatus, qui ſignificat *miſſum*, tres exigit conditiones 1. Poteſtatem ordinis ad ligandum & ſolvendum. 2. Conſecrationem Epiſcopalem, nam & ipſi Epiſcopos alios creare & conſecrare, imo & Eccleſias particulares erigere poſſunt. 3. Jurisdictionem univerſalem, quippe, qui mittantur in omnem terram, eo ſanè fine, ut doceant omnes gentes. Indubium eſt Apoſtolos omnes fuiſſe Sacerdotes & Epiſcopos conſtitutos a Chriſto. Ab eo etiam de via extraordinaria acceperunt juriſdictionem in mundum univerſum, quod indigitat Scriptura Joan: 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; quem locum de jurisdictione univerſali conceſſa explicat *S. Cyril:* Alex: *Chryſoſtomus* & alii. Quæſtio ergo eſt de juriſdictione ordinaria, an ea a Chriſto ſit collata Petro tum in Apoſtolos a-

lios, tum in Ecclesiam totam, tanquam Capiti & Ecclesiæ Primati.

Dico: S. Petrus constitutus fuit a Christo totius Ecclesiæ Caput, Primas & Apostolorum Princeps.

Prob:, 1. Christus soli Petro promisit conferre primatum & supremum regimen suæ Ecclesiæ Math: 16. etsi præsentes fuerint cæteri Apostoli, ad solum Petrum ejus Divinitatem profitentem sermonem direxit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ex quo sic. His Verbis Christus promittit se Petro aliquid collaturum, quod cæteris Apostolis præsentibus, & promissionem factam Petro, audientibus conferendum non erat; atqui id aliud esse non potest, quam Ecclesiæ primatus regimen & principatus supra cæteros, ut patet; ergo. Promissionem mox factam adimplet Christus & actû regimen generale Eccle-

clesiæ Petro confert, dum Joan: 21. in præsentia aliorum Apostolorum soli Petro dixit: *Pasce agnos meos - - - Pasce oves meas;* atqui *pascere oves*, id est subditos, idem est, ac illos regere; cum officium Pastoris sit non solum pascua præbere, sed etiam oves ducere, tueri, pæesse, dirigere, castigare, cogere, ut pareant. Sic enim David Psal: 77. dicitur *pavisse Israel*, id est, rexisse; ergo. Sed forte.

Dices: Quod Christus tantum partem quarundam ovium Petro commmiserit. Nam hoc stare non potest: Cum enim Ly *meas* absq; omni restrictione addatur ad nomen *Oves*, clarè denotatur, eas omnes Petro commendari, ad quas extenditur vocula *meas;* atqui certum est hanc voculam *meas* extendi ad omnes omnino fideles, cujuscunq; dignitatis & conditionis sint; cum omnes sint oves Christi; ergo Christus Petro commisit regimen super omnes fideles, consequenter super totam Ecclesiam, & ovile Christi, in quo cum sint oves magnæ & parvæ, agni & matres; ideo Christus volens omnes complecti dixit

Petro 1mo. *Pasce agnos meos*, id est: inferiores fideles; dixit 2dò. *Pasce oves meas*, universaliter complectendo omnes, quotquot pertinent ad suum ovile; etiam majores, Pastores Episcopos (quos confirmare jubetur Lucæ 22.) Parochos &c. qui velut Matres illos agnos pepererunt.

Prob: 2. Ex Prærogativis S. Petri: ex quibus saltem simul sumptis, primatus ejusdem & eminentia supra cæteros Apostolos colligitur. Sunt autem præcipuè sequentes, *1mò.* Quod soli Petro Christus mutaverit nomen: *Simon Jona*, seu *Joannis Filius. Tu es Petrus. 2dò.* Quod non tantùm primo locô soleat poni ab Evangelistis, quando recensent Apostolos, verùm etiam quod expressè vocetur *primus*, uti Math: 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui dicitur Petrus. 3tiò* Quod inter Apostolos soli Petro facta est revelatio Divinitatis Christi Math: 16. *4tò.* Quod Christus pro solo Petro solverit tributum, Math: 17. *5tò.* Quod Christus solius Petri naviculam ingressus sit, & ex ea docuerit, Lucæ 5.

6tò.

6tò. Quòd pro ſolo Petro rogaverit, ut non deficeret fides ejus, illiq; ſoli dixerit: *Confirma fratres tuos* Lucæ 22. *7mò.* Quod S. Petrus electioni S. Mathiæ præſiderit Act: 1. *8vò.* Quòd primus Evangelium promulgaverit & ad fidem tria millia converterit Act: 2. *9nò.* Quòd primus miraculô fidem confirmaverit Act: 3. *10mò.* Quòd primus Eccleſiæ januam gentibus aperuerit Act: 10. *11mò.* Quòd primus in Concilio Apoſtolorum ſententiam tulerit, Act: 15. *12mò.* Quòd Chriſtus poſt reſurrectionem Petro ex Apoſtolis primò apparuerit. Ex quibus Prærogativis, aliquæ præceſserunt primatum Petri, aliquæ ſecutæ ſunt. Priores vel erant ſigna futuri primatûs, vel diſpoſitiones præviæ, vel promiſſiones ad eundem obtinendum; reliquæ effectus, & quaſi exercitia primatûs obtenti.

Prob: 3. Ex Patribus, qui Primatum Petri omni modô docuerunt: S. Cypr: lib: de unit: Eccl: *Primatus Petro datur, ut una Eccleſia & una Cathedra monſtretur.* Optatus Milev. lib: 2. contra Parmen. *Negare non potes* (Parmeniane)

ſcire te in Urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus - - - in qua una Cathedra, ut unitas ab omnibus ſervaretur; ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi defenderent, ut jam Schiſmaticus & peccator eſſet qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Egregium eſt, quod ait Ambroſius in cap ult: Lucæ. *Quia ſolus profitetur Chriſti Divinitatem omnibus antefertur.* Et in cap: 12. Epiſt: 2. ad Corint: *Primatum non accepit Andræas ſed Petrus.* Hieron: in tota ſua Epiſt: ad Damaſum de nomine hypoſtaſeon mira ſcribit de principatu S. Petri & ejus ſedis: *Super*, ait *petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Adde Auguſtinum, quem nobis ſolent objicere ut contrarium, qui lib: contra partem Donati ait: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Et lib: 2. de baptiſmo cap: 1. *In quo Petro primatus Apoſtolorum tam excellenti gratiâ præeminet.* Sic Patres Latini. Conſentiunt cum iis Græci. S. Iren: lib: 3. hær: cap: 3.

Ad

Ad hanc enim Ecclesiam tanquam potiorem, alii legunt potentiorem *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undiq; fideles.* S. Cyril: Alex: lib: 12. in Joan: *Præ aliis emicat ille cæterorum Caput & Princeps*, & alii. Hinc Concil: Chalced: Act: 3. dicit de S. Petro. *Qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum.*

Prob: Ratione Theologica 1. Christus in Ecclesia instituit regimen Monarchicum, in quo unus extat supremus Princeps, qui plena potestate rerum summam administrat; ergo non instituit ex æquo, omnes Apostolos totius Ecclesiæ Principes, & Rectores, sed unum duntaxat ex illis, quis autem ille est; non Andræas, sed Petrus respondet S. Ambrosius. *Prob: Ant:* Ecclesia Danielis 2. comparatur regno. Cant: 6. exercitui ordinato. 1. Petri 3. Navi. Joan: 10. Ovili; atqui hæc omnia ab uno supremo moderatore gubernantur. Aliundè optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum propter pacem, & unitatem subditorum; unus enim

enim eſt congruentior cauſa unitatis & concordiæ, quam multi. Sic Synagogæ præfuit unus Supremus Princeps ſubditorum; ſic in Eccleſia triumphante, ex qua militans derivatur per ſimilitudinem, unus præſidet ſcilicet Deus.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic: 1. Ex laudato cap: 16. Math: nihil erui poteſt pro primatu S. Petri; ergo. *Prob: Ant: 1.* Quia per has particulas: *Et ſuper hanc petram* non intelligitur S. Petrus, ſed Chriſtus ipſe, juxta illud 1. Corint: 10. *Petra autem erat Chriſtus*, & illud ibidem 3. cap: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JESUS* Et juxta S. Aug: qui Tract: Ult: in Joan: dicit: *Super hanc petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam.* Et ſermone 13. de Verbis Domini: *Tu es &c. ſuper me ædificabo te, non me ſuper te; ergo. 2do.* Dato præfata verba aliquo modô ad Petrum referri, non tamen ad ejus perſonam, ſed ad ejus fidem

seu

ſeu confeſſionem, ita ut ſit ſenſus; ſuper hanc confeſſionem Petri ædificabo Eccleſiam meam. Ita S. *Hilarius* lib: 6. de Trinit: *Super hanc igitur confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt.* Similiter *Cyril*: Alex: *Chryſoſt*: *3tio.* Laudata verba: *Tibi dabo claves regni, &c.* non referuntur ad Perſonam Petri ſingulariter, ſed ad Eccleſiam, ita ut claves ſint collatæ Petro nomine Eccleſiæ, ut ait: S. *Aug:* Tract: 50. in Joan: *Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſignificavit;* ergo.

Reſp: nego ant: ad 1. Prob: nego ant: Nam Sectarij vim manifeſtê inferunt textui, *1.* quia pronomen *hanc*, relativum *ſuper hanc petram* denotat petram, de qua prius facta eſt mentio; de Chriſto nulla facta eſt mentio ſub nomine petræ, ſed ſub nomine Filii DEI vivi; bene de Petro ſub nomine petræ, *tu es Cephas* ſeu *petra.* *2dò.* Si intelligatur de Chriſto ſit ſenſus involutus, & intricatus, ſcilicet: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram* id eſt: ſuper me: *ædificabo Eccleſiam meam, & tibi* Petro *dabo claves;* quô nihil eſt intricatius,

&

& a ſenſu naturali magis alienum. *3tio.* Poſt confeſſionem Petri & hæc Verba: *Beatus es Simon Barjona*, Chriſtus adjecit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram &c.* tanquam clauſulam præcedentium, & ut præmium confeſſionis Petri; ergo ad ipſum referuntur, & non ad Chriſtum. *4to.* Si ad Chriſtum referrentur, non dixiſſet ædificabo, ſed ædifico, quia tunc jam in ſe ædificaverat Apoſtolos & Diſcipulos multos. Ex quibus patet interpretationem Sectariorum contortam ſtare non poſſe, imo eſſe contrariam communi Patrum ſenſui.

Ad 1. Ant: Ex eo, quod loco citato Pauli per *Petram* intelligatur Chriſtus, non ſequitur, quod ubicunq; petra ponitur, intelligatur Chriſtus. Eſt enim id proprium dictionibus tranſlatis, ut ſecundum diverſas circumſtantias diverſo ſenſû accipiantur; ſic in Scripturis Judas filius Jacob dicitur leo, dicitur & Chriſtus, imo Diabolus, etſi ſenſû diverſo.

Ad 2dum. Apoſtolus ibi loquitur de primario & principali fundamento, non de ſecundario & miniſteriali, aliás ſibi

con-

contradiceret; cùm ad Ephes: 2. dicat: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Nec *Inferas*. Ergo saltem cæteri Apostoli cum Petro sunt fundamenta secundaria Ecclesiæ, & sic nihil habemus speciale pro Petro ex cap: 16. Math:

Resp: Equidem sunt sed diverso, non eodem jure. Cæteri Apostoli sunt & dicuntur fundamenta Ecclesiæ secundaria quatenus doctrinam Evangelicam sibi revelatam ubiq; disseminarunt, miracula ediderunt, Spiritum S. contulerunt, Ecclesias fundarunt, eas rexerunt, Episcopos constituerunt; sed hæc præstiterunt ut Apostoli & Delegati jure extraordinario. Petrus autem jure ordinario, ut Pastor ordinarius & supremum caput, cui cæteri Apostoli subordinabantur, & ipse illis non subordinabatur; & hoc est, quod illi soli Math: 26. promittitur. Hinc S. Hier: lib: 1. contra Jovinianum cap: 14. *Licet*, inquit, *super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, Schismatis tolleretur occasio*. Simile habetur in Prob: ex Optato Milevit.

Ad S. Aug: Equidem S. Doctor utramq; expositionem tradidit idq; ipse agnoscit lib: 1. Retract: cap: 21. dicens: *Harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat Lector*, additq; nostram *cantari ore multorum in versibus S. Ambrosij*, & cum sit longe conformior textui, eamq; communiter tradant Patres omnino præferenda est.

Ad 2. Prob: dist: ant: Verba *super hanc petram &c.* referuntur ad confessionem Petri, ut ad causam meritoriam promissionis, *conc*: ut ad subjectum, cui fit promissio, *nego*: SS. ergo Patres sic loquentes non sumunt confessionem in abstracto & seorsim a Petro, sed pro Petro consitente, ita ut confessio sit ratio, propter quam promittatur hæc prærogativa, Petrus verò persona cui promittitur. Sic dum S. *Hieron*: Epist: 61. de eodem Petro loquens dicit: super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem, non negat corpus Petri veré ambulasse super aquas, sed vult hoc miraculum non agilitati corporis Petri, sed ejus fidei esse tribuendum, ita hic. Unde ipse *Hilarius* dicit: *Dignum plane con-*

confessio Petri præmium consecuta est - - O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum!

Ad 3. Prob: August: dicit claves Petro esse collatas nomine Ecclesiæ, quia illas accepit non ut privata persona, sed ut caput Ecclesiæ, & propter ejus utilitatem; quod autem conceditur capiti propter corpus, censetur corpori concessum. Unde ipse S. Aug: Tract: 124. in Joan: dicit: *Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui primatum Ecclesiæ gerebat figurata quadam generalitate personam.* Figurata autem expositio non impedit veritatem historiæ. Sic juxta eundem in Psal: 108. Judas erat figura malorum, sicut Petrus ratione primatus erat figura Ecclesiæ; sicut ergo Judas vere personaliter prodidit Christum, ita Petrus vere personaliter accepit claves.

Instabis. Saltem verba Christi dicta Petro, ad omnes Apostolos referri debent; ergo. *Prob: Ant:* Christus interrogabat omnes: *Vos autem quem me esse dicitis?* Et Petrus nomine omnium respondit: *Tu es Christus Filius DEI vivi;*

ergo

ergo Chriſtus reſpondens Petro in ipſo reſpondet omnibus (quos interrogaverat) *Beatus es &c.*

Reſp: nego ant: ad prob: nego conſequ: 1. Chriſtus reſpondens confeſſioni Petri, manifeſté ſignificat ſe Petrum ſpecialiter alloqui, appellat ipſum omnibus proprijs nominibus, quibus ab alijs diſtinguitur, nomine nativitatis *Simon*, nomine Patriæ *Barjona*, nomine, quod ipſi impoſuit, *Cephas*; dicit illi ſpecialiter præ alijs: *Tibi dabo*, aſſignat cauſam promiſſionis, ſcilicet eminentem confeſſionem a Deo inſpiratam, quam ipſe ſolus fecit. Potuiſſetne magis ſpecialiter, ipſum ab aliis diſtinguere, deſignare, indicare? Poſſetne clarius & ſpecialius Notarius deſignare hominem quem vult intelligi in teſtamento, vel alio actu publico. 2. Quamvis Petrus nomine omnium reſponderit, ipſi tamen ab aliis non fuit commiſſum ſic reſpondendi, nec aliquo modo alii ad ejus reſponſum concurrerant, cùm non caro & ſangvis, ſed Pater cæleſtis ipſi revelaſſet; ex proprio ergo fundo, ex proprio merito, ex proprio privilegio reſ-

respondit supplens aliorum defectum. Exempli causâ, si Rex belli Duces congregatos interrogaret de rebellica, & uni aliorum nomine aptè respondenti Rex dicat, creo te in supremum Ducem exercitûs; num forte omnes erunt creati & assumpti ad tale munus? An ipse solus respondens?

Repones: Christus Math: 18. cæteris Apostolis ac Petro parem contulit potestatem, cum illis dixit: *Quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata* & *in cœlo*; ergo.

Resp: 1. nego ant: Potestas enim clavium Math: 16. Petro tradita, est quid majus & superius ad solam potestatem ligandi & solvendi; quippe quæ est tantum actus inadæquatus clavium ut probat latè *Cajetanus* de primatu S. Pontif: cap: 5. & 7. Igitur collatio clavium Regni cælorum tribuit potestatem faciendi omnia, quæ ad regimen cælorum pertinent, & tollendi obstacula omnia quæ ingressum impediunt; ad hoc est necessarium aliquando veritates fidei determinare, hæreses damnare, concilia convocare, hunc monere, illi

jube-

Jubere, aut prohibere *&c.* Hæc autem non continentur ſub præciſa ratione ligandi & ſolvendi, quæ ſunt tantùm actus judiciales, vel in foro conſcientiæ. 2. Eſto per laudata verba Math: 18. Apoſtolis parem ac Petro poteſtatem eſſe promiſſam (non enim tunc fuit collata ſed Joan: 20.) alio tamen modo Petro, alio Apoſtolis collata eſt, Apoſtolis ut delegatis, Petro ut Paſtori ordinario, illis dependenter & cum ſubordinatione ad Petrum, Petro independenter & ſupremè. Hac enim de cauſa, ut dictum, Math: 16. ſoli Petro coram alijs dicitur: *Tibi dabo claves* & Joan: 21. *Paſce oves meas*, idq; ob ſingularem ejus fidem & dilectionem.

Obijc: 2. Neq; ex his verbis Joan: 21. *Paſce agnos meos, paſce oves meas* aliquid evinci poteſt pro primatu Petri; ergo. *Prob: ant:* Quod Chriſtus dixit Petro: *Pasce oves meas*, omnibus dixit ergo. *Prob: ant:* 1. Quia ipſe Petrus Epiſt: 1. cap: 5. dicit Epiſcopis: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem DEI.* 2do. Quia S. Aug: lib: 6. de agone Chriſtiano cap: 30. *Cùm ei,* (inquit Petro) *dici-*

dicitur, ad omnes dicitur, amas me? paſce oves meas; ergo.

Reſp. nego ant: ad prob: diſt: ant: Omnibus dixit quantúm ad gregem determinatum, *Trans*: quantum ad omnes generaliter, ſicut dictum eſt Petro, *nego*. Unde ipſe Petrus in Epiſt: non dicit ſimpliciter: *Paſcite gregem*, ſed *paſcite gregem qui in vobis eſt*, id eſt gregem particularem vobis commiſſum. Et hoc ſenſû intellige S. Auguſt: niſi cum aliis ſic intelligas: *dicitur ad omnes* id eſt, ad omnes Petri Succeſſores, non ad omnes Apoſtolos. Cæterum conſtat de mente S. Auguſt: qui lib: de Paſt: cap: 13. dicit: *Multi erant Apoſtoli, & uni dicitur paſce oves meas.*

Objic: 3. plura ex Scripturis 1. Xtus Math: 28. & Joan: 20. æqualiter mittit omnes Apoſtolos, & omnibus æqualiter dicit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos &c.* 2. Lucæ 22. Apoſtolos de primatu contendentes redarguit; ſi autem Petro fuiſſet collatus primatus, de illo non fuiſſet contentio, ſed Petrum indicaſſet. 3. Act: 3. Petrus miſſus eſt ab Apoſtolis; non eſt

autem ſuperioris mitti ab inferiori. 4. Non legitur Petrum ullum juriſdictionis actum exercuiſſe in Apoſtolos. 5. Petrus non ſemper ponitur primo locô dum nominantur Apoſtoli: *Jacobus, Cephas, & Joannes*, ad Gal: 2. ergo.

Reſp: ad 1. Ex miſſione Apoſtolorum ſequitur eos pares eſſe Petro in ratione Apoſtolatûs, non in ratione officii paſtoralis. *Ad 2.* Xtus redarguit Apoſtolos contendentes de primatu temporalis dominationis & quæſito ex ambitione, ut patet ex contextu: *Reges Gentium dominantur eorum.* Nota. Primatus Spiritualis Petri, protunc promiſſus ipſi, nondum collatus erat. *Ad 3.* Apoſtoli miſerunt Petrum non imperiô, ſed conſiliô, non jubendo, ſed ſuadendo & conſulendo. *Ad 4. 1.* nego ant: Nam S. Petrus convocavit Apoſtolos in electione S. Mathiæ 2. Non omnia, quæ fecit Petrus, ſcripta ſunt. 3. *Dato ant: nego conſequ:* Tum quia Apoſtoli a Spiritu S. ducti optime ſe gererent, non erat opus, ut Petrus in eos ſuam exerceret juriſdictionem; tum quia ab actu ad potentiam non

valet

valet argumentum negativè. *Ad 5tum* nego consequ: Sæpius enim ponitur, ut in Prob: dictum. Quod autem in præfato loco non ponatur primo locô, causa est, quia ibi narrantur ea, quæ peracta sunt Jerosolymis, ubi Jacobus erat Episcopus. Secus in alijs, sic idem Paulus in eadem Epist: ad Gal: 1. narrat se post annos tres ascendisse Jerosolymam videre Petrum, non dicit Jacobum, & si fuerat tunc loci Antistes. Et ideo Ambrosius in hæc verba ait: *Dignum erat, ut videret Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum:* & Hieron: *Venit Paulus videre Petrum non discendi studió, sed honoris priori Apostolo deferendi.*

Objic: 4. Ex Patribus: S. Cyprianus lib: 2. de unitate Eccl: dicit: *Hoc erant utiq; cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* S. Clemens apud Eusebium lib: 2. Historiæ cap: 1. dicit: *Petrus, Jacobus, & Joannes post Ascensionem Salvatoris, quamvis fuerint ab ipso omnibus pene prælati; tamen non sibi vindicabant primatus gloriam,*

ſed Jacobum qui vocabatur juſtus, Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuerunt; ergo.

Reſp: Ad S. Cyprianum; hic dicit cæteros Apoſtolos fuiſſe pares Petro conſortio honoris & poteſtatis in ratione Apoſtolatûs, non autem in ratione Epiſcopatûs, & Officij paſtoralis. Vel quò ad amplitudinem rerum gerendarum, non quò ad modùm agendi. Apoſtoli omnia potuerunt, quæ potuit Petrus, ſed ſubordinati Petro: Petrus omnia poterat, ut Paſtor ordinarius, & jure ſuo, alteri non ſubordinatus. *Ad S. Clementem*. Ejus textum interpolatum eſſe apud Euſebium communiter docent Critici; nam in Codicibus, quos vidit & contulit *Valeſius*, non legitur *primatus* nec *Apoſtolorum* ſed *Jeroſolimorum Epiſcopum*. Similiter legitur apud *Nicephorum* lib: 2. cap: 3.

Petes 1. An ſuſtineri poteſt propoſitio: *Inter Petrum & Paulum fuit omnimoda æqualitas primatûs?*

Reſp; Negative. Præter enim probationes, quæ militant ſicut de cæteris Apoſtolis ita & de Paulo, Innocentius X. hanc propoſitionem: *S. Petrus & S.*

Pau-

Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, summa inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt, vel sunt duo summi Ecclesiæ Pastores, ac Præsides qui unicum Caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnem æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema & regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit & declaravit.

Petes 2. Cur S. Aug: in 1. argumento citatus locum Math: 16. *super hanc petram* pluribꝰ in locis ad Christum retulerit?

Respondent Quidam, id contigisse ex ignorantia linguæ Hebraicæ seu Syriacæ. Ratio enim, quam loco citato Retract: adfert S. Doctor cur hæc verba *super hanc petram*, ad Christum non ad Petrum retulerit, est; quia, ait, *non est dictum illi* (Petro) *tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus*, existimans *Cephas*, non significare *petram*, sed aliquid derivatum a petra, quasi petri-

 num,

num, aut saxeum a saxo, hacq; de causa latinum Interpretem vertisse, *Tu es Petrus*, & non, *tu es petra*, & quia Ecclesia supra petram, & non super aliquid petrinum erat ædificanda, existimavit S. August: per illam petram non intelligi Petrum, sed Christum, de quo dictum; *Petra erat Christus*. Si ergo S. Doctor advertisset (ajunt) *Cephas* nihil aliud significare quam petram, aut saxum, & Christum dixisse, *Tu es petra*, *& super hanc &c.* procul dubio nostram expositionem ubiq; secutus fuisset.


Respondet Natalis Alex: Dissert: 4. Sæculi I. §. 3. Objic. 1. Augustinum hæc verba: *Super hanc petram &c.* retulisse ad Xtum, quia contra Donatistas agebat, qui Sacramentorum vim in Ministrorum sanctitate collocabant; Unde timens ne si Ecclesia in Petro fundata diceretur, homines de sanctitate Ministrorum præsumerent, ac super eos spirituale fundarent ædificium, ideo totam fundamenti rationem ad Xtum revocavit. Hoc scrupulo adductum August. eam amplexum fuisse interpretationem constat ex loco laudato Serm: 13. de

13. de Verbis Domini, ubi poſt verba recenſita ſubjungit: *Nam volentes homines ædificari ſuper homines, dicebant: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha, ipſe eſt Petrus, & alii quidem nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper petram, ego autem ſum Chriſti.* Quamobrem addit paulò poſt, laudatus *Alexan:* Illa S. Auguſtini expoſitio eò tantum ſpectat, nè exiſtimemus, Petrum propria virtute, & ſeorſim a Xto Eccleſiam ædificaſſe; Chriſtum itaq; cauſam, principem & præcipuum in ædificatione Eccleſiæ fundamentum Auguſtinûs agnoſcit, ſed S. Petrum fundamentum eſſe a Xto ſecundum præcipui miniſterii ratione, minimè diffitetur. Unde hoc ipſo S. D. Petrum *primum & præcipuum Apoſtolorum* vocat, & ejus *Apoſtolatûs principatum* verbis magnificis commendat. Hæc ille.

Petes 3. Cur non ſufficit Eccleſiæ ut ſuum principale veneretur caput Chriſtum?

Reſp: Id non ſufficere, quia licet Xtus ſemper Sacramenta perficiat & miniſtret juxta illud Joan. 1. *Hic eſt qui bapti-*

baptizat. Cum tamen ſuam præſentiam corporaliter viſibilem ſubſtracturus eſſet, conſtituit Miniſtros, qui Sacramenta viſibiliter miniſtrarent; hinc ſimiliter oportuit, ut aliquem conſtitueret, qui loco ſui univerſalis Eccleſiæ curam gereret.



ARTICULUS II.

Num S. Petrus ſuam Romæ fixerit ſedem?

Quoniam jus ſucceſſionis Pontificum Rom: in eo fundatur, quod Petrus ſedem ſuam Romæ fixerit, atq; ibidem uſq; ad mortem ſederit, quæſtionem examinandam ſuſcipimus: *Num S. Petrus &c.* Hæretici, qui omnia tentant, ut Romani Pontificis dignitatem deprimant, in dubium revocant id, quod jam ab annis 1500. uſq; ad prætenſæ reformationis tempora, conſtantiſſime a toto orbe creditum eſt, S. Petrum Epiſcopum & Romæ fuiſſe, & ibidem per crucis martyrium Spiritum Domino reddidiſſe. *Udalricus* Velenus Lutheranus ſecutus *Gulelmum* quendam *Viclefi*

Præ-

Præceptorem, librum integrum hac de re edidit, in quo 18. persuasionibus (sic eas vocat) demonstrasse se putat, Petrum nunquam fuisse Romæ, & tam Petrum quam Paulum Jerosolymis esse occisos; *Velenum* sequitur *Illyricus* itidem Lutheranus. *Calvinus* lib: 4. Instit: cap: 6. §. 15. postquam rem totam esse dubiam ostendere est conatus, concludit ita: *Tamen propter Scriptorum consensum non pugno, quin illic mortuus fuerit, sed Episcopum fuisse præsertim longo tempore, persvaderi nequeo.* Similia habent Magdeburgenses Centur. 1. lib. 2. c. 10.

Ut Calvini astutiam cognoscas, observandum quatuor esse, quæ a Sectariis in dubium revocantur. 1. An Petrus fuerit Romæ. 2. An sit mortuus Romæ. 3. An fuerit Episcopus Romæ. 4. An Romanum Pontificatum semel susceptum nunquam mutaverit? Quia ex his quatuor, ultimum sufficit ad Romani Pontificis primatum constituendum, Calvinus de prioribus tribus non adeo sollicitus, quartum audacter negat. Nam *primum* neq; sufficere, neq; requiri planum est, cum multi veniant Romam,

mam, qui tamen Romani Pontifices non evadunt,· & multi Romani Pontifices nunquam fuerunt Romæ, ut Clemens V. Joannes XXII. &c. qui in Galliis morati sunt. *Alterum* neq; requiri, neq; sufficere in confesso est, patet in iis, qui extra urbem mortui sunt, ut S. Clemens in Ponto & alij alibi. *Tertium* autem requiri, sed non sufficere ex eo colligitur, quod ipse Petrus Episcopus Antiochiæ fuit, tamen quoniam sedem aliò transtulit, nunquam deinceps locum primum Episcopi Antiocheni habuerunt. Igitur *quartum* & requiritur & sufficit. Quia tamen omnia vera sunt, singula breviter probabimus.

Dico 1. Sanctus Petrus fuit Romæ.

Prob: Ipse Petrus in sua Epist: 1. circa finem non obscure innuit se Romæ fuisse, dum ait: *Salutant vos Ecclesiæ in Babylone collectæ, & Marcus filius meus.* Hanc namq; Epistolam Româ, quam vocat Babylon, scriptam esse a Petro testis est Papias Apostolorum Discipulus apud Eusebium lib: 2. Hist: cap: 15. *Papias*, ait Eusebius, *& hoc dicit, quod Petrus in 1. Epistola sua, quam de Urbe Roma*

Roma ſcripſit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylona nominavit. Teſtis eſt etiam S. Hieronymus lib: de Viris illuſt: in Marco. *Petrus in Epiſtola 1. ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans.* Eodem modô exponunt ii, qui Commentaria in hanc Epiſtolam ediderunt, ut *Oecumenius*, *Beda*, & alii. Præterea S. Joannes in Apocal: paſſim Romam vocat Babylonem, maxime cap: 17. ubi dicitur Babylon magna ſedere ſupra ſeptem montes. Tandem Sectarii cum Luthero paſſim vocant Romam Babylonem in Apocalipſi deſcriptam.

Prob: 2. Idem probatur ex Actibus cap: ult: & ex Epiſt: ad Rom: ex quibus locis apertè colligitur, ante adventum Pauli Romam, multos fuiſſe Chriſtianos, imo Eccleſiam amplam; atqui hæc Eccleſia non ab alio, quam a Petro fundata eſt. Hoc namq; teſtes omni exceptione majores teſtantur; *Irenæus* lib: 3. cap: 3. dicit: Romanam Eccleſiam a Petro, & Paulo fundatam, id eſt, primum a Petro, deinde amborum prædicatione. *Euſebius* lib: 2. Hiſt: cap: 14. *Salutaris prædicationis verbo PRIMUS in*

urbe

urbe Roma Evangelii ſui clavibus januam Regni cœleſtis aperuit. Paulus Oroſius. lib: 7. Hiſt: cap: 6. *Exordio Regni Claudii Petrus . . . Romam venit . . . . atq; exinde* (nota) *Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt. Epiphanius* hær: *27. Primi in Roma fuerunt Petrus & Paulus. Theodoretus,* in cap: 1. ad Rom: *Primus eis* (Romanis, quorum fidem annuntiari in univerſo mundo ad ipſos ſcribit Paulus, qui ad illud tempus nondum Romæ fuerat) *magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit;* ergo.

Dico 2. Sanctum Petrum Romæ mortuum eſſe.

Prob: Petrum & Paulum Romæ mortem oppetiiſſe teſtantur eorum ſepulchra. Nam ſi Romæ mortui non ſunt, quis eorum corpora Romam detulit? Unde, quando, & quibus teſtibus detulit? Si dicant Sectarii eorum corpora Romæ non eſſe, ubi ergo ſunt? Certe nuſquam alibi eſſe dicuntur. Aliorum Sanctorum corpora diligentiſſimè ſunt ſervata, Summorum Apoſtolorum corpora neglecta eſſe, quis credet? Hinc Euſebius lib: 2. Hiſt: cap: 25. ait: *Horum teſtimonium* (mortis SS. Petri & Pau-

Pauli Romæ) *quærere extrinſecùs ſuperfluum puto, cùm rem geſtam inſignia uſq; in hodiernum, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur.* Deinde teſtatur hoc idem unanimis conſenſus orbis terrarum; tandem hoc convincunt teſtimonia Patrum Græcorum & Latinorum: Dioniſius Corinthius, qui 100. annis ab obitu Apoſtolorum vixit, cum Romæ eſſet, ut Euſebius mox cit: *Ambo in hac urbe ſimul docentes, etiam Martyrio pariter uno eodemq; tempore coronati ſunt.* Similia habent alij.

Dico. 3. Petrum Romæ uſq; ad mortem Epiſcopum fuiſſe.

Prob. Petrus fuit Epiſcopus usq; ad mortem; atqui non Antiochiæ; nam Petrum continuo non manſiſſe Antiochiæ Antiocheni ipſi teſtantur, & conſuetudo evincit, quæ nunquam tribuit primum locum Epiſcopo Antiocheno; ergo fuit Romæ Epiſcopus & quidem ad mortem. *Primam partem conſequ: ſuadet ipſa dignitas Rom. Eccleſiæ,* ſemper enim conſenſû omnium habita eſt prima vel ipſo Calvinô teſte; non poteſt autem ulla ratio reddi

hujus

hujus excellentiæ, nisi quia Princeps Apostolorum, illius Ecclesiæ proprius Pastor & Episcopus fuit. Secunda pars sequitur ex conclusione. 2. Num ergo dicemus Petrum non fuisse ullius loci Episcopum?

Sed Adversarii hoc dicere non possunt, quippe qui volunt Petrum non fuisse Episcopum universalis Ecclesiæ, sed alicujus tantum particularis, sicut Joannes Ephesinæ, Jacobus Jerosolimitanæ. Dicant igitur, ubi fuerit Episcopus Petrus; vel si fuit Episcopus Romæ, & postea mutavit sedem, dicant, si possunt, quò eam transtulerit? Accedit testimonium & consensus omnium veterum, quibus Calvinus tenetur credere, si constans esse velit, ipse enim dicit: se propter consensum scriptorum nolle pugnare, quin Petrus Romæ sit mortuus; cum ergo iidem Scriptores summo consensû dicant, Petrum Romæ fuisse Episcopum; & nemo veterum id unquam negaverit, cur nequit persuaderi Petrum Romæ Episcopatum gessisse. Audiat S. Epiphan: Hær. 27. *Episcoporum*, inquit, *in Roma successio hanc*

con-

conſequentiam habuit, Petrus, & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evariſtus, Alaxander. Sulpitium lib: 2. S. Hiſt. *Invaluerat apud urbem Divina religio, Petrô Epiſcopatum gerente.* Auguſtinum lib: 2. cap. 51. contra literas Petiliani. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua nunc Anaſtaſius ſedet.* Concil: Ephes. 1. tomo 2. c. 16. ubi vocatur Cæleſtinus. *Ordinarius ſucceſſor, & Vicarius B. Petri Apoſtolorum Principis.* Idem habent quatuor priora Concilia, omnesq; SS. Patres.

Objic. 1. contra 1. Concl. 1. Authores propugnantes Petrum veniſſe Romam inter ſe diſſident; ergo non ſunt fide digni. *Prob. Ant:* Oroſius ſcribit veniſſe in exordio Regni *Claudii.* Hieronymꝰ tenet hoc contigiſſe Anno ſecundo Claudii. 2. Si venit Romam, id factum eſt elapſis 18. annis a paſſione Domini; tunc autem Petrus erat in Judæa, ut conſtat Act: 15. Sic refert S. Hier. in cap. 2. ad Gal. Nam Paulus poſt annos tres a converſione ſua venit in Jeruſalem videre Petrum ad

Gal.

Gal. 1. Deinde poſt annos 14. rediit in Jeruſalem ad Concilium ad Gal. 2. quibus ſi addas unum annum, qui fluxit a paſſione Domini, ad converſionem Pauli, conficient annos 18. Tum quia dicitur Petrus quinq; annis fuiſse in Judæa, deinde ſeptem annis Antiochiæ, multis vero annis in Ponto, Galatia, Capadocia, Aſia, Bythinia, hinc ſaltem anni 18. fluxerunt, antequam veniret Romam; ergo Apoſtolus Petrus Romam non appulit, niſi poſt annum nonum Imperii Claudii, qui erat a Paſſione Domini 18. Tum Petrus ſedit annis 25. Romæ, ut ex Damaſo, Euſebio, & Hieronymo tradunt Catholici; ergo ſupervixit ad annum 43. a paſſione Domini; illo autem anno poſt Neronem, Galbam, Othonem, & Vitellium clavum Imperii tenebat Veſpaſianus, qui mitiſſimus a Chriſtianorum ſanguine abſtinuit, ut colligitur ex Tertul. Apol. c. 5. ergo. 3. Petrus non potuit venire Romam uſq; ad Annum Claudij nonum, ſed neq; poſtea potuit; ſiquidem Claudius, qui Judæos pelli ex Urbe juſſit, prohibuit proculdubio in Ur-

Urbem recipi. 4. Paulus Roma ſcripſit Epiſtolam ad Galatas, ad Epheſios, ad Coloſsenſes, & tamen ubiq; altum ſilentium eſt de Petro, quod non leve argumentum eſt Petrum tunc non fuiſse Romæ. 5. Scriptura videtur innuere SS. Apoſtolos non a Romanis, ſed a ſcribis & Phariſæis eſse trucidatos, ſic enim ait Xtus Math: 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris.* In quem locum S. Chryſoſtomus intelligit *Apoſtolos, & qui cum Apoſtolis fuerunt*; ergo.

Reſp. diſt. Ant. Diſſident quoad ſubſtantiam, *nego.* quoad circumſtantias, *conc.* Patebit ex dicendis. Ad *inſtantias* dico: Hujuſmodi argumenta ex Chronologia petita parum urgere, cum ſæpius Authores in hoc non conveniant, neceſſe exquirendam in determinanda temporum Epocha proportionem arithmeticam, ſed ſufficere geometricam. Neq; enim modus eventûs, ſed potius factum attendendum eſt, inquit V. Bellarminus lib. 2. de Rom:

Pontif. cap. 5. Cum igitur experientia probetur Romanorum Pontificum B. Petri, sine interruptione successio, & hoc adstruant nedum priorum sæculorum Patres, sed & Apostolorum Discipuli, supputatio ætatum citra dubium huic traditioni debet cedere, quippe quæ ab ipsa superetur. Nec mirum, certum est de fide, vg. Christum esse pro nobis mortuum, tamen non sunt convenientia Authorum testimonia, qua ætate hoc contingerit; quidam enim ætatis ejus 30. alii 33. contigisse putant. Ergo.

Ad 1. Quod Petrus venerit Romam indubitatum est; an annô primo vel secundo Claudij? vix discrimen intercedit, cum sub finem prioris anni, inchoato posteriori potuerit illuc venire. Cæterum Authores magna fide digni ut S. *Hieron.* *Ado* propugnant Petrum Romam venisse anno 2. Claudii ab his non dissidet *Orosius* lib. 7.

Ad 2. Vel sola historiæ relatio componit & concordat omnia ait V. Bellar. Quod sic ostenditur: Mansit ergo Petrus 1. quinq; circiter annis in Judæa,

dæa, quò tempore Paulus tribus a ſua converſione elapſis annis, potuit Petrum Jeroſolymis convenire; annô vero quinto a Paſſione Domini Petrus Antiochiam venit, ut ſcribit *Euſebius*. 2. Septem annis Eccleſiam rexit Antiochenam;neq;exiſtimandum,ibi ſine interruptione habitaſſe, ſed his temporibus peragraſſe Pontum, Aſiam, &c. ubi novas erexit Eccleſias. Abſoluto ſeptenniô Evodium in ſede Antiochena collocavit, tum annô Xti a paſſione undecimo rediit Jeroſolymam, ubi ab Herode conjectus in vincula Act. 12. ſed ſolutus ab Angelo petiit Romam, & ibi ſuam fixit ſedem, quam, & annis 25. tenuit. 3. Neq; etiam toto tempore Romæ commoratus eſt; ſed elapſis circiter ſeptem annis, expulſis Urbe Judæis. Act. 18. Anno nono Claudii Petrus iterum reverſus eſt Jeroſolymam quod incidit in Annum 18. poſt paſſionem Domini. Tunc Antiocheni certiores facti, Petrum Jeroſolymis adeſſe, miſerunt ad eum Paulum & Barnabam, & tunc celebratum eſt Concilium Jeroſolymitanum, mortuo autem

Claudiô Petrus rediit Romam; ubi & Martyriô ultimum clausit diem.

Ad 3 Petrus non venit Romam annô nono Claudii, sed tunc ab urbe ea discessit; at mortuo Claudiô illuc rediit regnante Nerone, qui Judæos ibidem tolerabat, quod colligitur ex cap. 28. Act. ubi legitur Paulum Romæ Judæis Xtum annuntiasse.

Ad 4. Res non postulabat Paulum in præfatis Epistolis loqui de Petro, cum Paulus esset Gentium Doctor, Petrus Judæorum, & unusquisq; perfecté suam adimplebat Provinciam. Ergo cùm Paulus ad Colofs. cap. ult. ait *Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei.* Tum & 2. ad Timot. 4. *Lucas est mecum solus*, loquitur solum de domesticis suis, qui ei ministrare solebant. Neq; verò felicior est Calvinus opponendo ista 2. Timot. 4. *Nemo mihi adstitit. sed omnes me dereliquerunt*, & tamen cum eo erat Lucas. De quibus ergo conqueritur? Certe de quibusdam nobilibus Romanis, qui illum apud Cæsarem adjuvare poterant, sed timentes Principem id non fecerunt. Igitur de Petro sermonem

nem non instituit, qui cum in eadem causa damnationis propter religionem esset apud Tyrannum, non poterat eum in hoc adjuvare. Aliunde ex argumento negativo nihil concluditur.

Ad 5. Evangelium non dicit omnes Apostolos; sufficit ergo ad veritatem textûs Jacobum & Stephanum occisos, Petrum vero & Paulum in vinculis Jerosolymis fuisse.

Dicit Velenus. Petrus Epistolam suam (de qua in prob.) scripsit ex Babylone; ergo ex Assyria, vel Ægypto, non ex Italia. *Consequ. patet:* Babylon enim duplex fuit, una apud Assyrios, altera in Ægypto, quæ nunc Cayrum vocatur.

Resp. Petrus non de Babylone propriè dicta, sed de ea, quæ figurate Babylon dicitur in Apocalypsi, loquitur, scilicet quæ ibidem habere dicitur imperium super Reges terræ; at id neq; Babyloni Ægypti, neq; Assyriæ protunc potuit convenire, sed figuratæ scilicet Urbi Romanæ.

Oppones contra 3. Concl. Esto Petrus Romam venerit, eam tamen Ecclesiam

non fundavit; ergo. *Prob. Ant.* Sub Tiberio qui fuit Prædecesſor Claudii, ſub quo dicimus Petrum veniſse Romam, erant jam ibi Chriſtiani; ergo. *Prob. Ant.* Ex Oroſio qui lib. 7. cap. 4. refert; Senatum regnante Tiberiô edictô conſtituiſse *exterminandos urbe Chriſtianos*; ergo.

Reſp: Laudatum ab Oroſio edictum, ſpectabat duntaxat Chriſtianos, quos negotiorum cauſa Romam adventare contingebat, nullos enim tunc Romæ moratos fuiſſe, teſtatur ipſe Oroſius cap: 4.

Inſtabis: Lib: 1. Recognitionum S. Clementis legitur S. Barnabam tempore Tiberii Romæ Evangelium prædicaſſe; ergo.

Reſp: Libros præfatos eſſe Apocryphos & nullius ponderis. Aliunde conſtat, quod antequam Petrus cæleſti viſione admonitus fuiſſet Act: 10. de fide gentibus prædicanda, nullus Apoſtolorum id muneris obire auſus fuerit; ex eo autem tempore Barnabas Paulo individuus comes adhæſit ſaltem uſq

ad

ad Concilium Jerosolymitanum, quod annô nono Claudii contigit.



ARTICULUS III.

An Pontifices Romani fuerint & adhuc sint veri Successores S. Petri in primatu, & supremo totius Ecclesiæ regimine, & sint Vicarii Christi?

CUm Christus Ecclesiam suam non instituerit pro illo temporis intervallo quô vixit S. Petrus, sed duraturam usq; ad finem mundi, consequenter debuit ipsi providere de aliquo capite pro omni tempore; hinc fit, quod S. Petrus debeat habere Successores in suo primatu, seu universali munere pastorali; siquidem Ecclesia non minùs indiget, & indigebit supremo ac universali Rectore, cùm semper possint oriri hæreses compescendæ, Schismata tollenda, controversiæ definiendæ, quæ sine supremo Judice decidi nequeunt. Aliunde Ecclesia debet regi post tempora Christi & Petri; quomodo regebatur ab initio; alias non esset nunc

ea-

eadem, ac olim. Cùm ergò in Ecclesia temporibus Christi & Petri fuerit regimen Monarchicum; fit consequens, ut Petrus in suo munere cum eadem potestate habeat Successores. Hi autem Successores qui esse possunt, nisi Romani Pontifices?

Dico: Romani Pontifices fuerunt, & adhuc sunt Successores S. Petri in Primatu, & supremo Pontificatu totius Ecclesiæ Christi.

Prob: 1. Debuit semper & adhuc debet aliquis succedere Petro in supremo totius Ecclesiæ regimine; sed hactenus non successit, nec hodie succedit alius, quàm Romani Pontifices; ergo. *Major*. *negat Calvin9* lib: 4 Instit: cap: 6. §. 8. *Verùm*. inquit, *ut de Petro illis concedam, quod petunt, non est tamen causa, cur ex singulari exemplo universalem faciant regulam, & quod semel factum fuit, ad perpetuitatem trahant*. Et §. 11. *Nunquàm - - - obtinebunt, sic constitutum in Petro primatum, ut perpetua successione semper maneret, unde tamen evincent, sedem Romæ ita collocatam, ut quicunq; sit urbis illius Episcopus, orbi universo præsideat?*

Er-

Ergo *prob: maj*: *1*. Quam diu durat ædificium Ecclesiæ, tamdiu durare debet ejus fundamentum, super quod Christus Ecclesiam ædificavit, nullis inferni machinis subruendum; atqui fundamentum supra quod Christus Ecclesiam ædificavit, est Petrus; ergò cùm Ecclesia sit immobiliter duratura usq; ad finem mundi; etiam ejus fundamentum, quod est Petrus, tamdiu durabit; atqui S. Petrus non durat tamdiu ratione personæ suæ; ergo ratione Successorum suorum, in quibus Petri Officium & Pontificatus residet. *2*. Ex unitate Ecclesiæ. Nam Ecclesia est una & eadem omni tempore; ergò eadem forma regiminis in ea debet permanere; atqui tempore Apostolorum annuente Calvinô unus erat supremus Rector Caput & Primas Ecclesiæ, nempe Petrus; ergo. Et modò, 3. Ex Verbis Domini *Joan*: ult: *Pasce oves meas*: ex quo sic: Offiicium Pastoris est ordinarium & perpetuum, siquidem ex natura rei, tam diu durare debet Officium Pastoris, quamdiu durat ovile; atqui ovile manet & manebit usq; ad consummatio-

tionem ſæculi ; ergo & Succeſsores Petri in ſummo illo paſtorali Officio manere neçeſſe eſt. 4. Eccleſia eſt unum Corpus ; ergo ſuum debet habere caput in terris ,· atqui nullum aliud caput aſſignari poteſt præter Petrum, nec debet moriente Petro corpus Eccleſiæ manere acephalum, hoc eſt ſine capite,· ergo neceſſe eſt aliquem illi ſuccedere. Nec.

Dicas: Illud caput eſſe Chriſtum. Nam 1. Eccleſia eſt Corpus viſibile,· ergo requirit etiam tale caput, Chriſtus autem eſt caput inviſibile. 2. Eccleſia expoſcit tale caput, quale deſcribitur 1. Corint: 12. Ubi poſtquam Paulus dixiſſet Eccleſiam eſſe unum corpus, ſubjecit: *Non poteſt caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarii*, quod certò non convenit Chriſto ,· Ipſe enim poteſt dicere nobis omnibus, non eſtis mihi neceſſarii. 5. *Major*: *Ppalis prob*: In veteri teſtamento ſucceſſio erat Summorum Pontificum,· nam Aaroni ſucceſſit Eleazarus. Num: 20. Eleazaro Phinees Jud: 20. ſic de cæteris,· at Sacerdotium

tium teſtamenti Veteris erat figura Sacerdotii novi teſtamenti,· *ergo.*

Minor vero principalis prob: 1. negativè. Quia nullus alius unquam agnitus pro Succeſſore S. Petri in regimine totius Eccleſiæ, quam Romani Pontifices. Quavis enim Epiſcopi Antiocheni ſucceſſerint S. Petro in Epiſcopatu Antiocheno, non tamen in ſupremo Pontificatu totius Eccleſiæ,· quia etſi fuerit S. Petrus particularis Epiſcopus Antiochenus, tamen Pontificatum ibi non fixit, ſed poſtquam Evodium in Sede Antiochena conſtituit, & ſedem fixit Romæ, ſecum tranſtulit Pontificatum ſupremum, eumq,· reliquit in Sede Romana, quam evexit ad Pontificiam, & ſupremam univerſalis Eccleſiæ dignitatem. 2. *eadem min: prob:* poſitivè. Ille Petro ſuccedit in Pontificatu ſeu ſupremo regimine, qui ei ſuccedit in illa Cathedra, quam Petrus ad ſupremum Pontificatum evexit, & quam Petrus moriens tenuit; ſed in hac Cathedra ſuccedunt, ſemperq; ſucceſſerunt Romani Pontifices,· quia S. Petrus in fine vitæ fuit Epiſcopus particularis Romæ,

mæ, non Antiochiæ aut alibi, ut jam dictum, & simul universalis Pontifex totius Ecclesiæ; nam ante mortem nunquam deposuit Pontificatum, seu supremum universalis Ecclesiæ regimen. Et causa hæc fuit, hoc motivum, quod Episcopo Rom: semper primas dederit antiquitas, non Antiocheno, non Alexandrino, quæ duæ Ecclesiæ, utpote a S. Petro fundatæ semper habitæ sunt *Patriarchales* in honorem S. Petri, ad quam dignitatem successû temporis nempe in Concilio Nicæno I. evecta est Jerosolimitana, tandem Constantinopolitana ex quodam privilegio, ut infra dicetur.

Prob: 2. Ex variis titulis, qui solis Romanis Pontificibus a veneranda antiquitate attributi sunt. Nam Concilium gen: II. CP. I. in Epistola ad Damasum apud Theodoret: lib: 5. Hist: cap: 9. dicit se convenisse ex mandato summi Pontificis, ibiq; Patres fatentur, Ecclesiam Romanam Caput esse, se autem membra. III. Concilium Ephesinum I. dicit se deponere Nestorium ex mandato Cælestini Papæ Romani. Idem

Con-

Concilium dicit se reservasse dubiam causam Joannis Antiocheni judicio Cælestini. IV. Concil: gen: Calcedon: Act: 1. 2. 3. vocat Leonem *Universalis Ecclesiæ Pontificem.* Et in Epist: ad Leonem: *Et post hæc omnia insuper* (inquiunt Patres) *& contra ipsum, cui Vineæ custodia a Salvatore commissa est extendit insaniam, id est contra tuam quoq; Apostolicam Sanctitatem.* Tandem rogantes Synodi confirmationem: *Tuis*, ajunt, *decretis nostrum honora judicium, & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Dicitur *Pater Patrum* a Stephano Episcopo Carthag: in Epist: ad Damasum, nomine trium Conciliorum Afsricæ. Appellatur *Pontifex Christianorum* apud Euseb: in chronico ad Annum 44. Nominatur *Princeps Sacerdotum* in Epist: Valentiniani ad Theodosium. Dicitur *Pastor Ovilis Dominici* a S. Ambr: Epist: 81. ad Siricium Papam. Hinc I. Gener: Concili: Nicænum Arabico Can: 39. juxta Pisani editionem, loquitur: *Veneramur secundùm Scripturas, & Canonum definitionem, sanctissimum Romanæ anti-*

antiquæq; Ecclesiæ Episcopum, primum esse & maximum omnium Episcoporum.

Prob: 3. Ex specialibus privilegiis Romani Pontificis. 1. Quod omnes Episcopi ad Romanum Pontificem possint appellare, ab illius autem sententia nulla amplius concedatur appellatio. Hæc constant ex Concilio Sardicensi can: 4. & ante hoc Concilium semper erat mos & consuetudo ita appellandi, ut pluribus exemplis demonstrat V. *Bellarminus* promanavitq; ex Traditione Apostolica, ut insinuat *Theodoretus* Epist: ad Renanum Presbyterum; qui Theodoretus ipse a Latrocinio Ephesino appellavit ad Summum Pontificem, a quo suæ Sedi restitutus fuit. 2. Quod Romanus Pontifex a nemine possit judicari, juxta illud tritum: *Prima sedes a nemine judicatur*, quæ semper Romæ existere agnita est. Unde Concil: Rom: sub Adriano II. dicit: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus*. 3. Quod omnes Christiani in dissensionibus fidei teneantur recurrere ad Romanum Pontificem, ejusq; adhæ-

rere

rere ſententiæ, ut S. Patres paſſim affirmant, & praxis ipſa docet. Unde etiam Romani Pontifices damnarunt exortas jam in primitiva Eccleſia hæreſes *Marcioniſtarum*, *Pelagianorum*, *Semipelagianorum &c.* Et præſiderunt per ſe vel ſuos Legatos Conciliis generalib9 nullo reclamante, eaq; approbaverunt; è contra Concilia illegitima reprobaverunt; hæc verò adeo manifeſta ſunt, ut ne Sectarii ipſi ea valeant negare. 4. Quod Romani Pontifices ſtatim à morte S. Petri pro aliis nationibus ordinaverint Epiſcopos; alios ordinatos confirmaverint, alios juſtis ex cauſis depoſuerint; prout Nicolaus Papa I. in Epiſt: ad Michaelem enarrat, octo Patriarchas Conſtantinopolitanos Authoritate Romani Pontificis depoſitos eſſe 5. Poteſtas legiſlativa in univerſam Eccleſiam ſemper in Romano Pontifice fuit ut patet ex toto Corpore juris Canonici, innumeris Canonibus, ac legibus pro tota & univerſali Eccleſia latis, quæ omnia clarè probant Romanum Pontificem eſſe Supremum Paſtorem, Rectorem & Caput totius Eccleſiæ.

Obj: 1.

Objic: 1. Ex facto Petri, quod Petrus Romæ sederit, & Pontificatum gesserit, inferri non potest, quod Romanus Pontifex sit ejus Successor in Primatu & Pontificatu; ergo. *Ant. patet.* A fortiori enim sedes Apostolica Christianorum Jerosolymis esse deberet, quia ibi Christus Summus Pontifex obiit.

Resp: dist: Ant: Ex facto hoc præcise &c. *Conc: ant:* Sed quia Romanus Pontifex fuit, nec Sedem Roma unquam aliò transtulit, imo ex intentione & proposito ibi fixit; *nego ant.* Porro hoc constat ex eo, quia S. *Marcellus* Papa in Epist: ad Antiochenos scribit: *Jubente Domino Petrum Antiochiâ Sedem Papalem transtulisse Romam.* Et Concil: Later: sub Innocentio III. can: 5. Ecclesiam Rom. appellat: *disponente Domino fidelium omnium Matrem & Magistram.* Ex quibus sequitur: Supremum Pontificatum jure Divino, & ex voluntate Christi annexum esse Episcopatui Romano; & vel maxime, quia jure Divino seu ex ordinatione Xti S. Petrus in Papatu debuit habere Successores; certum est autem, nullum hactenus alium Petro suc-

ſucceſſiſse, in ſupremo illo & univerſali munere, quam Epiſcopos Romanos. Chriſtus autem non fixit ſedem Jeroſolymis, nec in ullo particulari loco.

Dices Succeſſio Roman: Pontificum non eſt adeo certa, ut reddatur indubia; ergo ex eo quod S. Petrus Rom. Pontifex fuit &c. *Prob: Ant: 1.* Neſcitur, quis fuit immediatus Succeſſor S. Petri, quia alii ponunt Linum, alij Clementem. 2. Quia multi Rom: Pontifices fuerunt ſimoniace, & invalidè electi, aut intruſi. 3. Quia per 74. annos, quibus Romanus Pontifex reſidebat Avenione in Galliis, videlicet a Clemente V. ad Gregorium XI. Romæ nullus fuit Epiſcopus. 4. Quia ſubinde duo aut tres ſimul fuerunt Summi Pontifices, ut contigit in Schiſmate magno, quod contigit circa annum 1380. & duravit uſq; ad Concilium Conſtantienſe fere per 40. annos, in quo electo Martinô V. ſublatum eſt; ergo.

Reſp; nego ant: Ad prob: 1. Indubium eſt apud omnes Catholicos Scriptores, quod S. Petrus in Primatu habuerit Succeſſores, & quidem Romanos

Pontifices, in hoc enim omnes conveniunt; sed tantum de tempore controvertitur, utrum prior Clemente fuerit Linus? Quæ lis tanta non est, ut veritatem successionis tollat.

Ad 2. Legitima Ecclesiæ acceptatione sæpius tales facti sunt veri Pontifices, ut contigit in Vigilio & aliis hujusmodi. Acceptatio si deerat, Sedes Pontificia fuit vacua usq; ad novam electionem. Sed quoniam Ecclesia judicaverat melius sibi esse, habere Caput, etsi non canonicé institutum, quam nullum, communiter talem, sive intrusum, sive male electum Pontificem, ut legitimum colere solebat, supplendo defectus in electione commissos quòad ea, quæ sunt juris Ecclesiastici. *Ad 3.* Pontifices Avenione residentes fuisse veros Episcopos & Pontifices Rom: cùm de essentia jurisdictionis Episcopalis; non sit residentia personalis; nec alter interea electus est, & habitus ut Episcopus Rom: quam Pontifex Rom: in Galliis existens. *Ad 4.* In ejusmodi Schismatum casibus, semper fuit unus verus Pontifex, licet non omnibus satis

tis cognitus; Si autem reipſa nullus fuiſſet verus, ſedes Papalis cenſeretur vacaſſe. Cæterum non eſt obligatio obediendi Pontificibus dubiis, nec eorum Acta valent, niſi confirmentur a Succeſſore Pontifice certo.

Inſtabis 1. Pontifices Romani ſplendent divitiis, & ingenti incedunt pompâ; ergo non ſunt Succeſſores Petri pauperis. 2. Quidam fuerunt valde ſcelerati; ergo iterum non fuerunt Succeſſores S. Petri. 3. Aliqui etiam lapſi ſunt in hæreſes, homo autem hæreticus non poteſt eſse Paſtor, & Doctor fidelium; Ergo.

R. Ad 1. Quod ſplendor divitiarum & epulentia Rom: Pontificum, cùm nihil ſit mali, neq; ſucceſſionem impedit, neq; officium paſtorale variat; imo potentia tanti Principis plurimum utilis eſt ad retundendos Eccleſiæ hoſtes. Et ſicut Chriſtus ab initio pauperem Eccleſiam defendit mediis ſupernaturalibus, miraculis, Martyriis &c. ac propagavit, ita poſtea placuit ipſi, eam defendere & propagare per media naturalia faciendo illam glorioſam, opulentam & potentem. *Ad 2.* Sectarii debent oſtendere,

ubi Xtus alligarit Officium Paſtorale ſanctitati perſonæ; ſicut & valorem Sacramentorum probitati Miniſtri. Hoc quidem docuerunt Donatiſtæ, tandem Vicleſiſtæ, ſed hi ſemper ea de cauſa pro hæreticis habiti ſunt. Imo Chriſtus Math: 23. hortatur ſuos, ut quæcunq, mali Superiores ſuper Cathedram Moyſis ſedentes dixerint, facerent, dummodo eorum opera non imitarentur. Hinc ſcelerati Pontifices non quidem ſunt Succeſsores Petri quoad ſanctitatem vitæ, ſunt tamen quoad poteſtatem Papalem. Deinde quid eſt, quod nobis objiciant Pontificum defectus; cùm in tanto numero pauci admodùm numerari poſſint, quibus ipſis plurima affinguntur, ab Oſoribus Pontificiæ dignitatis. Inſuper de Sectariis, variis delictis inquinatos fuiſse aliquos Pont: at contendo hos ipſos meliores fuiſse prætenſæ reformationis Authoribus; quia nullus ex his paucis Pontificibus tam infamis fuit ob ſcelera, ſicut Lutherus, Calvinus nec non eorum Sectatores, ut conſideranti patet. Cur tot Sanctiſſimorum Pontificum vitam ad imitandum non pro-

proponunt? At homines miseri delectantur sordib9. Etiamsi super Cathedram Petri sedens malus sit, tamen Officium est sanctum, & ipse verus est Petri successor; proinde ratione Officii, quod gerit, recte vocatur *Sanctissimus*. *Ad 3.* Hoc quidem dicunt, sed non probant. Nullum Pontificem hucusq; in hæresim fuisse prolapsum infra dicetur. Data hypothesi, quod incidat in notoriam hæresim, sit consequens talem desinere esse Pontificem, & vacare sedem Pontificiam.

Oppones 1. Leo IV. Pontifex petiit ab Imperatore Ludovico Judices, quibus se obtemperaturum promisit. 2. Adrianus I. Carolo M. Leo VIII. Othoni I. Imperatori concessit jus eligendi Pontificem, & ordinandi sedem Apostolicam. 3. Varii Pontifices fuerunt depositi, aliiq; substituti ab Imperatoribus, sic Henricus IV. dejecit Benedictum X. & substituit Nicolaum II. Ergo Imperatores habent supremam in Ecclesia potestatem, non autem Rom. Pontific: &c.

Confir: 1. Paulus loquens de potesta-

te Principum ſæcularium ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Idem Paulus Act. 5 appellavit ad Cæſarem; ergo.

Reſp: *ad 1*. Leo IV. ſe tantum ſubjecit judicio Imperatoris *diſcretivo*, quod exercetur ſine juriſdictione; *non coactivo*: Vel Judicio Imperatoris tanquam arbitri, non Judicis. Hoc modô jam olim Symmachus Pontif. ſuam cauſam ſubjecit arbitrio Theodorici Regis, quamvis Ariani, tandem judicio Synodi *Palmaris*. *Ad 2*. Adrianus & Leo Imperatori ſolum conceſserunt facultatem confirmandi electionem Pontificis per defenſionis aſſiſtentiam, non per juriſdictionis poteſtatem; quia tunc ſedes Apoſtolica indigebat præſidiô & auxiliô Imperatorum; tum contra Longobardos latè per Italiam graſſantes; tum contra Græcos & alios Eccleſiæ hoſtes. Ad id, quod additur dicendum, nonniſi in temporalibus permiſſum fuiſſe Imperatoribus ordinare Eccleſiæ Romanæ ſtatum. *Ad 3*. Factum malæ fidei non præſcribit; hinc mirandum non eſt, illos Principes, qui attentarunt deponere Pontifices, impiè & iniquè egiſse. *Ad*

Ad Conf. 1. Apoſtolus eo loci non loquitur de poteſtate ſæculari determinate, ſed generaliter de omnibus Superioribus, quos inter eſt Summus Pontifex. *Ad 2.* Apoſtolum appellaſse ad Cæſarem, tanquam ad defenſorem contra vexationes Judæorum, non tanquam ad Judicem competentem, hinc appellavit ad Cæſaris Tribunal, tanquam ad aſylum, non tanquam ad forum judiciale.

Objic: 2. Ille non habet ſupra cæteros orbis terrarum Epiſcopos primatum, cujus authoritas extra ſuum Patriarchatum non extenditur; atqui authoritas Rom. Pont: extra &c. ergo. *Min. prob.* Concil: Nicænum Can. 6. ſic loquitur: *Mos antiquus perduret in Ægypto . . . ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt;* ergo ut valeat comparatio, Epiſcopus Rom. habet ſolum in ſuo Patriarchatu authoritatem, ſin minus Patriarcha Alexandrinus, qui cum illo comparatur, univerſalem ſicut Papa haberet.

Reſp: 1. ad prob: Concilii Nicæni canonem ne quidem minimum detrahere a pri-

primatu Summi Pontif. ommifsa ſunt quippe verba præcedentia: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum &c. Mos antiquus perduret &c.* Sic legitur in prima Collectione Romana, quam ut genuinam, agnovit *Alanus* Copus in Dialogo. Sic habet idem Canon Græcus, qualis lectus & approbatus fuit in Concil: Chalced.

Reſp: 2. ad prob: diſt: Epiſcopus Alexand. parem habet cum Romano poteſtatem dependenter a Papa. *conc.* independenter ab eo *nego.* Tria diſtinguenda ſunt in Summo Pontifice, nimirum dignitas Epiſcopalis, dignitas Patriarchalis, dignitas Papalis. Patriarcha Alex. ex privilegio habet quantum ad aliquid ſimilem in Patriarchatu ſuo poteſtatem, ſicut habet Romanus Pontifex in ſuo; nempe quod poſſit creare Epiſcopos, erigere Diœceſes, Concilia in ſuo Patriarchatu adunare. Sequitur ergo ſolummodò Patriarcham Alexandrinum ex vi ſuæ inſtitutionis, & conſentiente S. Petro, qui in totius Regni Ægyptiaci metropoli Alexandria Sedem majorem conſtituendam duxit, aſſimi-

ſimilari Summo Pontifici, quantùm ad Patriarchatum, nuſquam quantum ad ſupremam dignitatem capitis, & primatûs univerſalis Eccleſiæ.

Inſtabis. Rufinus sic reddit canonem Nicænum: *Et apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel illic Ægypti, vel illic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Ergo ſummus Pontifex non nisi in quaſdam Urbes ſuæ Diæcesis habet potestatem, adeoq; ad ſummum eſt tantum æqualis inter pares.

Reſp. 1. Rufinum apud multos malé audire ex eo, quod in Canonem vocem *ſuburbicariarum* intruſerit, quæ non invenitur in vulgari textu Græco & aliis exemplaribus ut Gelasii & Carthaginensibus.

Reſp. alii 2. Quod nomine Ecclesiarum ſuburbicariarum, intelligit Rufinus non ſolum quamlibet diæcesim, ſed & urbes Metropolitanas, atq; Provincias Ecclesiaſticas Patriarchatui Romano ſubditas. Addit Chriſtianus Lupus ad hunc Can. *Non vocat de ſuburbicariis Romani Imperii Provinciis diſputare, atq; ex*

il-

illis quærere naturam ſuburbicariarum Eccleſiarum, eam jam audivimus non eſſe aliud, quam eos qui Romæ ſubditi, id eſt, qui ſubditi ſunt juri Patriarchico. Eccleſiæ Romanæ, nempe totum Occidentem; Septemtrionem Affricam, & Illyricum.

CONSECTARIUM.

Primatus in Ecclesiam univerſalem jure Divinô competit Romano Pontifici. Quippe Concilia & SS. Patres, dum de primatu Summi Pontificis loquuntur, illam Chriſti ſententiam Math: 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* in prob. afferunt. Et bene, quoniam Petrus vivit in ſucceſſoribus, juxta jam laudata Concilia & Patres, quorum unus nempe S. Petrus Chryſol. Epiſt. ad Eutychetem relata 1. P. Concil. Calced. num. 15. hortatur, præfatum Hæresiarcham, ut Romano Pontif: pareat: *Quia*, inquit, *Petrus in ejus ſede vivit, & præſidet, & præſtat quœrentibus fidei veritatem.* Porro illa præsidentia non habetur ab hominibus, ſed a Chriſto per Petrum incepit, ut docent *Tertulianus, Optatus* & *Auguſtinus.* Cæterum juxta regulam S. Aug.

Aug. quod initium non habet, ſuam per Apoſtolos a Chriſto ducit originem. Teſte autem *Optato* lib. 3. contra Parmen. num. 3. Romani Pontificis non invenitur inter ſtatuta humana initium: *Cathedra unica eſt - - - ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino Clemens &c.* Si

Dicas 1. Prima dignitas non ſemel a Canonibus & Conciliis, imo & ab Imperatoribus Catholicis tributa ſummo Pontifici legitur. Nam in Concilio Calced: can. 28. habetur: *Antiquæ Romæ Throno, quod Urbs illa imperet, jure Patres privilegia tribuerunt.* Juſtinianus Novella 10. ait; *Decernimus ſecundùm ſacrarum Synodorum decreta, ſanctiſſimum veteris Romæ Epiſcopum primum eſſe omnium Sacerdotum.* 2. Vel ipſe S. Paulus qui ad Ephes. 4. & 1. Corint. 12. Omnes Hierarchiæ ordines ad Doctores uſq; nominat; silet tamen ſummi Pontif. primatum, quod non eſt levius argumentum primatum Papæ non eſſe de jure Divino. 3. Primatus Pontificis Rom. eſt ex inſtitutione S. Petri, quatenus Romæ potius, quam alibi ſedere voluit Apoſtolus; ergo eſt de jure humano. Nam.

Reſp.

Resp. ad 1. Prima dignitas a Canonibus, Conciliis & Imperatoribus tribuitur Summo Pontif. hoc est; cognoscitur & colitur, non autem datur & confertur. Hinc patet ad edictum Phocæ Imperatoris quô titulum universalis Episcopi, soli Romano Pontifici proprium esse decrevit; hunc enim titulum Phocas primus non attribuit, quasi antè illi non convenisset, sed hoc facto compressit fastum Episcoporum Constantinopolitanorum, qui hoc titulô insigniri ambiebant. Qua de causa S. Greg. M. ex humilitate titulum universalis Episcopi respuebat, scribendo se *Servum Servorum Dei. Ad 2.* Apostolus inter Hierarchiæ gradus silet Primatum S. Pontificis, quia supponebat sufficienter omnibus Discipulis Math: 16. & Joan. 21. annuntiatum: nam & ipse cum agnoverat, dum suum cum Petro contulit Evangelium, *ne* ait ad Gal. *2. in vanum currerem aut cucurrissem.* Cæterum eo loci omnes Hierarchiæ gradus enumerare non intendit S. Paulus; non enim prophetia, gratia sanitatum, genera linguarum, ut aliquid permanens Ecclesiæ, sicut Diacono-

norum, Presbyterorum, & Episcoporum Ordines, dicenda sunt. *Ad 3.* Hoc solum probat Primatum localem S. Pontificis non esse de jure Divino, bene verò personalem, ita ut ubi adest Papa, ibi citro dubium sit caput Ecclesiæ, primas totius orbis Christiani: Bene notanda hic sunt V. Bellarmini Verba: *Successio,* ait, *Romani Pontificis in Pontificatum Petri ex instituto Christi est; ratio autem successionis, quâ Romanus Pontifex potius, quam Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit. Successio ergo ipsa ex Christi instituto, & jure Divino est; quia Xtus ipse instituit in Petro* Pontificatum *duraturum usq; ad finem mundi, & proinde quicunq;* Petro *succedit, a Xto accipit* Ponti*ficatum. At vero, quod Episcopus Rom. quia Episcopus Rom: est, ut sit Xti Successor, ex facto* Petri *ortum habuit, non ex prima Xti institutione. Nam potuisset* Petrus *nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit primis quinq; annis; & tunc moriente* Petrô, *non Episcopus Rom. neq; Antiochenus successisset; sed is, quem Ecclesia sibi elegisset.* Potui*sset quoq; semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset*

cessisset. Quia vero Romæ sedem fixit, & tenuit usq; ad mortem, inde factum est, ut Rom. Pontifex succedat. Lib. 2. cap. 12.

Petes. Quid censendum de electione S. Pontificis?

Resp. Jure Divino nihil esse determinatum circa modum eligendi, sed relictum esse arbitrio Ecclesiæ; unde fit, quod olim Pontifices diverso modô fuerint electi ac modo. Nunc eliguntur a Cardinalibus, ita ut post Alexandrum III. in unum conspirare debeant duæ tertiæ suffragiorum vg. ex 60. Cardinalibus 40. consentire debent, ut Pontifex habeatur. Cæterum taliter factæ electioni succedere debet altera scilicet acceptatio totius vel ferme totius Ecclesiæ, quod fit quando vel nemo contradicit electioni, vel tantùm pauci, iiq; tam levis Authoritatis, ut prudenter dubitari non possit, quin a reliquis fidelibus approbanda sit. Quæ acceptatio est quasi confirmatio electionis primæ, aut potius altera & absoluta electio, quæ supplet omnem defectum.

Petes. Quo sensû S. Pontifex Universalis dici possit Episcopus?

Resp.

Resp. Romanum Pontificem dico non posse Universalem Episcopum in eo sensu, ut ipse solus sit Episcopus, & nullus alius; bene autem in eo sensu, ut ipse universalem gerat Ecclesiarum curam, nec excludat particulares particularium Episcoporum curas. Vide *Anat.* lib. 6. a. 9. fol. 262.



ARTICULUS IV.

De Infallibilitate seu inerrantia S. Pontificis in decidendis quæstionibus fidei & morum

Cúm S. Pontifex possit considerari vel ut persona privata, vel ut est publica, & Xti Vicarius; primo modô inerrantiæ privilegium non habere in confesso est. Agimus ergo de illo ut est Doctor publicus, cúm delatâ ipsi ut supremo Controversiarum Judici aliqua causâ in rebus fidei, aut morum, expostulatur sententia juridica servatis servandis ferenda, & hoc est Papam ex Cathedra loqui. Porrò ut Papa censeatur ex Cathedra loqui, requiruntur quædam conditiones; nempe quod definiat libe-

rè,

rè, & non ex metu aut violentiâ coactus, fusis ad DEUM precibus, præmisso rei definiendæ maturo examine, præhabita consultatione Ecclesiæ suæ Romanæ, nunc Eminent. Cardinalium, qui ad solicitudinem pro Ecclesiæ regimine adsciti, cum S. Pontifice se habent simul omnes, ut quoddam Concilium, quod pro more antiquo adunare solebant S. Pontifices, antequam causæ ad Concilium generale deferrentur: quia hæc censentur media ad id munus requisita. Neq; enim Xtus Papam infallibilem constituit, nisi humano modo agentem, & mediis ordinariis utentem; secundùm quæ decet homines gubernari; nec solent Pontifices ex Cathedra definire nisi his mediis adhibitis. Aliis visum est, hæc, excepta libertate, non requiri; quia inquiunt, Spiritus S. cujus assistentia Petro & Successoribus promissa est, non dependet ab adjutorio humano. nec legitur assistentiam suam tali auxilio alligasse; frustra enim ait Cardinalis *Sfondratus* lib. 3. de Regali. Sacerd. § 1. foret in Papa talis authoritas; nam cujus error damnatus esset, prætendere semper-

per posset, illegitime damnatum, ut olim fecerunt Donatistæ, in Concilio Carthag. proscripti, & dixerunt Lutherani de Concilo Triden. Quo circa Rom. Pontificis prudentiæ & discretioni committitur in Concil. Trid. sess. 25. de Reform. cap. ult. industriæ modus, quem in rebus ambiguis definiendis adhibere poterit.

§. I.

Utrum S. Pontifex gaudeat inerrantiæ privilegiô in definiendis quæstionibus fidei & morum, dum ex Cathedra loquitur?

Triplex circa hanc quæstionem sententia. 1. Hæreticorum negantium absolute, hoc privilegio gaudere S. Pontificem. 2. Gallorum, qui ut plurimum tenent, S. Pontificem non esse infallibilem, nisi accedente consensû Ecclesiæ, sive in Concilio congregatæ, sive saltem per orbem diffusæ. 3. Affirmativa cæterorum Theologorum. Cum quibus.

Dico Judicium Romani Pontificis loquentis ex Cathedra in rebus fidei & morum est infallibile independenter a consensu Ecclesiæ.

Prob. 1. Ex triplici loco S. Scripturæ. Primus Math: 16. ubi Chriſtus Petro confitenti ejus Divinitatem dicit: *Beatus es - - - Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; & tibi dabo claves Regni cælorum &c.* Hæc verba pertinere ad Succeſſores Petri manifeſtum eſt; cùm enim Xtus fundaverit Eccleſiam duraturam uſq; ad ſæculi conſummationem, fundamentum illius debebat in ævum permanere in Petri Succeſſoribus, ut dictum art: præc: & conſentiunt nobiſcum Theologi Galliæ; *ſubſumo:* atqui his verbis continetur privilegium infallibilitatis promiſſum Petro, & ejus ſucceſſoribus, ergo. *Prob: ſub:* Privilegium infallibilitatis promiſſum Petro, & ejus Succeſſoribus continetur in verbis allatis, ſi iſta, *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* referantur, non ſolum ad Eccleſiam, ſed ad Petrum ſeu ad petram ſupra quam fundata eſt Eccleſia; atqui ita ſe res habet; ergo. *Prob: min:* 1. ex Patribus. Origines in cap: 16. Math: *Neq; adverſus petram*, ait, *ſuper*

per quam Christus ædificavit Ecclesiam, neq; adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt. S. Aug: in Psal: contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Prob*: 2. *eadem minor*; Certum est hæc Verba: *Et portæ inferi &c.* referri ad Ecclesiam, & per hæc illi promitti indefectibilitatem; atqui Ecclesia seu ædificium non potest esse indefectibile, si fundamentum, cui innititur, sit defectibile; ergo. Unde S. Thomas in Catena super laudata Verba dicit ex Origine: *Non exprimit, utrum petræ prævalebunt, in qua ædificat Christus Ecclesiam aut Ecclesiæ, quam ædificat supra petram; tamen manifestum est, quia nec adversus petram nec adversus Ecclesiam portæ prævalebunt inferorum*; ergo. Secundus locus est Lucæ 22. Ubi Xtus dicit ad Petrum: *Simon, Simon ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus; confirma fratres tuos.* Ubi specialiter notandum,

Xtum cæpiſſe loqui in plurali dicendo: *expetivit vos* poſtea mutata loquendi forma, uſum eſſe ſingulari, *rogavi pro te ut non deficiat fides tua - - - converſus confirma fratres tuos;* ut ſcilicet indicaret infallibilitatem capiti, non membris petiiſse & impetraſse, ita ut Petrus ſine membris eſset infallibilis, & indeficiens in fide. Non dixit: *rogavi pro vobis,* ſed *pro te,* non dixit: *vos confirmate,* ſed *tu converſus confirma. Subſumo*: atqui quod Chriſtus impetravit Petro, hoc ipſum etiam impetravit Succeſsoribus, quia propter utilitatem & neceſſitatem Eccleſiæ hoc impetravit Petro; Eccleſia autem ſemper indiget aliquô, qui eam infallibiliter confirmet in fide. Præterea, quod Xtus ibi pro Petro rogaverit, & non pro tota Eccleſia, nonſolum patet ex ipſo nomine Petrum deſignante, *Simon, Simon,* ſed etiam, quia dixit, *& tu converſus &c.* quod utiq; Eccleſiæ convenire non poteſt, utpote quæ nunquam tota perverti, adeoq; nec converti poteſt.

Tertius locus eſt Joan: 21. Ubi Xtus ſoli Petro præ cæteris Apoſtolis totius Ec-

Ecclesiæ curam committit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*; ergo Petrus debet, & quivis ejus Successor pascere Verbo doctrinæ Universam Ecclesiam; illum debet audire Ecclesia, ut ovis Pastorem, illiusq; doctrinam sequi; atqui Ecclesia non potest falsam doctrinam sequi, quia est indefectibilis; ergo nec Petrus, nec quivis ejus Successor potest Ecclesiæ falsam doctrinam proponere. Et sané absonum foret, quod gregi infallibili præficeretur Pastor fallibilis; tunc enim potius grex Pastorem, quam Pastor gregem deberet pascere.

Prob: 2. ex Patribus. S. Hyppolitus III. Sæculi Episcopus & Martyr: Orat: de Consum: mundi ait: *Princeps Petrus, fidei petra, quem beatum judicavit Christus Dominus noster; ille doctor Ecclesiæ, ille primus Discipulorum, ille qui regni Claves habet.* S. Cypri: Epist: 51. de Felicissimo & aliis Schismaticis, qui Romam confugerant: *Navigare,* ait, *audent ad Petri Cathedram, atq; ad Ecclesiam principalem, unde dignitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides*

 Apo-

Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. S. Ambr: III. Sæculi Doctor in Psal: 40. *Ipse est Petrus cui dixit; Tu es Petrus & super &c. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia ubi Ecclesia ibi nulla mors, sed vita æterna & portæ inferi non prævalebunt ei.* Manifeste S. Doctor loquitur de Petri Succesforibus. *Ubi Petrus, ibi Ecclesia,* tunc enim non erat persona Petri. S. Hier: totus est in hac veritate demonstranda Epist: 57. ad Damasum: *Ego,* inquit, *nullum primum nisi Xtum sequens, Beatitudini tuae, id est; Cathedrae Petri communione consocior, super illam petram aedificatam Ecclesiam scio, quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est, si quis in Arca Noe non fuerit, peribit - - - Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicunq; tecum non colligit, spargit, hoc est, quod Xti non est, Anti:-Christi est.* In Exposit: Symboli ad eundem. *Si minus perité, aut parum cauté forte aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & sedem tenes, sin autem haec nostra confessio Apostolatûs tui judiciô comprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperi-*

peritum vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit. S. Petrus Chrysol: Epist: ad Eutychetem. *His, quae a B. Papa Romanae Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus qui in propria sede & vivit, & praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei extra consensum Romanae Civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* Postquam Innocentius I. hæresim Pelagii sententiâ lata damnasset, August: Serm: 2. nunc 131. de Verbis Apost: cap: 10. dicit: *Iam de hac causa duo Concilia* (Carthaginense, & Milevitanum) *missa sunt ad sedem Apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt; causa finita, utinam aliquando error finiatur.* Et lib: 2. Operis imperfecti contra Pelagium ait: *Quid adhuc quaeris examen, quod jam factum est, apud Apostolicam Sedem - - - Ergo haeresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.*

Prob. 3. Ex traditione, praxi & communi sensu Ecclesiæ, de quo constat ex eo, quod pleræq; hæreses ab ini-

tio

tio Ecclesiæ usq; modo sint a Rom. Pontificibus sine interventu Concilii generalis condemnatæ. Nam 300. primis annis nulla Concilia generalia fuerunt celebrata; at nihilominus damnatæ hæreses *Appollianorum, Marcionistarum, Valentinianorum, Novatianorum, Sabellianorum, Paulinistarum. &c.* postmodum, *Pelagianorum, Semipelagianorum, Berengarii, Joviniani, Vigilantii &c.* Hinc etiam nullus dubitavit, quod Concilia Milevitanum, & Carthaginense contra Pelagium, Arausicanum contra Semipelagianos, & similia particularia per S. Pontificem approbata sint eo ipso infallibilis fidei regula. Et quod rem totam conficere videtur, est id, quod Patres ad Concilium generale congregati, nonnisi secundùm formam a S. Pontifice præscriptam, & per legatos transmissam prava dogmata proscripserint; atqui hic Patrum procedendi modus incongruus fuisset; nisi S. Pontificis judicium infallibile existimassent; ergo. *Min. patet, major prob.* 1. In Concil. Ephesino anno 431. Act. 1. Patres in Nestorium sic pronuntiant: *Coacti per sacros Canones & per Epistolam San-*

Sanctissimi Patris Nostri Comministri Cœlestini Romanœ Eclesiae Episcopi --- ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Idem Cæleſtinus in inſtructione data legatis præcipit, *Ut sedis Apostolicae tuerentur dignitatem, nec se Episcoporum dissidiis immiscerent, quorum quippe Judices esse deberent.* Idem in Epiſt. ad Patres Synodi Act. 2. *Direximus* Legatos, *qui eis, quae aguntur intersint, & quae a nobis antea statuta sunt* (Romæ contra Neſtorium) *exequantur.* Hac Epiſtola lecta acclamaverunt Patres, *hoc judicium justum est.* Tum *Firmus* Epiſcopus Cæſareæ nomine Concilii reſpondit: *Apostolica & sancta sedes --- de praesenti negotio sententiam dixit, regulamq; praescripsit, quam nos quoq; secuti --- formam illam executioni mandavimus, Catholicum & Apostolicum judicium in illum proferentes.* S. Leo in Epiſt: ad Patres Concil: Calced: præſcripſit Patribus legem & doctrinam, quam ſequi debeant: *Nunc,* ait, *in Vicariis meis adsum, qui dudum in fidei praedicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid*

cu-

cupiamus --- Cum ſecundùm Evangelicas veritatés --- lucidiſſime per literas, quas ad Beatae memoriae Flavianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quœ ſit de Sacramento Incarnationis D. N. J. C. pia & ſincera confeſſio. Non ſic profecto ſcripſiſſet S. Leo ſi ſuum judicium a Concilio reformabile exiſtimaſſet. Act. 2. Cum Magiſtratus petiiſſent, ut de fide ageretur ſecundùm Concilia Nicænum & Conſtantinopolitanum, Cæropius Epiſcopus Sebaſtenop. dixit: *Emerſerunt, quae ad Eutychetem pertinebant, ſuper his forma data eſt a S. Archi-Epiſcopo Romanae urbis, & ſequimur eum, & Epiſtolae omnes ſubſcripſimus --- Clamaverunt: ita omnes dicimus*; ergo tenebant judicium S. Leonis irretractabile. *Agatho* Papa occaſione VI. Concilii gener. Anno 680. in Epiſt. ad Conſtantinum Pogonatum ſecurè pronuntiat ſe ſuis legatis ad Concilium mandaſſe, ut quæ ipſe Romæ cum ſuo Concilio definierat non examinarentur tanquam dubia & incerta, ſed ut certa & immutabilia publicarentur: *Per nos*, ait, *praevidimus dirigere, non tamen tanquam de incertis contende-*

tendere, ſed ut certa & immutabilia compendioſa definitione proferre. Poſtea in contradicentes ſententiam condemnationis profert; ergo certus fuit de ſua infallibilitate, alioquin ſi falſa protuliſſet more hominum, fuiſset a Concilio Oecumenico redarguendus. Hæc in 2da Epiſtola dicit Agatho. In prima dicit Eccleſiam Rom. Romanosq; Pontifices nunquam in fide defeciſse, aut deficere, ſed eorum partes eſse Fratres in fide confirmare. Has Epiſtolas cum veneratione Patres ſuſceperunt dicentes, *per Agathonem Petrus loquebatur - - - Quas ut a ſummo Apoſtolorum Vertice, diviné perſcriptas agnoſcimus.* Eodem modo receptæ literæ *Adriani* Papæ in Synodo VII. Nicæna II. In Synodo VIII. Conſtant. IV. Anno 869. contra Photium nullus admiſsus fuit, quin prius formulæ fidei ab *Adriano* II. Miſſæ ſubſcripſiſſet. In hac fidei formula hæc habentur: *Quia non poteſt Domini N. J. C. praetermitti ſententia dicentis.* Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; *Haec quae dicta ſunt, rerum probantur eventibûs, quia in ſede A-*

po-

postolica immaculata est semper servata religio, & sancta celabrata doctrina. Ab hujus ergo fide atq: doctrina separari minime cupientes, & Patrum & praecipuè sanctorum Apostolicae sedis Praesulum, sequentes in omnibus constituta. &c. En in Concil. VIII, admissa Romani Pontificis infallibilitas fundata in Verbis Xti: *Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

Prob: 4. ratione. Illud judicium in materia fidei est irreformabile, quod est supremum & ultimum, post quod non datur aliud superius, ad quod appellari possit; atqui tale est judicium Rom. Pontificis ex Cathedra loquentis; ergo *Maj. patet, Min. prob. 1.* Nicolaus I. in Epist. 8. ad Michaëlem Imp. ait: *patet profecto sedis Apostolicae, cujus authoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neq: cuiquam de ejus liceat judicio judicare.* Juxta quod Bonifacius Papa Ruso & cæteris Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait: *Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis, nisi quia de se vo-*

voluit judicari. Gelasius Papa, *Ipsi*, ait, *sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad ejus sedis examen voluerunt deferri; ab ipso vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; & per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium;* ergo.

Prob. 2. min. Ex laudato jam S. August: qui, ut dictum, Jnnocentii I. judicium contra Pelagianos pro finali & irrefragabili habuit, dum dixit: *Rescripta Roma venerunt, causa finita est.* Id etiam constat ex aliis Patribus. *Prob. 3. eadem min.* Appellans in casu appellationis eximitur a jurisdictione illius, a quo appellat, & ab ejus obedientia recedit; atqui nullus fidelis potest eximi a jurisdictione S. Pontificis; alioquin non esset amplius ejus ovis; consequenter nec fidelis; neq; ab ejus obedientia recedere; cum sit supremus omnium Rector, Pastor & Superior; ergo. Tandem judex a quo appellatur non debet dare aut designare appellanti judicem ad quem, alias ageret contra seipsum; atqui in casu Rom: Pontifex daret appellanti judicem, nempe

pe Concilium gener: quod indicere, congregare, confirmare ad Rom. Pontificem pertinet; ergo judicium Rom: Pontificis est ultimum in Ecclesia.

Prob; 5. *ex absurdis adversæ sententiæ*. Si S. Pontificis judicium non est infallibile in quæstionibus fidei & morum, nisi ex consensu Ecclesiæ. *Sequitur* 1. Quod Pontifex infallibilitatem mutuet ab Ecclesia; hinc infertur, quod Ecclesia non est fundata in Petro, sed Petrus in Ecclesia, quod Petrus non pascat oves, sed oves Petrum; quod non Petrus confirmet Fratres in fide, sed Fratres Petrum; quæ omnia aperte sunt contra Evangelium. *Sequitur* 2. Quod S. Pontifex non magis gaudeat privilegio infallibilitatis, quam Episcopus minimæ Diæceseos, imo ut simplex Pastor & Doctor, horum enim judicium pariter potest acceptare Ecclesia; ergo. *Sequitur* 3. Fideles fore fluctuantes in fide, nec habere aliquid fixum & firmum, cui assensû fidei adhæreant. Quæro enim qualis Ecclesiæ consensus requiratur? An totius Ecclesiæ, an majoris partis, an minoris vg. unius

unius nationis? non ultimum, quô enim jure hæc unius nationis Ecclesia conferret Pontifici infallibilitatem, quam non habet? neq; primum, alioquin sufficeret dissensus unius vel alterius Episcopi, aut fidelis ad infirmandum judicium S. Pontificis. Non secundum *1mò*: ut dictum tertio. *2dò*: Quis dinumerabit partes dissentientes, ut dignoscatur, an major pars adhæreat? Quis hunc consensum fidelibus annuntiabit? interim nullus fidelis tenebitur assensum præbere diplomatibus Pontificiis; quod quam sit a veritate dissonum, quis non videt? *3tiò*. Si sufficit assensus majoris partis, non est, quod tanto zelô disputent Galli; cum iis exceptis omnes Ecclesiæ, ad minus tres partes, agnoscant S. Pontificem infallibilem, nullumq; emanat ab eo decretum ex Cathedra, quod non recipiatur a majori parte Ecclesiæ.

§ II.

Solvuntur objectiones.

Dicunt: *1*. Contra 1. prob. Per petram intelligi fidem Petri. Ergo

Resp.

Resp. Ut jam supra dictum intelligi fidem Petri non in abstracto, sed in concreto, nempe Petrum Divinitatis fidem profitentem.

Instant. Ex hoc sequi Petrum non solum debuisse esse infallibilem, sed etiam immortalem; cùm Ecclesia in eo fundata sit semper duratura.

Resp. Alterum non sequitur, habet enim legitimos in suo munere Successores; ideo quod fuit illi dictum, censetur ipsis dictum, in quibus sicut in ipso Ecclesia fundata permanet.

Reponunt. Moriente Petro aut Papa, destruitur Ecclesiæ fundementum, juxta nostram sententiam; ergo vel Petrus debuit esse immortalis &c.

Resp. nego consequ: Quia remanet fundamentum primarium Christus, a quo in casu sustentatur Ecclesia servans infallibilitatem fidei passivam.

Inferunt. Ergo idem dici potest, si contingat docendo Ecclesiam, aliquem Pontificem a fide deficere.

Resp: nego illat. Non ideo quod Xtus absolutè non posset sustentare Ecclesiæ ædificium, non obstante errore Petri

aut

aut S. Pontificis ; ſed quia non sic diſpoſuit de ſtatu Ecclesiæ, cujus fundamentum voluit eſſe Petrum non vivendo, ſed docendo.

Opponunt: Senſum horum verborum eſſe , quod quoties Petrus & Pontifices annunciabunt communem Ecclesiarum fidem ex traditione , eorum prædicatio & fides erit fundamentum Ecclesiæ.

Reſp. 1. & infero ; ergo nihil ſpeciale Petro promiſſum eſt; cúm illa hypothetica infallibilitas &c. etiam singulis Epiſcopis , Doctoribus , imo fidelibus communia sint. 2. Si moveatur nova quæſtio ſpectans fidem , quis judicabit, an Pontifex annunciet communem fidem Ecclesiarum ? 3. Ut dictum , non ſolum fides Petri , ſed ipſe Petrus eſt Ecclesiæ fundamentum.

Dicunt. 2. *contra* 2. *Textum allatum*: Indefectibilitatem eo loci promiſſam Petro transmitti ad Succeſſores, non hoc ſenſû quod quilibet sit in fide indefectibilis , ſed quod nunquam futurum sit, ut Succeſſores atq; Ecclesia, cui præſunt, deficiant a fide Unde huic fidei nihil obeſt, si aliquot Pontifices Officio

W de-

desuerint, ac a fide aberrarint; stat enim Romana fides, ab eorum Antecessoribus stabilita, ab eorum Successoribus vindicanda.

Resp. 1. Ex dictis verbis non solúm probari indefectibilitatem Romanæ Sedis, aut Ecclesiæ; sed etiam Rom. Pontificis. 2. Juxta hanc interpretationem promissio indefectibilitatis non soli Petro sed Ecclesiæ facta est, cujus contrarium habetur in prob. 3. Christus rogavit, ut fides non sit defectura in Petro; ergo nec in quolibet Successore 4. Si unus ex Petri Successoribus deficiat a fide docendo, non poterit, confirmare Fratres, quod ne unquam contingeret, rogavit Christus. 5. Si unus errare potest, quomodo sedes inviolata permanebit? Si

Dicas: Petrum non obstante Christi oratione a fide defecisse, negando ipsum.

Resp: Petrum negâsse Xtum ore tantùm non corde, neq; tunc fuisse constitutum caput Ecclesiæ.

Instant. Ipsa voce *confirma* non indicari supremum & indeclinabile judicium; nam

nam *confirma* hoc eſt; quantum in te eſt, enitere, ut firmi sint.

Reſp. Non ex hac ſola voce *confirma*, ſed ex tota periodo, *Ego rogavi* &c. *confirma* &c nos probare judicium Rom. Pontificis ſupremum & infallibile; quia his verbis Xtus promittit Petro ejuſq; Succeſſoribus indeficientiam in fide, ut confirmet fideles.

Dicunt contra 3. P. His Verbis *Paſce oves meas* ſolum indicari Officium Petri, non autem præſtari, ut præceptum Officium impleatur; alioquin ſequeretur, quod Petrus, & ejus ſucceſſor in nulla parte Officij Paſtoralis peccare poſſet.

Reſp. nego ant. Abſurdum enim foret gregi infallibili præficere Paſtorem fallibilem.

Ab Prob. nego Sequ. Defectibilitas enim in moribus non ita nocet membris, ſicut noceret defectibilitas in fide & doctrina. Quia quamdiu permanet fides, ſubsiſtit compago Eccleſiæ, eſtq; radix, qua permanente aliæ virtutes reviviſcere poſſent; at eâ ſublatâ non ſubsiſtit corpus Eccleſiæ, & omnis fere ſpes ſalutis auſertur. Unde id maximè

& ſuper omnia curandum Paſtori, ut fides ſervetur incorrupta in grege.

Objic: 1. S. Cypr. cum pluribus Epiſcopis reſtitit Stephano Pontif. definienti non eſſe rebaptizandos ab hæreticis baptizatos; ergo ipſe non agnovit S. Pontificem infallibilem.

Reſp. 1. *ad illat.* Non eſt mirum Cyprianum, qui errabat circa baptiſma hæreticorum, errâſſe circa infallibilitatem S. Pontificis. Hæc enim eſt conditio fragilitatis humanæ, ut qui ſemel errorem induerunt, quem authoritate fultum exiſtimant, non agnoſcere authoritatem, a qua proſcribitur.

Reſp: 2. *nego illat:* Quia quæſtionem de baptiſmo hæreticorum iterando Cyprianus nunquam exiſtimavit pertinere ad fidem, ſed ad diſciplinam tantúm, nec illam ut fidei dogma definivit ex Cathedra Stephanus. Duplex hic itaq; quæſtio eſt diſtinguenda. Prima an invalidum sit baptiſma Hæreticorum? Secunda an rebaptizandi ſunt ab Hæreticis baptizati? Prima eſt ſpeculativa, & ad fidem pertinet; ſecunda eſt diſciplinæ, & praxim ſpectat. Stephanus inta-

tacta prima quæstione, secundam prohibuit, jussitq; nihil innovari, sed servari antiquam consuetudinem, nihil amplius; idq; non per decretum solemne, ad totam Ecclesiam directum, sed per rescriptum in literis privatis ad Cyprianum & Collegas. *Nondum erat diligenter* tempore Cypriani, *illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia* ait S. Aug. lib. 2. contra Donat. c. 7. Quod autem non erat sufficienter pertractatum & discussum, non potuit proponi, tanquam decretum sedis Apostolicæ, & articulus fidei. Unde objectio non militat contra conclusionem.

Instabis 1. Stephanus præcipiens non esse rebaptizandos, ab Hæreticis baptizatos, supponebat eorum baptisma esse validum idq; saltem ex definitione inferri poterat; ergo.

Resp. Hic non agi de suppositione aut illatione, sed de definitione ex Cathedra. Quidquid in mente habuerit Stephanus; constat nihil aliud definivisse, quám ut *nihil innovaretur*; sivè teneret de fide illud baptisma esse validum, sive tan-

tum ut quid certius haberet. Neq; ut dictum, id difinivit ex Cathedra.

Instabis 2. Etsi Stephanus definivisset ex Cathedra tanquam fidei dogma validum esse baptisma Hæreticorum, & ab illis baptizatos non esse rebaptizandos, non debuisset illi aquiescere Cyprianus; ergo. *Prob. Ant.* ex S. August. lib. 2. contra Donat. cap. 4. *Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima authoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaratur*; ergo ex mente S. August. solius Concilij plenarii, & non Romani Pontificis judicio acquiescere tenemur, consequenter &c.

Resp. Nihil ex his inferri contra infallibilitatem Romani Pontif: si attendatur scopus S. Doctoris, agebat contra Donatistas, qui exemplô Cypriani nitebantur, & abutebantur, contra quos sic arguit ad hominem: Si hæc quæstio fuisset in plenario Concilio, eliquata & definita, S. Cyprianus, ad quem provocatis, illi contra propriam sen-

ten-

tentiam acquievisset, quare ergo cum jam per plenarium Concilium definita sit, vos non acquiescitis. Quô argumentô non negatur infallibilitas Rom. Pontificis. Intendit non infallibilitatem S. Pontificis excludere, sed infallibile judicium Concilii asserere. Sicut si de propositione à Concilio Trid. definita dicerem: Hanc propositionem non auderem asserere, si a Concilio Triden. non esset definita, malè quis inferret me denegare infallibilitatem Rom Pontificis, & soli Concilio tribuere; nulla enim hic comparatio inter Concilium & Pontificem, ut illud dicatur infallibile, ille fallibilis. Cæterum mens S. Augustini circa infallibilitatem S. Pontificis patet ex probationibus in causa Pelagianorum, quam ex solius Innocentii decreto dicit esse finitam, nec Pelagianis superesse appellationem ad Concilium generale.

Dices: A judicio infallibili non datur appellatio; sed non semel data est appellatio a diplomate Pontificio, ut liquet ex appellationibus Donatistarum, a judicio S. Melchiadis & Cælestii, à

De-

Decreto Innocentii I. ad Zosimum Pontificem Innocentii Succeſſorem; ergo.

Reſp: Diſt: maj: non datur juſta appellatio, quæ ſuſpendit legis effectum, *conc:* & jure ac merito provocatur á judicio infallibili, *nego.* Porro injuſtæ erant ejusmodi appellationes, nec alicujus roboris. Cæleſtius Zoſimum decepit, ſimulando ſe eſſe Catholicum. Poſtquam monitus ab Epiſcopis Affricæ hominis vafritiem agnovit, ſtatim & illum & omnes Pelagianos damnavit innovando decretum Innocentii in ſua *Tractatoria* ad omnes Epiſcopos directa.

Objic: 2. Plures Epiſcopi Rom: erraront in rebus fidei & morum; ergo.

Prob: *Ant:* Nam 1. erravit Marcellinus idolis ſacrificans. 2. Liberius Arianæ hæreſi ſubſcribens. 3. Zephyrinus insimulatus de Montaniſmo. 4. Zoſimus, qui Cæleſtium Hæreticum pro Catholico agnovit. 5. Stephanus I. probando promiſcuè omne baptiſma Hæreticorum. 6. Hormiſdas, qui damnavit hanc propoſitionem: *Unus de Trinitate paſſus eſt carne,* quam Joannes ejus ſuc-

ceſ-

ceſſor, & V. Synodus ut Catholicam probavit. 7. Vigilius Papa modò probavit, modò improbavit tria Capitula. 8. Honorius fuit damnatus cum Hæreticis Monothelitis in VI. Synodo. 9. Gregorius III. docuit Uxorem imbecillem poſſe dimitti, & rebaptizandos eſſe baptizatos a Paganis vel Judæis. 10. Stephanus II. dicitur approbâſſe baptiſmum vinô collatum. 11. Nicolaus I. docet baptismum in nomine Chriſti collatum eſſe validum. 12. Stephanus VII. acta Formoſi Prædeceſſoris irritavit, & ab eo ordinatos iterum ordinari juſſit. 13. Theodorus II. & Joannes IX. Acta Stephani in Formoſum irritârunt. 14. Sergius III. acta Formoſi iterum irritavit, & acta Stephani probavit. 15. Cæleſtinus III. definivit per hæreſim diſſolvi Matrimonium. 16. Alexander III. cap: *Licet* de Sponſa: quod ratum Matrimonium contractô alterô & conſummatô, dirimatur. 17. Bonifacius VIII. definivit omnia regna mundi in temporalibus ſubeſſe S. Pontifici, idq; in famoſa decretali *Unam Sanctam* inſeruit. 18. Jo-

an-

annes XXII. erravit circa visionem Dei, quam desinivit differri post ultimam corporum resurrectionem. Ergo.

Resp: 1. Multis casus Marcellini videtur confictus à Donatistis, ut ipsis exprobat S. August:

Resp: 2. Marcellinus hoc facto nihil docuit ex Cathedra, & licet externè fidem negaverit, ob metum tormentorum, corde tamen retinuit. *Ad* 2. Formula, cui Liberius subscripsit, revera nòn fuit Ariana, ut dictum in Tract: de SS. Trinitate; hinc communione, non sententiâ fuit Arianus. *Ad* 3. Hoc quidem dicit Tertullianus jam Montani hæresi infectus, sed non probat. Esto enim Zephyrinus errore facti deceptus literas communionis Montanistis dederit, eas tamen fraude cognita revocavit. *Ad* 4. Jam dictum. Zosimum a Cælestio fuisse deceptum. Interrogatus enim Cælestius a Zosimo de Innocentii literis, quæ Pelagium damnarunt, respondit se eis consentire; & se omnia, quæ Sedes Apostolica damnaret, damnaturum promisit. His auditis Zosimus libellum approbavit.

absq;

absq; eo, quod unquam falsum dogma probaverit, & peccatum originale negaverit. Hæc ex S. August: lib: 2. ad Bonifacium cap: 3. *Et propterea libellus ejus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si quà forte aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere.* Proinde habita ratione mentis, affectûs, & modo loquendi authoris, qui hunc suum errorem non absolute asserebat, sed admodum dubitantis tantùm proponebat, petens instrui, libellum Catholicum dixit, non habita ratione propositionum, & dogmatum, quæ continebat

Dices: Facundus Hermianensis huic ævo proximus lib: 3. c. 7. memorat: *B. Zosimum contra Innocentii sententiam, fidem Pelagii & Cœlestii tanquam Catholicam laudantem, & culpantem Affricanos Episcopos; quòd ab illis hæretici crederentur.*

Resp. Viro Schismati trium Capitulorum pertinaci Defensori nullam fidem esse adhibendam, potiùs Augustino credendum. Datis insuper his objectis nihil concluditur contra nos. Constat enim

nim Zoſimum approbantem privatim libellum Cæleſtii, & ſcribentem privatas literas ad Epiſcopos Affricæ, univerſam Eccleſiam non docuiſſe, ſicq; non fuiſſe locutum ex Cathedra, ſicut locutus eſt, quando fraude detectâ Pelagium & Cæleſtium ſolemni decretô condemnavit, miſſâ ad totius Orbis Epiſcopos condemnationis Epiſtolâ, *Tractatoria* dicta.

Ad 5. Nego ant: Nec dicas: Quod S. Cyprianus hunc errorem Stephano attribuit: Nam dato gratis *ant*: *nego conſequ*: Quia æſtû diſputationis abreptus aliquid humani erga Stephanum paſſus eſt Cyprianus, ut fatetur Auguſtinus.

Ad 6. Damnavit Hormiſdas laudatam propoſitionem, non ut hæreticam, ſed quod per intempeſtivam illius defenſionem pax Eccleſiæ turbaretur. Hinc Joannes Hormiſdæ non eſt contrarius. Vid: Tract: de Incarn: Pater *Serry* ait conceſſo, quod Hormiſdas damnaverit præfatam propoſitionem, ut hæreticam ſumptam in ſenſu reduplicativo, quo ſenſû eſt Eutychiana, & ab Eutychianis

nis defensa; Christus enim secundùm fidem Catholicam, non est passus reduplicativè ut Deus, & una de Trinitate Persona; Joannes autem eam probando, sumpsit specificativè, & per communicationem idiomatum, hinc nihil contra nos.

Ad 7. Vigilius nunquam probavit tria capitula, quantùm ad sensum obvium textuum, sed tantùm vetâsse ne damnarentur nominibus appellatis Authorum. Vid: Tract: de Incarn.

Dices: Vigilius in suo constituto de Ibæ Epistola ait: *Ipsam rectissimo & piissimo sensû intellectam*, irreprehensam manere; ergo probavit *&c.*

Resp: Vigilius non dixit Epistolam Ibæ, sed *fidem irreprehensam manere*, quia scilicet in Concilio Calced: mentem suam aperuerat, & quæ contra S. Cyrillum errore facti deceptus scripserat, retractavit.

Ad 8. Honorius nunquam hæresim docuit, sed ut fautorem Monothelismi fuisse damnatum in Synodo VI. diximus in Tract: de Incarn:

Ad 9. Loquitur Gregorius non de

qua-

quacunq; imbecillitate, sed de impotentia perpetua & naturali. Ad alterum rebaptizandos ait, quia incertum erat, an serio & observata formâ baptizâssent. Dici etiam potest ea rescripta non esse ex Cathedra; quia non sunt ordinata ad totam Ecclesiam.

Ad 10. Fabula & commentum. Vide Billuart dissert: 1. de Baptismo a. 3. Obj: 2.

Ad 11. Hoc non definivit Nicolaus, quia de hoc interrogatus non fuit: sed tantum, utrum Baptisma collatum a Pagano aut Judæo sit validum. Dici etiam potest Baptisma in Nomine Christi collatum, esse baptisma collatum in forma debita, siquidem Christus baptismatis Author est, ad distinctionem a baptismate Joannis. Insuper non est de fide baptismum in nomine Christi collatum esse invalidum; sunt enim Theologi, qui validum esse propugnant, nullo tamen casû sic conferendum.

Ad 12. Stephanus & Sergius non errore prædicationis, sed conversationis, seu ut ait Spondanus ad an: 897. non errore in fide, sed violenta tyranni-

de

de in facto; non definiendo, sed suo livori indulgendo hoc fecit. *Addo*. Ordinationes non fuisse iteratas simpliciter, sed adhibitis tantúm cæremoniis, quibus ordinati a Formoso, & ideo suspensi, ut prætendebat Stephanus liberam ordinum executionem reciperent; sicut factum antiquitus in Concil: Tolet IV. & cum iis qui ordinati fuerunt a Photio. Hinc.

Ad 13. Meritò Theodorus II. & Joannes IX. Acta Stephani in Formosum irritârunt. *Ad 14*. patet ex *Resp*: ad 12.

Ad 15. Cælestinus hoc ex Cathedra non pronuntiavit, ut colligitur ex cap: *Quanto* ubi Innocentius III. referens hanc Cælestini sententiam dicit: Prædecessorem suum aliter *sensisse*, se tamen non credere, quod in tali casu Matrimonium dissolvatur. Hinc patet quod uterq; suam opinionem exposuit, non tamen definiendo quidquam. Hinc notanda est Cani sententia lib: 5. de locis Theol: cap: penult: *Decretales nonnullas constat a posterioribus meliori consiliò refutatas, quoniam non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt*. Non omnia

ergo

ergo Pontificum rescripta ad privatorum consultationes, pro decidendis privatis casibus conscientiæ, censeri debent, ex Cathedra pronuntiata.

Ad 16. Ut ad 15. immediatê.

Ad 17. nego, Epistolam enim, in qua id continebatur, suppositam nomini suo fuisse a Petro Flotta conquestus est ipse Bonifacius, ut testatur Spondanus ad an. 1301. In Decretali *Unam Sanctam* definit tantum *subesse Romano Pontifici omnino esse de necessitate salutis*, quod intelligitur de Spiritualibus.

Ad 18. Ad summum hoc docuit ut Doctor privatus inquirendo, non definiendo. Sed de hoc alibi. Non solum in hos Pontifices quos enumeravi, verum in plures alios invehi solent Acatholici Ducibus Centuriatoribus Magdeburgensibus, verum sicut illos, ita istos egregiè vindicant ab odio eorum Theologi Catholici. Vide V. Bellarminum lib: 4. cap: 13. de Summo Pontifice.

Objic: 3. Plures Pontifices ingenue sunt fassi, se esse fallibiles, ut Leo IV. Can: *Si incompetenter* causa 2. q. 4. Innocentius III. Serm: 2. de Consecr: Pontific:

tiſ: Clemens VI. in diplom: 7. Idus Decemb: 1351. Gregorius XI. & alii, ergo.

Reſp: Hos Pontifices ſe agnoviſſe fallibiles in diſpenſationibus ſeu privilegiis concedendis, in factis particularibus, vel etiam in rebus fidei; ſed ut Doctores privatos, non autem ut Paſtores univerſalis Eccleſiæ, loquentes ex Cathedra. Nec obſtat quod Gregorius XI. dicat ſe potuiſſe errare in Conſiſtorio; non enim ea, quæ in Conſiſtorio aguntur, ſemper ex Cathedra definiuntur, ſed in eis ſæpe cauſarum merita expenduntur, conſilia proponuntur abſq; eo, quo ad ſententiam ſolemnem deveniatur. Unde ipſi laudati Pontifices, ubi agebatur de judicio Rom: Pontificis ex Cathedra, ejus infallibilitatem ſtrenue propugnârunt, ſic Innocent. III. Epiſt: 109. ad Patriarcham Conſtantin: *Petri Succeſſores á fide Catholica nullo unquam tempore deviâſſe* profitetur. Et Clemens VI. inter articulos, quorum ſubſcriptionem requiſivit, ab Armenis, decimus tertius erat de infallibilitate S. Pontificis.

Inſtabis Adrianus VI. in Comment.

 ſuper

super 4. lib. Sentent: dist: 7. claris verbis asserit: *Plures enim Rom: Pontifices fuêre hæretici*; ergo.

Resp: Hæc Adrianus scripsit, antequam Pontifex esset, non ex professo hanc materiam tractando, sed incidenter.

Objic: 4. Si solus Pontifex potest infallibiliter definire dogmata fidei frustra fiunt Concilia, aut non sunt necessaria; ergo.

Resp: Id non sequi, Nam etsi in Pontifice sit infallibilitas,& gaudeat inerrantiæ privilegiô, tamen non debet ipse contemnere media humana, & ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem, de qua agitur; medium autem ordinarium est Concilium majus aut minus, pro magnitudine vel parvitate rei, de qua agitur; id patet ex exemplo Apostolorum. Nam certe Petrus vel aliùs, poterant etiam soli quamlibet controversiam definire infallibiliter, tamen Concilium convocaverunt Act: 15. Deinde Definitiones de fide pendent præcipuè ex traditione Apostolica & consensu Ecclesiarum, ut autem cogno-

cognoſcatur de orta aliqua quæſtione, quæ ſit totius Eccleſiæ ſententia, & quam traditionem ſervent Eccleſiæ Xti, non eſt alia melior ratio, quam ſi in unum conveniant Epiſcopi ex omnibus Provinciis, & quiſq; referat Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem. Præterea utiliſſima & ſæpe neceſſaria Concilia, ut finis revera imponatur controverſiis, & Decreta de fide non ſolùm fiant, ſed etiam ſerventur; quando enim adunatur Concilium generale omnes Epiſcopi ſubſcribunt, & profitentur ſe amplecti illud Decretum, & ſic deinceps in ſuis Eccleſiis prædicaturos; quando autem non ſit generale Concilium, non eſt tam facile reducere ad praxim decretum de fide factum; ſiquidem nonnulli ignorantiam decreti prætexunt, alii conqueruntur ſe non fuiſſe vocatos; alii etiam apertè dicunt Pontificem poſſe errare. Hæc omnia ad oculum patent in convocatione primorum Conciliorum, quæ fuerunt coadunata jam poſt damnatas hæreſes. Sic Cæleſtinus Neſtorii hæreſim damnaverat, ſed non extinxerat propter potentiſſimos Neſtorii amicos, Patronos

& Protectores, & ideo fuit necessaria convocatio Synodi Ephesinæ, ut opportunis mediis hæreticorum insania reprimeretur, hæresis progressus sisteretur, & Catholica fides muniretur. Sic S. Leo in Epist: celebri ad S. Flavianum Eutychianam hæresim damnaverat; sed quia Dioscorus & alii in latrocinio Ephesino eam ne legi quidem passi fuerant, Flavianum verberibus ad mortem affecerant, adversus Leonem sententiam dixerant, necesse fuit congregari Concilium Calced. ut hos tumultus sedaret, & tot malis occurreret. Itaq; frustra laborant, qui ad infirmandam Rom. Pontificis infallibilitatem Concilia congerunt, quæ hæreses jam a Pontificibus damnatas, novo judicio damnârunt; hujus enim causa fuit non insufficiens & fallibilis in Rom. Pontifice judicandi authoritas, sed Hæreticorum protervia, audacia, & contumacia, & facilior definitionum executio.

§. III.

Aliquæ quæstiones resolvuntur.

Petes 1. Utrum qui propositionem á Summo Pontifice damnatam defenderet, esset Hæreticus? *Resp:*

Resp. Cum infallibilitas S. Pontificis non ſit de fide obligante; talis non eſſet quidem Hæreticus, ſed temerarius, niſi forte condemnationi Pontificis accederet conſenſus Eccleſiæ; quia eſt de fide obligante tenere, quod Eccleſia sit infallibilis in revelatis.

Petes 2. An Chriſtus juriſdictionem Eccleſiaſticam ſoli Pontifici S. immediatè dederit?

Nota, Triplicem eſſe in Pontifice, aliisq; Epiſcopis poteſtatem, unam *Ordinis*, alteram *jurisdictionis* interioris, tertiam exterioris. Prima refertur ad Sacramenta conficienda & miniſtranda; altera ad fideles regendos in foro interiori conſcientiæ; tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori. De prima & ſecunda non eſt hic quæſtio, ſed ſolùm de tertia. Nam de prima certum eſt apud omnes, illam æquè immediatè habere a Deo S. Pontificem, ac alios Epiſcopos; confertur enim per conſecrationem, quæ æquè operatur in uno, ac altero. De ſecunda eſt aliqua diſſenſio inter Theologos; ſed tamen conveniunt, ſicut primam ita ſecun-

cundam pertinere ad claves Ecclesiæ, de quibus alibi. Solum igitur de tertia agendum. Et quidem omnes conveniunt jurisdictionem Episcopalem saltem in genere, esse de jure Divino; nam Christus ita ordinavit Ecclesiam, ut in ea sint Pastores, Doctores, ad Ephes: 4. Et nisi ita esset, posset Pontifex mutare hunc ordinem, & constituere, ne ullus alius sit Episcopus in Ecclesia, quod citra dubium non potest facere. At quæstio est: an Episcopi canonicé electi accipiant a Deo suam jurisdictionem, sicut eam accipit S. Pontifex, an veró à Pontifice?

Resp. 1. Apostolos à Christo jurisdictionem omnem accepisse. Patet ex illo Joan: 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quem locum sic exponunt Patres Chrysostomus, & Theophilactus, ut aperté dicant factos esse his verbis Apostolos vicarios Christi, imo ipsum Christi Officium & authoritatem accepisse.

Resp: 2. Episcopos a Papa jurisdictionem accipere.

Ratio. Nam Num: 11. Moyses in

70,

70. Seniores derivavit suum Spiritum jussu Dei. Quô factô voluit Deus ostendere in Moyse residere totam authoritatem; alios autem, si quam habent a Moyse habere. Constat autem Pontificem eum locum in Ecclesia habere, quem habet Moyses in Populo Judæorum. Aliunde regimen Ecclesiæ est Monarchicum; ergo in uno residet potestas. Episcopi non habent æqualem jurisdictionem; nam unus habet unam civitatem, alter quinq: tertius totam, vel totas provincias sub sua jurisdictione, quæ sæpius a S. Pontifice mutatur, dum novæ Diæceses eriguntur.

Petes 3. Quid censendum de potestate S. Pontificis in temporalia?

Resp. 1. Papa non est Dominus totius mundi. *Ratio*: quia non est Dominus earum provinciarum, quas possident infideles, qui non pertinent ad ovile Christi.

Resp. 2. Papa non est Dominus totius orbis Christiani. *Ratio*: Quia claves Regni Cœlorum leguntur Pontifici concessæ, de clavibus verò regni terrarum nulla mentio in scriptura &

Tra-

Traditione. Hinc præclarum dictum Osii Cordub. notandum. *Tibi*, Imperatori, *DEUS imperium, nobis autem ea, quæ sunt Ecclesiæ, Christus commisit.*

Resp. 3. Papam nullam habere jurisdictionem directè iure Divino in temporalia. *Ratio;* Christus ut homo, inter homines degens non accepit, nec voluit aliquod temporale dominium; Papa autem ejus Vicarius est, & Christum repræsentat, qualis erat, dum inter homines versaretur: ergo. Hic duo errores sibi ad invicem oppositi sunt. Nam ex falso hoc principio, quod Christus homo fuerit Rex temporalis, quidam deducunt tanquam ex præcipuo fundamento, Papam, qui Christi Vicarius est, esse Regem & Pontificem simul; é contrariò autem Viclefistæ apud *Thomam* Valdensem lib: 2. Doctr. art. 3. c. 76. ex hoc eodem fonte deduxerunt Reges Pontificibus esse majores, & digniores, quia Reges, ajunt, sunt Vicarii Christi Regis; Pontifices Vicarii Christi Pontificis; Christus autem secundúm illos magis Rex fuit, quam Pontifex; nam descendit ex tribu Re-

gia Judæ & familia David, non ex tribu Levi & familia Aaronis.

At indubium eſt Chriſtum Dei Filium ſemper fuiſse Regem & Dominum omnium, eô modô, quô Pater, ſed hoc regnum æternum eſt & Divinum, nec tollit dominia hominum, nec poteſt Pontifici convenire. Fuit etiam Chriſtus homo, Rex omnium hominum, ſed ſpiritualis, & habuit ampliſſimam poteſtatem in omnes tam fideles, quam infideles in ordine ad ſalutem æternam, ita ut poſſit eos obligare ad fidem &c. Futurum etiam eſt hoc ſpirituale Chriſti Regnum poſt diem judicii ſenſibile & manifeſtum, & ita inchoata eſt gloria hujus Regni in ipſo Capite Chriſto Jesu, poſtquam à mortuis reſurrexit. At hoc regnum non poteſt Pontifici Communicari 1. quia non eſt temporale. 2. Supponit reſurrectionem.

Citra omne dubium potuit quidem in maieſtate regia regni temporalis in mundum venire, tamen ſecundùm providentiæ leges id noluiſse edocemur ex S. Scriptura.

Dici-

Dicimus ergò, quod Papa habeat illud Officium, quod habuit Chriſtus, cum in terris humano modo inter homines viveret. Quia enim Eccleſia ex hominibus conſtat, indiget capite viſibili, & more humanô vivente; ideo Chriſtus, quando deſiit more humano vivere, id eſt, poſt reſurrectionem reliquit Petrum loco ſui, qui nobis exhiberet illam Chriſti gubernationem viſibilem & humanam, quam Eccleſia habuerat ante paſſionem Chriſti, ut patet ex illo Joan: 20. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos.* Tamen magna eſt differentia inter poteſtatem Chriſti, & S. Pontificis; hæc enim fuit in Chriſto per excellentiam extenſa ſuper fideles, ac infideles; poteſtati autem Pontificis ſoli fideles ſunt ſubiecti, ut alia taceam. Hinc fit conſequens ex eo, quod quoniam Chriſtus, ut homo mortalis nullum habuit temporale regnum, nec Pontificem ut Chriſti Vicarium tale aliquod regnum habere, vel ex jure Divino prætendere poſse.

Reſp. 4. Papam habere temporalem poteſtatem indirectè. *Ratio.* Nam po-

te-

testas civilis subjecta est potestati spirituali, quando utraq; pars est ejusdem Reipubl. Christianæ; ergo potest Princeps spiritualis, imperare Principibus temporalibus in ordine ad bonum spirituale. Nam vg. si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium judiciô tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni; ergo signum est subjectam esse temporalem potestatem spirituali.

Resp. 5. Non pugnat cum Verbo Dei, ut unus homo sit Princeps Ecclesiasticus & Politicus simul. Est contra Pontificiæ dignitatis Osores, ex quibus unus nempe *Calvinus* dicit 1. Temporalem S. Pontificis Principatum esse possessionem latrociniô mero occupatam. 2. Etiamsi justo titulô eum haberet, non posse eum jure retinere, eo quod pugnet cum Principatu spirituali. Ita ille lib. 4. Institut. cap. 11. At hoc equidem dicit, sed non probat.

Non pugnare cum Verbo Dei manifesté patet ex Scriptura. Nam præterquam, quod in lege naturæ Melchise-

ſedech fuit Rex & Pontifex, Gen. 14. & Hebr. 7. ſemper primogenitus familiæ Rex & Pontiſex fuit ut S. Hier. docet in quæſt: Hebraicis in illud Gen. 49. *Ruben primogenitus meus*, & conſtat quoq; Nòé, Abraham, Jſaac, Jacob, præfuiſse ſuis, tam in iis, quæ ad religionem, quam in iis, quæ ad politicam vitam pertinebant. *Præterquam* dixi. Nam Moyſes etiam ſummus Princeps temporalis, & ſummus Pontiſex fuit, ut habetur Exodi 18. cap. item 32. & 40. Levit. 8. lib. 2. Paral: cap. 26. Hinc ait Philo Judæus in fine lib: 3. *Hæc eſt vita hic exitus Moyſis, Regis, Legislatoris. Pontificis, Prophetæ.* Præterea Heli & Sacerdos & Judex politicus fuit, ut legitur cap. 1. & 4. lib: 1. Reg. Machabæi Judas, Jonathas, Simon &c. Pontifices fuerunt & Duces politici ad tempora Herodis, ut nos docent libri Machab. & teſtatur Joſeph. lib. 12. antiq, & ſequentibus.

Jam verò quod jure habeat S. Pontifex eum principatum, quem habet, extant Romæ authentica documenta donationum, ut teſtantur non ſuſpectæ fidei Hiſtoriographi, ut *Ado* in Chronico

co an. 727. *Leo* Oſtienſis lib. 1. Chron: Caſſin. cap. 9. & alii plures. Sed dato non permiſso, etſi nihil horum extaret, abundé ſufficeret præſcriptio mille annorum. Hæc gratiâ Calvini dicta, quia regna & imperia per latrocinium acquiſita, tandem longô tempore fiunt legitima. Alioquin quo jure Julius Cæſar occupavit Romanum Jmperium? Et tamen tempore Tiberii ait Chriſtus Math. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari*; Quô jure *Franci* Galliam, *Gothi* Hiſpaniam, *Saxones* Britaniam, *Hunni* Panonniam, & alii alia regna invaſerunt? Et tamen quis Regna ab illis conſtituta illegitima eſse dicet?

Dicunt 1. Nicolaus 1. Epiſt. ad Michael: Jmp. dicit: Fuiſse equidem ante Chriſti adventum eosdem Reges & Pontifices; at Chriſtum verum Regem & Pontificem iſta disjunxiſse.

Reſp: Non hic eſt ſenſus Nicolai, quaſi nullum temporale dominium competat Rom: Pontifici; ipſe enim Nicolaus protunc Pontificatum geſſit, quando Rom: Pontifex erat Princeps politicus Romæ, Ravennæ, aliarumq; civitatum,

tum, quas dudum acceperant Majores ejus á piis Imperatoribus, ſed ſolùm voluit dicere, non convenire, ut idem ſit Pontifex totius orbis, & ſimul Imperator totius orbis; non quod repugnet Evangelio, & nullo modo poſſit fieri, ſed quia Chriſtus ad conſervandam humilitatem voluit Pontificem indigere Imperatoris defenſione in temporalibus, & ſimul Imperatorem indigere Pontificis directione in Spiritualibus. Quód autem id voluerit, patet ex eo, quod reliquerit Imperium Tiberio, & Petro Pontificatum.

Dicunt 2. Math: 20. Chriſtus inſtruxit Diſcipulos de politico dominio vitando: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic &c. Significat enim Dominus* (ait: Calvinus) *non modo Paſtoris Officium diſtinctum eſſe ab Officio Principis; ſed res eſſe magis ſeparatas, quam ut in unum hominem coire queant.*

Reſp: 1. Dominum eo loci inſtituere Principes meré Eccleſiaſticos, ac docere, debere eos, ut tales ſunt, præeſſe ſubditis non more Regum & Dominorum, ſed more Patrum & Paſtorum; non

non autem ſequitur hinc, non poſſe unum & eundem eſſe Epiſcopum & Principem, ut conſtat in Moyſe. At: *Dicit Calvinus* rarô miraculô id factum eſſe, quod Moyſes fuerit ſimul & Pontifex & Princeps politicus, idq; ad tempus, nempe quouſq; non fuiſſet conſecratus Aaron: Sed.

Reſp: Rarô miraculô id factum dicit Calvinus, non probat; Illudnè rarum miraculum dicendum, cujus exemplum luce clarius videmus in Melchiſedech, Heli & Machabæis, ac aliis. Quod autem addit: id eſſe factum ad tempus, falſum eſſe oſtendit S. Aug: q. 23 in Levit: ubi dicit: Eodem tempore ambos fuiſſe Pontifices Moyſen & Aaronem, & patet ex eo, quod depoſuit Aaronem, quem conſecraverat, tanquam Pontifex Levit: 8. conſecraveritq; Eleazarum filium ejus in locum Patris. Num: 20.

Reſp: 2. ad 2. argum. Dominum non prohibere Epiſcopis dominatum, qualis eſſe poteſt Regum & Principum piorum ſed qualis eſt Regum ignorantium Deum, qui tyranni potius ſunt, quam Reges.

AR-

ARTICULUS V.

De præeminentia S. Pontificis supra Concilium generale.

Agimus hic non solùm contra Hæreticos verum etiam contra quosdam Catholicos, qui negant Pontificis præeminentiam supra Concilium generale. Porro hic non est quæstio de Concilio generali, ut complectitur Episcopos & simul S. Pontificem; sic namq; citra omne dubium Concilio superior non est, alioquin se ipso foret Superior, imo Concilium capiti junctum eo modô est quid magis saltem extensive; cum & caput & membra Ecclesiæ sic complectatur; sed procedit quæstio, de Concilio, prout solos Episcopos coadunatos dicit, Pontifice sive adsit, sive non, non computatô.

Dico: Summus Pontifex est authoritate & jurisdictione omni Concilio superior. *Ita communiter Theologi contra Gallos quia tempore Concilii Constantiensis oppositum tenent, & est secunda propositio famosæ declarationis Gallicani Cleri 1682.*

Prob: 1. Nequit esse minor authori-

tas

tas S. Pontificis, in lege Evangelica, quam fuerit S. Sacerdotis in lege Moysaica; atqui summa potestas erat penes Summum Sacerdotem, qui in Pontificali Officio erat constitutus, quantumvis ferret sententiam in magno Concilio Judæorum *Sanchedrim* dicto, nec a Summo Sacerdote dabatur appellatio ad Concilium, ut constat Deut: 17. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eô tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* Notanda verba illa: non dicitur, qui noluerit obedire Concilio Sacerdotum, sed *Sacerdotis imperio,* & nequis existimaret, quemcunq; Sacerdotem hic designari, additum; *qui eo tempore ministrat Domino;* hic profectò erat summus Sacerdos, qui solus gestabat in sua veste Rationale judicii, ex quo captabat Divina oracula, & dicebatur gestare *Urim* & *Tummim* hoc est doctrinam & veritatem; ergo.

Prob: 2. Quando Math: 16. Christus Petro & Successoribus dixit: *Tu es Petrus & super hanc petram &c.* Vel Christus intellexit Petrum solum, & ut caput

diſtinctum á reliquo Eccleſiæ membro, vel ut unitum & conjunctum cum reliquo Eccleſiæ corpore? Si primum, ergo Petrus & ejus Succeſſores independenter á Concilio generali, & reliquo Eccleſiæ corpore ſúnt caput & fundamentum Concilii generalis, & reliqui corporis Eccleſiæ, adeoq; eô ſuperiores. Si verò ſecundum, tunc ſequitur ſenſus nugatorius, Chriſtiq; verborum everſivus, nempe talis: *ſupra hanc Eccleſiam ædificabo Eccleſiam meam*. Deinde ovile & oves non ſunt ſupra Paſtorem, imo è contra; atqui Pontifex a Chriſto eſt inſtitutus Paſtor Eccleſiæ, per illud Joan: 21. *Paſce oves meas;* quia Epiſcopi quantumvis pro Concilio congregati, imo omnes fideles collectivè ſumpti ſunt oves Chriſti; ergo. Deniq; ſoli Petro dictum eſt á Chriſto: *Confirma fratres tuos* Lucæ 22. ſoli dico, non Concilio generali, ſeu reliquo Eccleſiæ corpori; ergo ſi Petrus ſolus, ut diſtinctus à reliquo Eccleſiæ corpore debet confirmare Fratres, & quidem omnes collectivè ſumptos, nimirúm Epiſcopos & omnes fideles, cùm omnes etiam in Con-

Concilio generali possint errare, si Papa illud non confirmet; siquidem multa Concilia errasse compertum est & exploratum; ut alibi dictum, & infra dicetur; erit Conciliô superior, & ex consequenti ejus Successores.

Prob: 3. Summi Pontifices palam, & nemine reclamante supremam potestatem exercuerunt supra Concilia generalia, nam ut art: preced: dictum quibusdam, iis plerisq; definiendi regulam præscripserunt, ut Ephesino I. Constantinopolitano III. & IV. Calcedonensi, Nicæno II. quorundam Acta rescideruut, ut Calcedonensis post 6tam Actionem, maximè quæ spectant privilegia Sedi Constantinopolitanæ concessa; quædam irritaverunt tota, ut Ephesinum vulgo latrocinii nomine dictum; Constantinopolitanum Jconoclastarum, & aliud Photianum; alia suo calculô firmârunt, & probarunt; atqui hæc sunt manifesta superioris authoritatis indicia; ergo. Hinc Concilium Constant: Oecumenicum IV. Can: 3. apertè asserit: *Ne quidem a Concilio generali posse in Romanum Episcopum sententiam dici.* Concil:

Lateran: ſub Leone X. ſeſſ: 11. clariſſimè docet: *penes ſolum Pontificem tanquam ſuper omnia Concilia authoritatem habentem eſſe, Conciliorum, indicendorum, transferendorum aut diſſolvendorum plenum ius & poteſtatem, idq; nedum ex S. Scripturæ teſtimonio, & dictis Sanctorum Patrum, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione conſtare;* ergo.

Confirm: 1. Non minùs S. Pontifex eſt authoritate ſuperior toti Eccleſiæ, quam Epiſcopus toti Diæceſi; atqui Epiſcopus eſt Diæceſanis ſuperior; ergo.

Confirm: 2. Summus Pontifex eſt Chriſti Vicarius, ut fatentur omnes Catholici, quod dici non poteſt de Concilio; cùm enim repræſentet Eccleſiam, debet potius dici Vicarius Eccleſiæ; atqui Chriſtus habet authoritatem in univerſam Eccleſiam, ejuſq; membra tam diviſim, quam coniunctim; ergo & ejus Vicarius. Patet conſeq; tum quia *quæ Chriſto poteſtate ſunt propria, ſunt Petro, ejus Vicario cum ipſo participatione communia*, ait S. Leo Serm: 3. de Anniv: Aſſump: Tum quia, ſi Concilium, quod eſt Vicarius Eccleſiæ, eſſet ſupra Chri-

Chriſti Vicarium; Eccleſia foret ſupra Chriſtum, principale enim ſecundúm jura non eſt deterioris conditionis, quam acceſſorium; atqui hoc dicere eſt impium; ergo.

Confirm: 3. Ex communi antiquorum conciliorum, ut Romàni ſub Sylveſtro, ſub Symmacho, Leone III. ut mittam Sinueſſanum, ſi revera extitit in cauſa Marcellini, voce: *Papam ſecus primam Sedem à nemine judicari, nullius judicio eſſe ſubiectum extra cauſam hæreſis, à ſolo Deo poſſe judicari, ne quidem a toto Clero*; ergo concilium non eſt ſupra Papam, alias poſſet Papam judicare.

Confirm: 4. Papa non accipit ſuam poteſtatem ab Ecclesia vel Concilio, ſed immediaté a Chriſto Domino; ergo non dependet a Concilio, neq; ſubjacet Decretis Concilii generalis. Nec valet, si dicatur: Hæc & similia intelligenda esse de omnibus fidelibus in particulari, ſeu ſeorſim ſumptis, non in Concilio adunatis, quibus S. Pontifex ſubjicitur, eo fere modô quô Generalis eſt caput ordinis sic, ut omnes Religiosi ſeorsim & diſtributivè teneantur illi obedire, ipſe

tamen Capitulo congregato ſubjicitur, & ad ejus leges adſtringitur.

Contra namq; eſt: Caput aliis membris non ſolum ſeorſim ſumptis, ſed etiam ſimul ſumptis ſuperiꝰ eſt, si rationem capitis non à membris, ſed ab alio ſuperiori habeat; idem dic de Paſtore, Patre, & Duce; atqui S. Pontifex, quod ſit Caput, Paſtor, Pater, Doctor, & Dux, non habet à membris &c. hoc eſt fidelibus, ſed immediatè a Chriſto; ergo. Unde paritas non eſt cum Generali alicuius Ordinis, quia hic habet ſuam poteſtatem a Capitulo, & quidem reſtrictam, non veró immediatè a Chriſtó.

Huc etiam ſpectat propoſitio ab Alexandro VIII. anno 1690. 24. Auguſti damnata num. 29. *Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontif. Romani ſupra Concilium Oecumenicum authoritate, atq; in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.* Quâ propoſitione ſuppoſita sic arguo: Judicium S. Pontificis de aliquo dogmate eſt infallibile ſecundùm Gallos, si a majori ſaltem parte Eccleſiæ recipiatur; atqui judicium Alexandrinum de laudata

ta

ta propositione a majori parte Ecclesiæ recipitur, nempe ab omnibus iis, qui docent Pontificem esse supra Concilium generale ejusq; infallibile judicium extra Concilium defendunt; hi enim sunt, ferè omnes præter Gallos, & ex his non pauci cum primis sentiunt; ergo.

Objic. 1. Appellatio a Judice uno ad alterum est indicium, quod alter sit superior; atqui sæpius facta est appellatio ad Concilium futurum; sic Philippus pulcher Rex Franciæ appellavit a Bonifacio VIII. Anno 1303. Universitas Parisiensis ab Innocentio VIII. anno 1491. & a Leone X. an. 1517. Quidam Galliæ Episcopi Anno 1717. a Clemente XI. occasione Constitutionis famosæ *Unigenitus*; ergo.

Resp. dist. maj. Appellatio iniusta, invalida & de *facto* a Judice *&c.* nego. de jure *conc. dist. min. nego conseq.* Hujusmodi appellationes fuerunt frivolæ, contra Canones, & prohibitæ sub pæna Excommunicationis a Calixto III. Pio III. Sixto IV. &c. & declaratæ nullæ, & invalidæ, prout etiam illa quorundam Galliæ Episcoporum facta Anno 1717.

su-

fuit anno ſequenti 1718. efficaciter repulſa a Clemente XI. per Breve *Paſtoralis Officii*, quô declaravit, omnes cujuſcunq; ſtatus sint, qui præfatæ Bullæ *Unigenitus* omnimodam obedientiam non præſtant, eſse à Romana Ecclesia ſegregatos. Quorſum hæ appellationes tendunt? Vel enim fierent à Papa ad Concilium cum Papa conjunctum, ut iam art. præc. dictum; vel a Papa disiunctum. Si alterum, tunc appellatio fieret ad Concilium acephalum & illegitimum, conſequenter ad Judicem nullius authoritatis. Si primum, tum fieret a Papa ad Papam, & ad talem Judicem, qui nunc non eſt, & probabiliſſimè nunquam erit, quamdiu partes litigantes vivunt. Cum enim Concilium generale rariſſimè & nonnisi maximis difficultatibus fractis congregari poſſit, quid aliud habet pro fine ejuſmodi appellatio (dato gratis quód juſta foret, qualis revera non eſt) quam perditæ cauſæ moram & aſylum quærere, eludere ſententias, & lites reddere immortales. Aliunde taliter appellantibus facile foret contra Concilium excipere dicendo, illud non eſse legitimum,

mum, liberum, a Spiritu S. directum. Hoc namq; à Luthero practicatum scimus. Hic enim Hæresiarcha primo appellavit à Cardinali Cajetano Legato S. Pontificis ad Pontificem ipsum, deinde a Pontifice malè informato, ad eundem melius informandum, tum à Papa ad Concilium generale, quod nunquam coadunandum credidit; & ut vidit contra spem suam Concilium Tridenti: congregatum, mille exceptiones excogitavit, cum hæ ipsi bené non cederent, à Concilio ad scripturam appellavit, ab hac ad instinctum internum, & sensum proprium, adeoq; ad seipsum, sic deniq: taliter appellantes, tam ineptè, quam iniquè seipsos Constituunt Judices.

Instabis Concilium Constantiense ses. 4. & 5. statuit: Quod Synodus in Spiritu S. congregata, legitimè Concilium generale faciens. Ecclesiam *universalem repræsentans*, *potestatem immediatè à Christo habeat, cui quilibet cujuscunq; status, vel dignitatis etiam Papalis existat, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis*(de tribus Pontificibus Gregorio XII. Joanne XXIII.

&

& Benedicto XIII. pro Papatu contendentibus) *& ad reformationem Ecclesiæ in Capite & membris*; ergo Concilium est supra Papam.

Resp. Hæc conclusionem nullo modo infringere. Neq; enim negamus a Concilio posse ferri sententiam in Papas solum probabiles, dubios, vel schismatis aut hæreseos labe aspersos. Dubii certo erant eo tempore præfati tres Pontifices de Papatu contendentes, hinc providè Patres Constantienses sua Decreta de præeminentia Concilii supra Pontificem restringunt ad casum præsentis Schismatis. At verum & certum Pontificem, hoc est; qui talis ab Ecclesia communiter agnoscitur, subjectum esse Concilio, pernegamus. *Adde* laudatas sessiones 4. & 5. ubi tam ampla potestas attribuitur Concilio non esse approbatas a Martino V. ibidem electo, qui solum ad instantiam Oratoris Regis Poloniæ probavit ea, quæ conciliariter decreta erant, idq; in materia fidei contra Viclefistas & Hussitas. Imo Martinus V. in Bulla confirmationis Concilii Sess. ult hoc est 45. apertè pronuntiat,

Pa-

Papam canonicè electum, in Ecclesia ſupremam habere poteſtatem. Eadem reſponsio valet ad Piſanum (si tamen eſt verum) Concilium, quod depoſuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. Hinc diſtingui sive explicari poteſt arg. Concilium univerſale habet poteſtatem ſupra Pontificem dubium, & in caſu Schiſmatis, *conc.* certum & ut talem ab Ecclesia agnitum, *nego.*

Subſumes. Bulla confirmatoria Concilij Conſtant. Seſs. ult. promulgata, vel eſt fictitia, vel nunquam habuit vim in Ecclesia; ergo ex illa nihil poteſt concludi pro præeminentia S. Pontificis ſupra Concilium. *Prob. Ant.* 1. Gerſon hanc Bullam non vidit, ſed tantum de ea loquitur ex auditu. 2. Nullus Bullarum collector de ea facit mentionem. 3. Quia in ultima ſeſs. Concilii Poloni occasione libri Falkembergii, cujus damnationem in publica ſeſſione petebant appellârunt ad futurum Concilium, nec Papa eos redarguit de tranſgreſſione Bullæ; ergo.

Reſp. ad 1. Gerſon non dicit in terminis ſe hanc Bullam non vidiſſe, dicit

enim:

enim: *Ubi refertur hæc aſſertio ſicut dicitur, & videtur in Canonum litera manifeſtè fundari.* Et dato, non viderit, ſaltem illi conſtabat certò eam extare, siquidem promulgata fuerat in publico & generali Conſiſtorio, ut ipſe refert: *Conſtantiæ 6. Idus Martii Pontificatus ſui anno 1.* hoc eſt 10. Martii 1418. *Ad 2.* Plures ſunt aliæ Pontificum Conſtitutiones, quæ non reperiuntur in Collectionibus Bullarum, quid mirum? Si hæc non inveniatur. *Ad 3.* Poloni non tam a Papa, quam ab ipſo Concilio appellabant, petebant enim libellum ſeditioſum Falkembergii in Seſſione publica, per Sacrum Concilium, ſeu publicè damnatum pronuntiari, antequam Concilium diſſolveretur. Item non appellabant à judicio Pontificis aut Concilii, ſed à denegatione judicii. Tandem appellabant ad Concilium legitimum, cui Papa præsideret, sicq; a Papa ad Papam appellabant, quod eſt extra quæſtionem noſtram, de qua hic.

Cæterum quidquid ſit de iſta Bulla, in qua una non fundatur noſtra aſſertio, ſaltem ex his, quæ in Tractatu *Quomodo*

do & an liceat &c. tradit Gerſon, colligimus, quod ne ipſe quidem decreta ſeſ. 4. & 5. Concilii Conſtant: pro firmis & inconcuſſis, quibus omnibus parendum eſſet, putaverit, cùm Tractatum his concludat: *Hæc autem dicta vel argumentata ſunt magis ad veritatis inquiſitionem, quàm ad alicujus (præſertim Sanctiſſimi Domini Martini Papæ) reprehenſionem.* Si Decreta ſeſs: 4. & 5. Concilii Conſtant: pro ſidei decretis ab omnibus in omni caſu certo tenendis habuiſſet, ſic ne locutus fuiſſet? Inquiriturne veritas, quando certò habetur?

Dices: Atqui Concilium generale habet poteſtatem ſuper Pontificem certum; ergo. *Prob: ſubs.* Concilium Baſilienſe ſeſs: 2. Definit Pontificem ſubjacere Concilio, poſtea Eugenium IV. citavit, ſuſpendit, tandem depoſuit; ergo.

Reſp: Concilium Baſilienſe convocatione & inchoatione legitimum, mox acephalum ſine Capite, Schiſmaticum non communicando capiti, ſeditioſum nullius Authoritatis fuit Conciliabulum, ut declaratur in Concilio Lateran: ſub

Leo-

Leone X. ſeſs: 11. ab Eccleſia reprobatum. Tempore citatæ ſeſſionis Pontifici injurioſæ jam fuit ſolutum & translatum *Ferrariam*, deinde *Florentiam* ab Eugenio IV. ubi ipſe præſidebat. Verbo: pacis Eccleſiaſticæ procurandæ gratia Nicolaus V. quaſdam ſolum approbavit Conſtitutiones, ibidem circa beneficia Eccleſiaſtica editas.

Objic; 2. Innocentius III. rogatus à Philippo Auguſto Galliæ Rege, ut diſſolveret Matrimonium contractum cum Sorore Regis Daniæ, reſpondit: *abſq; deliberatione* Concilii ſe in hac re nihil poſſe; ergo agnovit Innocentius Synodum plus poſſe, quam ipſe poſſet.

Reſp. Hoc dixit Innocentius ob meram excuſationem & honeſtum effugium. Cum enim Regina juràſſet Matrimonium fuiſſe conſummatum; nihil plus poterat, in hoc negotio Concilium quam S. Pontifex, neq; tunc erat congregatum, aut congregandum Concilium.

Objic. 3. SS. Pontifices ſæpè requiſierunt approbationem & confirmationem Conciliorum ut neceſſariam ſuis decretis,

tis, & in Conciliis non ſolent definire, *niſi approbante ſacro Concilio*; ergo.

Reſp: 1. Retorq; argum: Concilia, ut Nicænum I. a Sylveſtro, Conſtantinop: I. a Damaſo, Epheſinum a Cæleſtino, Chalcedonenſe a Leone, & ſic de aliis Orientalibus, noviſſime Tridentinum à Pio IV. petierunt approbationem & confirmationem; ergo ſunt minoris poteſtatis. 2. *diſt*: *ant*: Requiſierunt approbationem, quæ ſit authoritatis dantis robur, & firmitatem decretis Pontificis, *nego*, Simplicis aſſenſûs & adhæſionis qualem dare poſſunt æquales æqualibus, imo inferiores ſuperioribus, *conc*. Dum ergo dicunt ejuſmodi approbationem neceſſariam, non intelligunt neceſſitatem ad certitudinem definitionis, ſed ad majorem ſolemnitatem; ut efficacius frangatur hæreticorum protervia, & motus compeſcantur.

Inſtabis. Paſſim profitentur Pontifices ſe adſtringi canonibus Conciliorum; atqui Superiores non adſtringuntur legibus inferiorum, ergo.

Reſp: *diſt*. *mai*. Canonibus, quæ pertinent ad jus Divinum & naturale, *conc*.

ad

ad jus Ecclesiasticum tantùm, *subdist.* adstringuntur vi coactivâ, *nego.* vi directivâ, inquantum eorum statui conveniunt, *conc.*

Dices. Pontifices in sua conservatione jurant, aut saltem olim jurabant se observaturos canones Conciliorum, ergo.

Resp: *nego consequ*: Obligatio enim juramenti est ad Deum tantùm, nec arguit subjectionem ad homines. Tandem Pontifices ex juramento tenentur absolutè servare Canones ad jus Divinum & naturale spectantes; quantum ad eos, qui jus Ecclesiasticum concernunt, patet, quod non intendunt ita strictè se obligare, cum quotidie in eis dispensent.

Objic. 4. Papa est pars Ecclesiæ; imo Filius per Sacramentum Baptismi ab ea genitus; atqui pars est minor toto, cujus est pars, & Filius minor Matre; ergo.

Confirm: Ex illo vulgato S. Hieron: *Si authoritas quæritur, orbis major est urbe.* Cap: *Legimus* d. 93.

Resp: *dist*: *maj*: Papa est pars Ecclesiæ quo ad partialitatem jurisdictionis, quasi haberet jurisdictionem tantùm partialem in aliquam partem Ecclesiæ, *nego.*

go. Est pars Ecclesiæ principalissima & Caput ejusdem, in quo residet plenitudo potestatis & jurisdictionis, *conc.* Dist: min: atqui pars est minor extensivè, hoc est, in Ecclesia sunt præter caput, etiam membra, nempe reliqui fideles, *concedo.* Pars principalissima seu caput, quod est Papa, est minor intensivè, hoc est, minor potestate, authoritate, & jurisdictione, ac infallibilitate respectû Ecclesiæ, sive Concilii sine Papa sumpti, *nego min. & consequ: Ad 2.* dist: Papa, ut est persona privata est filius Ecclesiæ, *conc:* Qua talis, *nego.* Sic enim est Ecclesiæ Pater, Princeps, & Pastor universalis.

Ad confirm: Id dixit S. Hieronymus non comparando authoritatem Pontificis cum authoritate Concilii, sed comparando consuetudinem Urbis Romæ, cum consuetudine aliorum Regnorum; vultq; alia Regna non teneri usibus suis abdicatis, sequi usum urbis Romæ, secundùm quem Diaconi præferebant se Presbyteris.

CONSECTARIUM.

Cûm verus & certus Pontifex, hoc est legitimè electus ab Ecclesia, aut saltem acceptatus, & ut talis agnitus supereminneat Concilio, illius judicio non subjicitur; quia superior nequit subjici judicio inferioris. Possunt aliunde dari casus, in quibus concilium legitimè congregatum habeat potestatem non tam deponendi & judicandi, quam nullum esse declarandi. Porrò hujusmodi casus 1. est hæresis, si Papa incidat in hæresim exterius manifestatam in cap: *si Papa* dist: 40. 2. Perpetua amentia, quia talis Pontifex nullo modô potest prodesse Ecclesiæ, utpote civiliter mortuus. 3. Schisma, cùm pluribus electis, Ecclesia est dubia, quinam sit legitimus, ut contigit tempore Concilii Constan. 4. Si Papa est invalidè electus, aut violenter intrusus, tunc enim nisi Ecclesia acceptando liberè suppleat defectum nullus est Pontifex. 5. Si sit noxius (excepta hæresi) Ecclesiæ, censent alii ipsi esse resistendum, at S. Thomas respondet: *recurrendum esse ad DEUM. qui eum emendet, aut de medio subtrahat.*

6.

6. Quando Pontifex spontè renuntiat Papatui, cujus habemus exemplum in S. Petro *Cœlestino V.* Nec obstat quod potestas Papalis tribuatur immediatè Deo, nam tribuitur dependenter a Personæ electæ consensu, adeoq; contraria voluntate potest dissolvi, seu tolli; sicut gratia a Deo infusa tollitur voluntate humana peccante. Nec Papatus est Ordo, qui imprimat Characterem, sed est potestas jurisdictionis in totam Ecclesiam.



ARTICULUS VI.

Utrum sit de fide Pium VI. esse S. Pontificem Petri Successorem, & Christi Vicarium?

Nullus Catholicorum est, qui non certò teneat Pium VI. nunc Ecclesiæ præsidentem, vel quemcunq; alium actù sedentem esse S. Pontificem, sed diverso gradû certitudinis. Quibusdam visum est, id esse certum certitudine morali, quibusdam certitudine Theologica, aliis communiùs certitudine fidei Divinæ.

Porrò ut jam superius dictum, id omne esse de fide, quod est revela-

tum; dupliciter autem aliqua veritas a Deo revelatur. 1. *immediatè in ſe* vg. Deus eſt unus in natura, trinus in Perſonis 2. *mediatè in alio* & hoc duplici modô, vel ut effectus in cauſa, ſeu proprietas in eſſentia, ut vg. hæc: *Chriſtus eſt riſibilis* eſt revelata in illa *Chriſtus eſt homo*, ut proprietas in eſſentia, ſeu effectus in cauſa; aliô modô ut pars in toto, ut hæc, *Petrus in Adam peccavit*, in illa, *omnes in Adam peccaverunt*. Vel *Chriſtus eſt mortuus pro me*, in illa *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*. Quæ revelantur mediate, ut effectus in cauſa, ſeu proprietas in eſſentia non ſunt objectum fidei, ſed aſſenſus Theologici tantùm, ut communior ſaltem docet. Quia effectus in cauſa, virtute duntaxat continetur. Quæ autem revelantur ut partes in toto, ſunt objectum fidei, quia partes ſunt reipſa in toto, & veritas propoſitionis univerſalis per ſe petitur ex veritate propoſitionum particularium: in tantum enim propoſitio univerſalis vera eſt, in quantum particulares, quas continet, ſunt veræ.

Dico:

Dico: Divina Fide credi debet Pium VI. esse verum & legitimum Summum Pontificem, Vicarium Christi, Petri Successorem, & universalis Ecclesiæ Caput.

Prob: 1. De fide est omnem Romanum Pontificem in Cathedram Petri legitimè assumptum, & ab Ecclesia acceptatum esse verum illius Successorem & Christi Vicarium; ergo etiam est de fide Pium VI. canonicè electum, & ab Ecclesia acceptatum talem esse, adeoq; verum S. Pontificem. *Ant*: *patet* ex dictis art: 4. & 5. ejus oppositum error est Lutheri proscriptus a Leone X. Constit: *Exurge*, ubi damnatur hæc propositio: *Rom*: *Pontifex Petri Successor non est Vicarius Christi super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus. Consequ*: *prob*: Quandocunq; propositio universalis est de fide, & revelata propter particularem, tunc hæc non minus quam illa est credenda fide Divina; atqui illa propositio universalis: *Omnis Rom*: *Pontifex acceptatus, ab universa Ecclesia in Cathedram Petri, est illius Successor & Christi*

ſti Vicarius eſt de ſide, & propter hanc particularem: *Pius VI. eſt acceptatus ab Univerſa Eccleſia in Cathedram Petri ut Succeſſor.* &c. eſt revelata; ergo ſi propoſitio laudata univerſalis eſt de fide, etiam illa particularis erit ſic credenda. *Mai.* à nullo Catholico *negatur*. *Minor eſt etiam certa.* Cùm enim ſit revelatum, & de fide, Chriſtum inſtituiſſe Eccleſiam uſq; ad conſummationem ſæculi duraturam, pariter eſt revelatum, & de fide, quod Succeſſor Petri, quem fundamentum poſuit Paſtorem & caput, gaudeat eodem privilegiô. Aliundè partes hujus propoſitionis univerſalis: *Omnis Romanus* &c. ſunt, & hic, & ille acceptatus, &c. Conſequ: patet ex prænotatis.

Confirm: Hæc propoſitio: *Concilium Tridentinum acceptatum ab Eccleſia pro Oecumenico eſt regula fidei*, eſt de fide: quia continetur ut pars in toto, in hac univerſali de fide: *Omne Concilium acceptatum ab Eccleſia pro Oecumenico eſt regula fidei*; ergo a pari de Pontifice. Nec.

Dicas: Iſta propoſitio particularis: *Pius*

Pius VI. acceptatus in Successorem Petri est S. Pontifex: non continetur in hac universali; *Omnis homo acceptatus ab Ecclesia universali in Successorem Petri est S. Pontifex*, nisi supponendo quod Pius VI. fuerit rite electus &c. atqui non est revelatum, nec de fide, quod fuerit ritè electus &c. sed hoc solùm scitur ex hominum testimonio; ergò.

Confirm: Est de fide, quod omnis hostia rite consecrata sit adoranda; non est tamen de fide quod hæc hostia sit adoranda, quia non est de fide, quod sit ritè consecrata.

Resp: *nego maj*. Hæc enim suppositio non habet locum in casu nostro, neq; pro propositione universali, neq; pro particulari. Quia cum Ecclesia sit infallibilis, in acceptanda fidei regula, fueritnè ritè facta electio vel non, hôc ipsô, quòd Ecclesia Pontificem electum acceptat, est verus Pontifex & fidei regula, suppletq; Ecclesiæ acceptatio defectum, qui potuit irrepere in electione. Etsi quidem Canones videntur dicere oppositum, intelligendi sunt de electione ante acceptationem Ecclesiæ. Unde.

Ad

Ad Confirm: Disp: est. Ecclesia enim non declarat hanc hostiam esse consecratam, atq; contineri sub universali, sicut ipso facto declarat Pium VI. esse acceptatum ab Ecclesia in Petri Successorem, sicq; contineri sub universali. Insuper cùm consecratio hujus hostiæ sit quid particulare non pertinens ad regimen universale Ecclesiæ, non esset infallibilis Ecclesia, in hoc declarando, neq; ejus declaratio posset supplere defectum consecrationis, ut autem propositio particularis contenta in universali de fide sit quò ad nos, debet nobis certò constare, eam contineri in universali de fide.

Repones. Hunc hominem Pium VI. esse Petri Successorem & Pontificem constat ex hoc discursu humano: *Omnis homo acceptatus ab Ecclesia in Petri Successorem est S. Pontifex; atqui Pius VI. est acceptatus ab Ecclesia in Petri Successorem; ergo est S. Pontifex*; atqui assensus seu cognitio veritatis, quæ innititur discursui humano, non est fidei; Minor enim non est de fide, proindè nec Conclusio, ergo.

Resp:

Resp: *dist*: *min*: Aſſenſus veritatis quæ innititur diſcurſui humano ut cauſæ moventi ad aſſentiendum veritati, non eſt fidei, *conc:* ut cauſæ applicanti motivum aſſentiendi ſeu ipſam revelationem, non eſt fidei, *nego*. Non repugnat ergo cognitioni ſeu aſſenſui fidei, quod ſupponat aliquem diſcurſum, non tanquam motivum, propter quod debeatur aſſenſus, ſed per quem revelatio univerſalis, huic particulari ſubjecto applicatur; ut jam ſupra dictum eſt.

Prob: 2. De fide eſt, Definitiones Eccleſiæ & Conciliorum Oecumenicorum à Pontifice approbatorum, imo (ut ſupra dictum) cujuslibet Pontificis canonicè electi, & ab Eccleſia acceptati, eſſe infallibilis veritatis; cùm Papa ſit infallibilis in definiendo ex Cathedra; atqui infallibilis veritatis non forent, niſi de fide eſſet hunc numero hominem canonice electum & ab Eccleſia acceptatum eſſe verum Pontificem; cùm nec Eccleſia nec Concilium habeant infallibilem authoritatem definiendi in rebus fidei & morum, niſi ratione Capitis; imo nec iſpe Pontifex

ali-

aliquid ex Cathedra definire poteſt, niſi ſit legitimum Caput, Succeſſor Petri & Chriſti Vicarius, eò quod ſub hoc ſolùm reſpectu verificetur illud: *Paſce oves meas*, & *Tu es Petrus* &c. ergò ut infallibilis veritatis ſint definitiones Eccleſiæ, Conciliorum & Pontificum, fide Divina credi debet, hunc numerô hominem, à quo ipſæ procedunt & confirmantur eſſe verum Chriſti Vicarium, Petri Succeſſorem & totius Eccleſiæ Caput.

Confir: Si fide non eſſet credendum hunc numerò hominem Pium VI. eſſe verum Papam & Chriſti Vicarium, neq; taliter credendum foret, illius Prædeceſsorem fuiſse verum Papam & Chriſti Vicarium; & ſic de tota retro ſerie Pontificum fide Divina credi non deberet, eos fuiſse legitimos Papas, ex conſequenti fide Divina credi non deberet, ullum ex Conciliis Oecumenicis etiam ab hominibus acceptatis eſse legitimum, & infallibilem fidei regulam; cùm nullum Concilium ſit legitimum, niſi à vero Papa, & Chriſti Vicario approbatum; nullum autem ex omnibus

Pa-

Papis, qui Concilia Oecumenica approbarunt, fide Divina credi deberet, fuisse legitimum; imo nec fide Divina credi deberet dari veram Ecclesiam Catholicam Romanam in individuo, cum hæc esse non possit sine legitimo Capite visibili in individuo & determinato; atqui hæc contrariantur fidei Catholicæ. Ex his.

CONSECTARIUM.

Pium VI. esse legitimum S. Pontificem, Successorem Petri, Christi Vicarium est revelatum mediatè in toto, non est tamen revelatum, quod sit baptizatus &c. Ex hoc enim quod aliquid sit revelatum, non sequitur quod debeant esse revelata, quæcunq; sunt necessariò cum illo connexa; quinimò in hoc consistit discursus Theologicus, quod versetur circa ea, quæ necessariò connectuntur cum revelatis; sic vg. quod Christus sit homo est revelatum, & quia risibilitas est necessariò connexa cum homine, inde infertur, quod Christus sit risibilis certitudine Theologica, sed non fidei. At in casu controverso re-

velatio ſpectat tantùm perſonam acceptatam in Pontificem, non autem conditiones, ad id requiſitas, ſed ex revelatione circa perſonam facta, conſecutione & certitudine Theologica inferuntur. Undè cùm ante acceptationem Pii VI. in Pontificem, eſset moraliter tantùm certum, quod fuerit baptizatus, jam nunc poſt acceptationem eſt certum certitudine Theologica. Sit paritas: Definitio lata a Concilio, quod Eccleſia acceptat pro Oecumenico, eſt revelata & pertinet ad fidem ad eam neceſsariò requiritur, quod res definita fuerit priùs maturo examine diſcuſsa, & quod Judices definientes fuerint veri Epiſcopi. Neutrum tamen eſt revelatum, & de fide, ſed quia eſt de fide, quod Eccleſia errare non poſſit in acceptando Concilio Oecumenico, & definitio ejus non poſſit eſse falſa; inde infertur ut certum certitudine Theologica, omnia neceſsaria adfuiſse, & diſcuſsionem ſufficientem ſuiſse adhibitam, & Judices definientes in numero competenti ſaltem ſuiſse veros Epiſcopos.

§ 1.

§. 1.

Synopsis Historica

De origine S. R. E. Cardinalium & Congregationum.

Cardinales ex mente S. Antonini sic à *Cardine* dicti, quod sicut in cardine fundatur, quiescit, & vertitur ostium, ita in Cardinalibus, eorumq; consiliis firmatur, volvitur & regitur universalis Ecclesiæ status; vel ut placet aliis, cùm Ecclesia Christi sit domus Dei, & unaquæq; domus ostium habeat, & cardines: ita Ecclesia Christi habet suum ostium & cardines. Est autem Ecclesiæ Christi ostium summus Pontifex, Consiliarii vero illi collaterales, quorum consiliis ipse juvatur, cardinum ejus vices gerunt, unde *Cardinales* meritò nuncupantur. Variis opinamentis disputant Doctores super origine & institutione Cardinalium. Sunt qui contendant cum Cardinali *Turrecremata* lib. 1. de Ecclesia cap. 80. & aliis, institutionem Cardinalium juris Divini esse; at illicò ii Authores a cæteris convelluntur; certò quippe certius est Romanum Cardinalatum nisi a Rom. Pontificibus

or-

ortum duxisse. Sunt deinde, qui ejus originem a S. *Petro* repetunt, qui, ajunt, S. *Linum*, *Cletum*, *&* *Clementem* adlegit, quasi Socios & Administros, pro gubernio universæ Ecclesiæ, quemadmodum Successores Pontifices, in eum finem Cardinales adlegerunt; Alii eam revocant ad *Cletum*, quod Romæ Presbyteros ad viginti quinq; numerum auxerit. Alii ad *Evaristum* quod titulos in urbe diviserit Presbyteris, *quibus præficerentur Cardinales*, ait Baronius, & septem Diaconos constituerit, qui custodirent Pontificem prædicantem propter stylum veritatis, *addiscendum in ministerio prædicationis*, ait Blanchinus in Notis ad *Anastasium* Biblioth. Alii ad *Hyginum*, quòd Clerum distribuerit in gradus. Tum alii ad *Fabianum* quòd ad normam Apostolorum regiones Urbis septem diviserit Diaconis, dictis propterea *Regionariis*. Alii ad *Dyonisium*, quód Presbyteris itidem diviserit Ecclesias, atq; cæmeteria; Parochias & Diæceses in Urbe instituerit. Alii ad *Marcellum*, quod in Urbe titulos XXV. instituerit quasi diæceses propter baptismum

ſmum & pænitentiam multorum. Et hæc omnia ex *Anaſtaſio* Biblioth.

Sed & alii hujus dignitatis originem, aut ſaltem perſpicuam innovationem referunt ad tempora ſanctorum *Silveſtri* & *Gregorii M.* quia nempé in Concilio Romano, ſub *Silveſtro* in Conſtituto ejusdem *Silveſtri* hæc habentur cap. 6. *Et Diaconi Cardinales Urbis Romæ ſeptem.* Et cap. 7. *Ita autem Silveſter voce dicebat ad Coepiſcòpos, ut a Diacono ad Lectorem omnes ſubditi eſſent Diacono Cardinali Urbis Romæ viro Reverendiſſimo in Eccleſia, repræſentantes ei honorem.* Ac deinde *Gregorius* M. Romanæ E. Cardinalium ſæpé meminit in Epiſt: vg. lib. 5. Epiſt. 11. lib. 11. Epiſt. 34. Hinc vero ſimile eſt à *Silveſtro* & *Gregorio* M. eos vocari Cardinales, qui jam indé a primo vel ſecundo ſæculo *Titulis* ſeu Eccleſiis præerant Romæ tanquam Primicerii; nec alios, crediderim, *Silveſtrum* hoc novo honore condecorâſſe.

Verum quæ eſt origo jurisdictionis Cardinalitiæ, tam amplæ, ut in ſuis titulis etiam leges ferendi poteſtatem habeant, & alia multa agendi? Hanc certe

tè non habuerunt Cardinales, quando hæc dignitas creata eſt. Jta res ſe habet, ait Cardinalis *Albitius* inſignis hujuſce juris Patronus, ſed *ea creſcente, quia functionibus Papæ aſſiſtebant Cardinales, crevit & in titulis authoritas; ideo non ut ſimplices Parochi, ſeu Plebani, ſed pinguiori jure adminiſtrárunt.*

Jam veró ſi ex incremento dignitatis præfati juris acceſſio dimetienda ſit, inſigniter illud eluxit jam VIII. ſæculo circa an. 769. ſub Stephano III. ut placet Baronio in Annal. ad præfatum annum, cùm *Stephanus* ab aliis Romanæ Metropoleos Epiſcopis Suffraganeis, ſeptem pinguiores diſcrevit, quos Cardinales creavit injungens, ut in Dominicis diebus Myſteria ſucceſſivo ordine celebrarent, in Lateranenſi Eccleſia. Alii hanc ſeptem Epiſcoporum in Collegium Cardinalium aſſumptionem ad tempora Honorii II. circa Annum 1125. Alii ad tempora S. *Petri* Damiani Card. & Epiſcopi Oſtienſis circa Annum 1157. referunt.

Hoc ipſo tempore circa Annum 1159. Jn Concilio Rom. ſub Nicolao II. conſti-

ſtitutum eſt, ut penes Card. Epiſcopos eſſet ſumma authoritas dirigendi electionem S. Pontificis: *In primis Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè de electione tractantes, mox ipſi Clericos Cardinales adhibeant.* &c. Ex decreto apud Baronium ad Annum dictum. Quod bené notandum, in ſubſcriptionibus ejuſdem Concilii eminent jam Cardinales Epiſcopi ſupra cæteros Archi-Epiſcopos, & Epiſcopos. Ac ſicut jam fermé Præſules cæteri in ſueverant, ut cederent Epiſcopis Cardinalibus, ita fluxû brevi temporis effectum eſt, ut & cæteris locum darent. Vide *Natalem* Alex. Hiſt: ſæculi XI. cap. VII. Art. II. *Thomaſſinum* de veteri & nova Eccleſiaſtica Diſciplina Tom. I. p. I. l. 2. c. 115: *Sandinum* in Vitis S. Pontificum, ſive Notis ad vitas eorum.

§. 2.

De Prærogativis Cardinalium.

Porro prærogativæ Cardinalium ſunt multæ. 1. A tempore III. Lateran. Concilii ſub *Alexandro III.* Anno 1179. excluſo omnino Clerô, Jmperatore, &

Populô ab electione S. Pontificum, totum jus illos eligendi, ad Collegium Cardinalium translatum eſt, ibiq; pariter ſtatutum, ut duæ tertiæ partes Cardinalium in unum eligendum conſpirarent, alias non valeret electio vg. Caſu quod ſint 60. Cardinales in Conclavi, ut modo poſt tempora Concilii Lugdun. *II.* vocatur, ut electio Pontificis valida ſit, 40. ſaltem Cardinales debent in unum conſentire. Jd ita decretum occaſione *Octaviani* Pſeudo-Pontiſicis, & de Papatu contendentis cum ipſo Alexandro *III.* vero ac legitimo Pontifice, utpote a 17. Cardinalibus electo, dum Octavianus duorum tantum niteretur Cardinalium ſuffragiô, & Jmperatoris *Friderici* potentiâ & auxiliô. Jmperatore victô, in laudato Concilio decretum eſt Can: 1. Ne ullus deinceps verus haberetur & legitimus Pontifex, niſi eſſet à duabus tertiis Cardinalium partibus electus. 2. ut ex eorum Collegio eligatur S. Pontifex, ut ſtatutum Rom: in Concilio ſub Stephano *III.* Anno 769. coacto contra auſum temerarium *Conſtantini* Pſeudo-Pontiſicis, qui

qui ex Laico per vim ope *Desiderii* Longobardorum Regis Summum Pontificatum invasit, nullà Canonicà formâ servatà, a Prænestino Episcopo consecratus ut Pontifex apparuit contra Paulum I. legitimé electum. Hinc decretum ne in Papam eligeretur, nisi gradatim Diaconus vel Presbyter esset inauguratus, seu *in Apostolatûs culmine, unus è Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis censeretur*; hoc tamen semper observatum non est, ut patet legenti historiam Ecclesiasticam in *Silvestro* II. Anno 999. *Leone* IX. Anno 1049. *Urbano II.* 1088. *Urbano IV.* 1261. *Clemente V.* 1305. *Urbano V.* 1362. *Gregorio X. Cælestino V.* 3. Sicut solis Cardinalibus competit eligere S. Pontificem, ita & Cardinales creare competit soli Pontifici. 4. Post Pontificem primum locum teneant, ante Patriarchas etiam, quod jus competere Cardinalibus definitum est ab Eugenio *IV.* cùm in Conciliis *I.* & *II.* Lugdun: omnes jam factô antecederent. 5. Soli Cardinales hodié dicuntur *Eminentissimi* ex speciali Urbani *VIII.* decreto Anno 1630. Per hoc tamen Decre-

tum non excluduntur à possessione tituli tres Spirituales Jmperii Electores Trevirensis, Moguntinus, Coloniensis, Magnusq; ordinis S. Joannis Jerosolymitani Magister. Decretum statim executi Jtaliæ Principes, sola Respubl. Veneta contendit se non teneri, sicut nec Reges, hos novos tribuere titulos Cardinalibus ob regna suæ ditioni subdita. *6.* Jnsuper corporis ornatu ab aliis Ecclesiæ Prælatis secernuntur; habent enim pileum rubrum in signum constantiæ, & fundendi sanguinis pro fide, sibi concessum ab Jnnocentio *IV.* in *I.* Lugdun. Concilio, pervigiliô Nativitatis anno 1245. Eisq; ab eodem Pontifice datum, ut equis veherentur in Urbe, cum antea pedites incederent. Paulus *II.* Anno 1464. eis insuper concessit coccinei coloris pannum, quô equos vel mulos ornarent, dum equitarent &c. Quod numerum Cardinalium attinet, hic variis temporibus varius fuit, sub *Bonifacio VIII.* qui an. 1294. sedere cæpit, erant 20. Tempore quô Pontifices Avenione sedebant, numerabantur 30. ne plures, quam

34. in posterum extarent, statuit Concilium Constantiense sess. 20. Tempore tamen Leonis X. qui una creatione 31. creavit, fuerint 65 sub *Paulo IV.* 70. recensentur, sub *Pio IV.* 76. Tandem *Sixtus V.* speciali constitutione decrevit, ne plureś aut pauciores in posterum forent, quam 70. qui numerus ad hoc tempus, sæpé est minor, nunquam major fuit. Porrò ex Diaconorum ordine numerantur 14. ex Presbyterorum 50. & ex Episcoporum 6. videlicet de quibus supra, viciniores Urbis Romæ Episcopi nempe: Ostiensis, qui simul Veliternus, à tempore *Eugenii IV.* Portuensis, Tusculanus, Sabinensis, Prænestinensis & Albanensis. *Sixtus V.* sancivit, ut insignes *Viri in S Theologia Magistri ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus saltem quatuor non pauciores* in Collegium Cardinalium assumerentur Constit. 50. *Gregorius* vero XIV. concessit usum rubri bireti Cardinalibus ex ordinibus Regularium Const: 9.

§ III.

De Congregationibus Cardinalium.

Observat autem jam laudatus *Thomasſinus* Cardinalium Collegium accuratam eſſe effigiem antiquiſſimorum Eccleſiæ capitulorum. Sicut verò moris erat Romanorum Presbyteros Diaconosq; Eccleſiæ Rom: ejusdem Capitulum conſtantes non ſolum conſulere de rebus ad Diæceſim vel Metropolim ſpectantibus, ſed & de eis etiam, quæ ad univerſam Eccleſiam pertinebant, ita certum eſt ad eundem finem a Pontifice Cardinales acciri. Inde poſtea natæ ſunt variæ Card: congregationes.

Sixtus V. circa an: 1589. confirmatâ Congregatione *S. Officii* ſive *Inquiſitionis*, a *Paulo III.* erecta, & *Paulo IV.* confirmata; & Congregatione *Signaturæ gratiæ a Pio IV.* erectâ, alias inſtituit. 1. Nempe Congregationem pro *erectione Eccleſiarum & proviſionibus conſiſtorialibus.* 2. Pro ubertate Annonæ Statûs Eccleſiaſtici. 3. Pro S. Ritibus & Cæremoniis. 4. Pro claſſe paranda *ad ſtatus Eccleſiaſtici defenſionem.* 5. Pro indice *librorum prohibitorum.* 6. Pro *exe-*

cutione

cutione & interpretatione Concilii Trid: 7. Pro *ſtatûs Eccleſiaſtici* gravaminibus ſublevandis. 8. Pro univerſitate *Studii Romani.* 9. Pro *conſultationibus* Regularium. 10. Pro *conſultationibus.* Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum. 11. Pro *viis, pontibus, & aquis curandis.* 12. Pro *Typographia Vaticana.* 13. Pro *Conſultationibus* negotiorum ſtatûs Eccleſiaſtici. Hæ Congregationes a *Sixto V.* originem habent.

His demum per *Gregorium XV.* acceſſit Congregatio de *Propaganda Fide* inſtituta an: 1622. Congregatio pro Examine *Epiſcoporum* a Clemente VIII. Congregatio de *Immunitatibus Eccleſiaſticis* ab Urbano VIII. Congregatio de *Indulgentiis.* Tandem Congregatio *Seminariorum*, quam Epiſcopi conſulerent, de rebus pertinentibus ad ea, inſtituta a *Benedicto XIII.*

§ IV.
De Conclavi.

Eſt inſuper præter has omnes, & alias minores, Congregatio alia omnium præcipua poſt obitum S. Pontificis, convo-

convocari ſolita, quæ vulgo dici ſolet *Conclave.*

Licet Cardinalium *Conclave* dici ſoleat celebris illa Vaticani aula sive locus, in quo 10. die poſt S. Pontificis obitum recluduntur Cardinales ad novam novi Pontificis electionem celebrandam; nihilominus *conclave* dicitur, etiam ipſe Cardinalium *cœtus*, hoc in loco vel alio recluſus, nec inde exiturus ex *Gregorii X.* decreto; niſi poſt novum Pontificem electum. Cùm enim Clemente IV. vitâ functô Sedes Apoſtolica vacaſſet tres ferè per annos, hoc eſt, per biennium & Menſes novem, eo quod non conſentirent de Succeſſore Cardinales; cùmq; tandem Theobaldus Archidiaconus Leodienſis fuiſſet electus, dictus Gregorius X. cujus Feſtum 16. Febr: colimus, de quo à Joanne Cardinali Epiſcopo Portuenſi compoſiti verſus ſunt intelligendi.

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia Fratrum.

Celeri Pontificis electioni conſulturus Gregorius, rata jubet eſſe ea, quæ in id conſtituta ſunt ab *Alexandro III.* ſta-

ſtatuitq; ut in quacunq; Urbe contigerit mori S. Pontificem, in ea erigatur *conclave*, & decimo ab ejus obitu die, præſentes Cardinales ingrediantur, ſinguli ſingulis contenti famulis, incipiantq; novi Pontificis electioni, operam dare, nemine expectatô. Qui ſuperveniunt re nondum perfecta, admittantur. Nullus ad eos pateat aditus, nullum eis liceat nuntium audire, nullam accipere vel dare epiſtolam, neminem alloqui ſub pæna anathematis. Si poſt tres dies ab ingreſſu, Pontificem non elegerint, unum duntaxat ferculum tam in prandio quam in cæna per ſequentes dies quinq;illis miniſtretur: quibus elapſis panis tantum vinum & aqua uſq; ad Pontificis electionem. Hadrianus V. *ſtatim poſt ſuam creationem* Conſtit: Gregorii X. *de reſtrictione Cardinalium in electione Papæ ſuſpendit.* Cùm verò Hadrianus poſt 37. dies, poſtquam fuiſſet electus, ſatis ceſſiſſit nondùm conſecratus, erat enim Diaconus; Joannes XX. sive XXI. Hadriani Succeſſor ſtatim Conſtit: Gregorianam de recluſione Cardinalium ſuſpen-

ſpenſam per Hadrianum, revocavit, abrogavitq; Atq; ſine clavis recluſione, qui deinceps ei ſucceſſerunt Rom: Pontifices *Nicolaus III. Martinus IV. Honorius IV. Cœleſtinus V.* creati ſunt.

A Cæleſtino verò, eadem qua *Gregorius X.* causâ moto, ipſius *Gregorii X.* Conſtitutionem de Conclavis recluſione renovatam & approbatam, qui ei ſuffectus eſt Bonifacius VIII. ratam habens & confirmans, lib: Decret: VI. regiſtravit. Hæc *Pavinus* in Notis ad Platinam. Traditur etiam ab Raynaldo ad annum 1276. & 1289. Conſtit: Gregorianam de Conclavi abrogatam a Nicolao IV. Addubitat *Pagius* in vita hujus Pontificis. At quidquid ſit ejus Succeſſor eandem renovavit, ut dictum. *Clemens IV.* tandem recluſione Cardinalium manente in rigore, edidit Conſtitutionem de Conclavi multo leniorem Gregoriana Conſt: nimirum Cardinalibus pro electione congregatis, duos famulos conceſſit Clericos, ſeu Laicos; in prandio & cæna, præter panem, vinum, aquam, indulſit miſsum carnium, piſcium, ſeu ovorum, confectumq; ex carnibus & piſci-

piſcibus embamma; inſuper carnes ſale conditas, herbas crudas, caſeum, fructus; adiecta conditione, ne quis veſceretur ferculo alieno; eisdemq; cùm in *lectis quieſcendi cauſa, vel dormiendi eſſe voluerint*, permiſit, *intermedia ſeu velamina ſimplicium cortinarum*. Cùm ſecundum rigorem Conſtitutionis Gregorianæ inclusi, *nullò intermediò pariete ſeu aliò velamine omnes* habitare deberent *in communi*. Hæc ex Clem: VI. Conſtit: 5.

Hujus *Conclavis* de jure Præſes eſt Cardinalium Decanus; Decanus autem is eſt, qui ex ordine Epiſcoporum Cardinalis antiquior eſt, quisq; ille ſit, ſive Oſtienſis, ſive Portuenſis, Albanus, vel alius ex ſex, in Urbe exiſtens.

Tandem in Conſtit. 13. & 19. *Gregorii XV*. quas *Urbanus VIII*. ejus ſucceſſor confirmavit Conſtit. 47. tres præſcribuntur rationes & formæ eligendi Pontif. Romanum, quæ ſervantur ad hodiernam diem. Prima per *Scrutinium*, ſeu *Scrutinum & acceſſum*. Secunda per *compromiſſum*. Tertia per *quaſi inſpirationem*. *1mo.* Modô fit electio, ſi ex par-

partibus tribus suffragiorum duæ concordent in unum vg. Sex ex novem; hoc modô suffragia daturi conveniunt Cardinales bis in singulos dies; mané post Missæ Sacrum, & vespere post Hymnum *Veni Creator*, 2dò modô fit, cùm Cardinales de eligendo Pontifice discrepantes unum vel plures eligunt ex ordine suo, quorum ad arbitrium, judiciumq; electio redeat. 3tiò modô cum Cardinales quasi Spiritus S. Numine afflati, aliquem unanimiter & una voce, nullô penitus dissentiente pronuntiant S. Pontificem.

§. V.
De Cardinalibus recenter creatis.

Hic deniq; advertas, quod etsi his omnibus titulis, honoribus & prærogativis enumeratis gaudeant Cardinales recenter electi, illis tamen in Consistorio, vel in Consiliis cum aliis loqui, & sententiam dicere non est permissum, donec ipsis S. Pontifex os aperuerit. Forma autem claudendi & aperiendi Cardinalibus os, hujusmodi est. Jn primo Consistorio S. Pontifex novis Cardi-

dinalibus inhibet, ne quid tum in Consistorio, tum Consiliis loqui præsumant, quousq; de aliorum Cardinalium sententia os illis non aperuerit. In sequenti Consistorio vel tertio omnibus Cardinalibus congregatis & sedentibus simul antiquis & novis S. Pontifex ad novos conversus eos exire jubet, egressiq; expectant, donec antiqui de aperiendo illis ore fuerint opinati; si consenserint advocantur novi, jubenturq; suo sedere in loco, quos deindè stantes instruit Pontifex de modo, quo se gerere debeant in Consistorio, domi, publicè, & in omnibus servandam esse modestiam atq; prudentiam addens: *Aperimus vobis os tam in Collationibus, quam in Consiliis, atq; electione S. Pontificis, & in omnibus actibus, tam in Consistorio, quam extra, qui ad Cardinales spectant, & quos soliti sunt exercere, In nomine Patris &c.* Plura si desideras, vide *Thomassium* p. 1. lib. 2. c. 113. & alibi. *Azor* Instit. Mor. p. 2. lib. 4. *Bellarm.* de Clericis lib. 1. c. 16. *Ciaconium* de Pont. & Card. in Hygino. *Lucium* Ferraris in Biblioth. tit. Cardinalis, & alios.

Non

Non pigeat hic observandum observare ex *Panvinio* de præcipuis Urbis Romæ Basilicis cap. 3. quas septem Urbis Ecclesias vocare solent: *Apud veteres consuetudo per mille & ducentos continuos annos in Romana Ecclesia usurpata fuit, ut neq; Diaconi Diaconias semel acceptas, neq; Presbyteri Titulos* (id est Ecclesias Cardinalitias) *neq: Episcopi Cardinales Episcopatus suos unquam mutarent* - - - *Qua ratione fiebat ut Diaconi, Presbyteri, & Episcopi Cardinales Diaconias Titulos & Episcopatus suos magis colerent, & exornarent, restituerent, & augerent, quos dum viverent essent retenturi.*

Nunc Cardinales optionis lege multos titulos & Diaconias obtinere possunt. Cujus rei initium ortum est tempore *Alexandri* V. in Concilio Pisano an. 1409. in quo cum ob Schisma contigisset Sacerdotia Cardinalitia duos ad minus habere Cardinales, unum unius obedientiæ Avenionensis, alterum alterius obedientiæ Romæ; sublato schismate unitisq; Collegii Cardinalibus, & novô Pontifice creatô, has mutationes tunc fieri necesse fuit, ut unus ex duobus, qui

qui in Schiſmate Epiſcopatum obtinebat, eô alteri dimiſſô, Sabinum tunc vacantem optaret, ita & in Titulis & Diaconiis factum eſt. Quæ res quanquam neceſſaria tunc fuit, in exemplum tamen tracta, poſtea frequentari cæpta eſt. Atq; hac ratione factum eſt, ut aliquando Cardinalis Diaconus initiô creatus, tres aut quatuor Diaconias, poſt Presbyter factus, totidem Titulos, demúm Epiſcopus omnes cooptaverit.

Synopſis Hiſtorica
De Schiſmate Orientalis Eccleſiæ.

Oriens ab ipſo Eccleſiæ Chriſti principio tam copioſum hæreſeon ſeminarium fuit, ut inſtabilem hominum fidem, ſpiritû, quô pollebat, prophetico prævidens Petrus Apoſtolorum Princeps non immerito Antiochiâ Romam ſuam transtulerit ſedem. Quod facile, neſcio, quis crederet, niſi ſub omnium oculis verſarentur ea damna, quæ ab incunabulis Chriſtianæ fidei, illa in parte exortæ hæreſes Eccleſiæ Chriſti intulerunt. Quis enim ignorat Gnoſticorum peſtes

ſtes I. & II. ſæculô, ſub ipſisq; quam plurima Sectariorum deliria, Sabellianorum, Pauliniſtarum blasphæmias; Manichæorum veſanias, ſæculô III. Arianorum, Macedonianorum, Apolliniſtarum furias Sæculô IV. Neſtorianorum, Eutychianorum ſtrages V. Sæculô. Machometarum ex Eutychianorum ſemine exortorum, ſpurcitias VI. ſæculô; eiuſdem Eutychianismi infamem ſurculum Monothelismum ſæculô *VII*. Jconoclaſtarum rabiem *VIII*. ſæculô.

Hæc & alia etiamſi hujuſmodi eſſent, ut Divina & humana peſſumdarent, ac penitus conarentur evertere, tamen hæc mala tam generalia non erant, ut omnes planè inficerent. Habuit enim Oriens ſuos *Irenæos*, *Dyoniſios*, *Athanaſios*, *Baſilios*, *Gregorios*, *Cyrillos*, *Flavianos*, *Sophronios*, *Damaſcenos*, *Germanos* aliosq; quam plurimos in fide ſatis ſtabiles, qui in falſis dogmatibus evertendis, præcipuè in profliganda Jconomachorum hæreſi intantum enituerint, ut Divinæ veritatis nedum verbô & ſcriptis egregii, verum etiam ſanguinei eſſent teſtes.

U-

Unum porro eſt, quod poſt tot hæreſum monſtra, devicta & proſtrata IX. Sæculô accidit, non tantùm adeo potens, ut homines ducat in admirationem, verùm in ſanguineas queat movere lachrymas; unum accidit, quô tam fædè orientalis Eccleſiæ facies infecta eſt, ut nec doctiſſimorum Virorum Scriptis, nec ſummorum Pontificum paternis curis, nec Oecumenicorum Conciliorum decretis unquam potuerit mundari. Res ita ſe habet.

§ I.

Photii conſpiratio contra S. Ignatium Patriarcham CP.

Cùm *Michaël Theòphili* Imp. filius Matrem Theodoram religioſiſſimam matronam ab adminiſtratione Imperii amoviſſet, ut liberiùs vitiis indulgeret, *Bardæ* avunculi arbitriô rerum moderationem permisit. Præerat Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *Ignatius Michaëlis Rangabis* Imperatoris filius. Is *Bardæ* Imperatoris incurrit odium, quòd eum ob inceſtuoſam cum nuru conſuetudinem,

communione privasset. Hinc Bardâ agente Ignatius ab Imperatore in Insulam *Terebinthum* relegatus est. Missi deindè Episcopi Aulici & Patricii, qui cessionem Patriarchatûs vehementer suaderent pacis gratiâ, sed invictissimus Præsul nec precibûs, nec minis adduci potuit, ut se Episcopatû abdicaret, idq; non ex amore dignitatis, sed Ecclesiasticæ libertatis & æquitatis studiô, quam cessione sua videbat oppressum iri.

Photium nobilitate insignem, ingeniô & sæculari literaturâ nulli secundum, cæterùm ambitione impotentem, ad quodvis audendum nefas paratissimum, *Bardas* amicissimum suisq; consiliis devotissimum habuit, nempè quo usus est ministrô ad persequendum S. Ignatium. Suggessit ergò *Photius* Jmp. *Michàëli* Ignatium in exilio res novas moliri, proindè in remotius exilium, esse deportandum, ac sub custodia habendum; hinc postquàm in Copronymi sepulchro inclusus, nec fætore, nec fame extinctus esset, mutatis carceribus, exilii locis, verberibus, ac dentium con-

contusione perpessis à barbaro milite, cúm Episcopatûs cessioni invictâ constantiâ subscribere recusaret, in *Mytilenem* insulam catenis onustus, deportatus est.

Erat eo tempore Constantinopoli *Gregorius* Syracusanus Episcopus, quem *Ignatius* Patriarcha (Sicilia enim tunc abstracta à Patriarchatu Rom. cum Diæcesi Illyricana à Leone Jsaurico:) olim deposuerat Synodaliter ob varia crimina. Hoc judiciô posthabito dignitatis insignia semper servavit nequissimus *Gregorius*, Bardâ patrocinante, cui ut vicem referret, non paucos Episcopos, quos Aulæ pestilens aura afflaverat, cúm traxisset in suas partes, irregulari coacto Conciliabulô, depositum dixit *Ignatium*, & *Photium* Patriarcham renuntiavit, sex dierum spatiô neophitum ad omnes Ordinum gradus promovit; primâ scilicet die Monachum, alterâ Lectorem, tertiâ Subdiaconum, quartâ Diaconum, quintâ Presbyterum, sextâ Episcopum ordinando, ut testatur *Niceta In vita S. Ignatii.*

Cúm verò multos Episcopos, plebisq;

partem maximam ab Ignatio ſtare videret Photius, ita ut in æde S. *Irenes* Epiſcopi ipſum anathemate confixiſſent, & a Patre, Filio, & Spiritu S. depoſitum renuntiâſſent, eò quod primùm conteſtatus ſe Ignatium pro inculpato & violenter ejecto habiturum, ſeq; tanquam ejus Coadjutorem geſturum, chyrographum reſcidiſſet, ac fidem feſelliſſet; *Nicolao I.* Pontifici obrepere conatus eſt, ab eoq; ordinationis ſuæ confirmationem impetrare. Literas per legatos miſit Romam, quibus fidei profeſſionem inſeruit, Ignatium ſeniô & morbô confectum, ſe Patriarchatû abdicaſſe mentitus, ſuoq; in Cænobio commorari, & ab omnibus omni honore & Officiis coli. Se verò cedente Jgnatiô electum omnium conſenſû; vimq; ſibi ab Jmperatore factam, ut Thronum Patriarchalem conſcenderet. Hæc habentur apud *Nicetam* citatum, apud *Baronium* in Epiſt. Photii ad Nicolaum I. ad an. Chriſti 859. &c.

§ II.

Quid in cauſa Ignatii & Photii geſſerit Nicolaus I.

Cùm audiviſſet Nicolaus Pontifex lega-

gatos Constantinopoli missos, prudenter legationem decrevit in Orientem, cujus munus gerendæ imposuit *Rodoaldo. Portuensi* & *Zachariæ Anagniæ* Episcopis, quibus dedit in mandatis inter alia, ut causam *Ignatii diligenter investigarent, & Sedi Apostolicæ plenis ac veracibus referrent indiciis*. Hic nota; causæ examen commisit Legatis, judicium sibi reservavit Pontifex, quod è majoribus Ecclesiæ causis hæc esset. Præcepit insuper Legatis, nè cum Photio aliter, quam Laico communicarent, & alia præsertim ut sistatur coram Legatis Apostolicis *Ignatius*, & inquiratur, quam ob causam Episcopatû cesserit. Tandem ordinationem contra canones factam, ratam se habere non posse dicit, donec ex Legatis certior factus sit, de ejus fide & gestis.

Constantinopolim cum pervenissent Sedis Apostolicæ Legati centum dierum spatiô detenti sunt ab Imperatore, *Barda* & *Photio* suggerentibus, eisq; negata quemquam alloquendi licentiâ, præter eos, quos ad ipsos mittebant, ut illis famis, pædoris, & exilii minas inten-

tarent, nisi ratam haberent Jgnatii exauthorationem, ac Photii ordinationem, ut ipsi Photio exprobrat *Nicolaus* Epist. 6. Minis itaq; concussi & muneribûs illecti, legationem suam fæda proditione dehonestarunt, & Photio favorem omnem & Patrocinium sunt polliciti.

§ III.

Synodus latrocinialis a Photio coacta Constantinopoli contra Ignatium.

P*hotius* mirum in modum erectus & in securitatem elatus ob timiditatem & ignaviam Legatorum *Nicolai* Pont. Synodum Constantinopoli congregari curavit ab Jmperatore anno 861. Adfuit imò præfuit ipse Jmperator, cujus ad nutum gerebantur omnia ex suggestione Photii; quamvis præfatis Legatis Apostolicis inane nomen, & umbra quædam relicta esset, ut Oecumenicæ Synodi speciem haberet aliquam hic conventus. Jngens erat Episcoporum Photio devotorum numerus, adeo ut *Michaël* Jmp. gloriatus sit, Nicænæ Synodo non plures interfuisse, ut refert *Nicolaus I.*

Epist.

Epiſt. 5. jactantiam illam comprimens hac ratione: Quòd nihil prosit Nicænorum Patrum numerus, ubi ab eorum ſententiis, & æquitate deviatur, & quod major sit peccatorum cumulus, ubi multiplex eſt agmen prævaricatorum. Traditæ ſunt literæ Nicolai I. S. Pont. in iis, antequam legerentur, multa immutavit, ſuppreſſit, mutilavit *Photius* maximê quæ ejus intrusionem, & *Ignatii* depositionem ſpectabant. *Nicolaus* Epiſt. 9.

Mox S. Jgnatius Patriarchali depoſitô ex juſſione Imperatoris in habitu Monachali ſiſtitur Synodo, ubi Palatini Proceres urgent *Jgnatium* ut ſponté ſe Patriarchatu abdicet. Renuentem ad Synodum citant. Judices recuſat S. Præſul, Romanumq; Pontificem appellat. Sed appellatione non acceptata, duo & ſeptuaginta teſtes muneribus corrupti auditi perjuriô confirmant, ipſum canonicè non fuiſſe ordinatum, ſed à poteſtatibus ſæcu ribus intruſum, Eccleſiamq; tyrannicè rexiſſe; ſic nemine Epiſcoporum intercedente præter *Theodolum* Ancyranum propterea interſectum à quodam parricida, damnatus

eſt,

eſt, & veſtibus Patriarchalibus exutus à quodam *Procopio* Subdiacono olim ob ſcelera depoſito,& clamante:*Indignus*: Cui Zacharias & Roaldus miniſterii prævaricatores cùm aliis perditis ſimili vociferatione ſuffragabantur. Tandem poſt varios cruciatus, *Theodorus* Photii ſatelles, manû *Ignatii* apprehenſa crucem in charta exaravit, paginamq; tradidit Photio, qui ſigno Crucis hæc ſuapte manû ſubjicere auſus eſt: *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus, confiteor me non lege & ſuffragiis creatum, Eccleſiæ Thronum invaſiſſe, neq; his annis ritè & ſanctè Eccleſiam rexiſſe, ſed tyrannidem exercuiſſe.* Mox conſilium initur de eruendis ipſi oculis, manibuſq; præcidendis, quod periculum poſtquam fugâ evaſiſſet, & aliud, quô in fuga ad mortem quærebatur, urbe per quadraginta dies terræ motu concuſſa, conquiſitus in Monaſterium ſuum ire permittitur.

§ IV.

§ IV.

Nicolaus I. Photianam Synodum irritat, restituit Ignatium, damnat Legatos prævaricatores.

Postquam S. Jgnatius per *Theognostum* Archimandritam libellum scripsisset de suis calamitatibus & appellatione ad Sedem Apostolicam, hanc Romam clam portavit præfatus Theognostus, & Nicolao I. S. Pontifici obtulit. Interea Legati *Rodoaldus* & *Zacharias* muneribûs onusti Romam venerunt, nuntiantes depositum Jgnatium, & Photium in Sede firmatum.

Mox Pontifex coacta Synodo Romæ, tulit *in Photium* damnationis sententiam, qua omni Sacerdotali honore & nomine exutus est, eiq; sub anathemate interdictum, ne Sacris ultra se Mysteriis ingereret, aut Jgnatium legitimum Patriarcham perturbaret. Rationes depositionis fuerunt sequentes. 1. Quod ex Schismaticis & Laicis ordinatus esset. 2. Quod in viventis & innoxii Jgnatii sedem velut adulter irrupisset. 3. Quod ordinatus esset a

Gre-

Gregorio Syracuſano Epiſcopo damnato & exauthorato. 4. Quod depoſitorum & excommunicatorum communione ſe fædâſſet. 5. Quod contra fidem datam coacto Conciliabulo ſententiam damnationis dixiſſet in Jgnatium. 6. Quod Apoſtolicæ Sedis Legatos à mandatis avertiſſet, eoſq; pertraxiſſet ad communionem Schiſmaticorum in hoc *Acacium* imitatus. 7. Quod Jgnatium ejuſq; fautores acerbè vexâſſet, nec vexare deſineret. In hac Synodo etiam damnatus eſt *Gregorius* Syracuſanus Schiſmaticus, & dudum depoſitus a *Benedicto III.* Tandem omni Clericali Officio privati ſunt, qui a Photio erant ordinati. In gradum priſtinum reſtitutus *Jgnatius*, utpotè injuſtè depoſitus. Ultimò *Rodoaldi* prævaricatoris & contumacis Legati, qui Synodi examen fugerat, conclamata eſt damnatio.

Photius de his certior factus, actuſq; in rabiem, quod plebs fidelis ab ejus communione turmatim diſcederet, in eos qui cum Romano Pontifice communicabant, perſecutionem movit. Nec

non

non coacto Conciliabulô, & ſubordinatis Impoſtoribus, qui ſe Vicarios & Legatos Orientalium Patriarcharum mentiti ſunt, accuſatoribus, teſtibuſq; pecunia emptis, ob gravia crimina falſò impoſita *Nicolao* Pontifici, eum anathemati ſubjecit. Multi vix audito auſui ſubſcripſêre, conclamârunt cæteri: *Non eſſe iuſtum in primum & S. Pontificem præcipuè ab inferiori, quomodolibet ſententiam proferri.* Quam ob rem nequiſſimus Photius Conciliabulo ſuo majoris Authoritatis ſpeciem addere volens quo incautis imponeret, conſcripto Codici, calumniis adverſus Rom: Pontificem ſcatenti, mille circiter Epiſcoporum ementitas ſubſcriptiones interſeruit. Cæterùm, quem ut novum *Dioſcorum* omnes Catholici execrabantur, non pauci ſecuti ſunt, malis ejus artibus in partes tracti.

Sic inchoatum Schiſma roboravit impius Imperator *Michaël* omni modô Photio patrocinando, & Rom: Pontificem contumeliis lacerando. Interim Photius Encyclicas literas ad Patriarchas & Epiſcopos Orientis dedit, ple-

nas

nas calumniis in Romanam Ecclesiam, quibus eos ad Synodum vocabat, in qua errores varii, quos Rom: Ecclesiæ improperat, & quibus imbutam a Prædicatoribus & Legatis Apostolicæ Sedis Bulgarorum gentem nuper ad fidem conversam asserit, damnentur, ac deliberetur de remedio, quo tam grave malum cohiberi possit.

Hæc vero Photianæ contra Latinos accusationis capita erant. 1. *Quod contra Ecclesiæ Canones illicitè Sabbatis jejunent.* 2. *Quod primam jejunii quadragesimalis septimanam, a reliquo jejunio discerpentes, in lactis potionem, casei esum & similium ingurgitationem traxerint.* 3. *Quod Sacerdotes legitimo junctos matrimonió ab uxoribus abstraxerint, eisq; continentiæ jugum imposuerint.* 4. *Quod Chrismate inunctos per Sacerdotes denuo inungere non dubitaverint, cum seipsos Episcopos prædicarent & Presbyterorum Chrisma inutile quoddam, ac frustra factum comminiscerentur.* 5. *Quod sanctum & sacrum Symbolum, quod ab omnibus Oecumenicis Conciliis confirmatur, & vim obtinet irresistibilem, sensibus spuriis, verbis adscitiis cona-*

conati sint adulterare; Spiritum S. novo more commenti non de solo Patre, sed etiam Filio procedere.

Interim perempto *Bardâ* suo intimô amicô & protectore, in gratiam *Michaëlis* Imp: quantum poterat se insinuabat, à quo iterum impetravit congregari Pseudo-Synodum, subordinatis nebulonibus, qui se reliquorum Sedium Patriarcharicarum Legatos mentirentur, in qua intuitu calumniarum iam dictarum depositionis & anathematis sententiam tulit in Rom: Pontificem an: 867.

§. V.

Photius sede dejicitur iterumq; intruditur.

Mortuo *Michaële* Anno 867. successit in Imperio *Basilius* 24. Septembris, qui postridie, quam elevatus est, *Photium* ex malis artibus bene notum sede dejecit, *Ignatiumq;* reductum ab exilio restituit Ecclesiæ. Statim Legatos Imperator Romam misit, scripsitq; de hac re *Ignatius*, & cum *Nicolaus* Pontifex ad immortalem vitam transiisset, legati cum gaudio excepti sunt ab *Hadriano* II.

De

De hac *Photii* ejectione & Ignatii restitutione legendi *Nicetas* in vita S. Ignatii, & *Anastasius* Bibliot: in Præf. VIII. Synodi; item in vita Hadriani II. ubi refert librum Photii a Legato exhibitum fuisse S. Pontifici, & in terram projectum cum hoc anathemate: *Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te minister Diaboli Photius novus Simon mendacii compilator aptavit. Te minister Christi Nicolaus novus Petrus veritatis amator attrivit.* Refert etiam, cum eo tempore, quô nefarius codex urebatur, imber vehemens decideret ad pluviam, quasi ad olei guttas flammam convaluisse, quô miraculo etiam Græci stupefacti Deo laudem dixêre, & memoriæ *Nicolai* bene precati sunt, & *Hadrianum* præconiis extulêre. Tandem agente *Basilio* Imp: & *Hadriano* S. Pontifice coadunata est VIII. Synodus, in qua Schisma ad tempus sopitum fuit.

Photii damnatio nihilo ipsum modestiorem effecit, solido enim exilii decenniô innumera meditatus, & tentavit mala adversus S. Ignatium. Verum inna-

inanis labor fuit hic quidem, tamen nova imposturâ sibi reditum CPolim aperuit. Commentus est scilicet *Basilii* Imp: genealogiam, ejusq; perobscurum genus à magno *Tyridate* Armenorum Rege deduxit; cùm ad Patrem Basilii venisset novo fabricato nomine filios ejus ad Imperium evehendos auguratus est, nomen illud BECLAS excogitavit, cujus literæ nominum Basilii ejus uxoris, ac filiorum, initiales erant. Hoc facto ambitiosus Imperator incitatus *Photium* ab exilio revocat, qui nefario ausu vivente S. *Ignatio* Patriarcham se gessit, ordinationes faciebat, & alia Episcopalia munera obiit.

Brevi S. *Ignatius* fatis cessit, & Photius facilitate Imperatoris abusus novâ tyrannide in Sedem Patriarchalem irrepsit, tandem à *Joanne* VIII. ad petitionem *Basilii* ad communionem susceptus & in Sede confirmatus est. Sic restitutus Photius pseudo-Synodum adversùs Oecumenicam VIII. celebrat, quam pariter nuncupat VIII. in qua 380. Episcopi cum Legatis Sedium Patriarchalium & Legatis S. Pontificis adfuerunt.

Ibi postquam Epistolas S. Pontificis ab Apostolicis Legatis sibi imprudenter concreditas, sub specie in Græcum vertendi truncâsset, mutilâsset, veram VIII. Synodum abrogavit, & hanc pro VIII. substituit, sic eo paulatim Schisma instauravit.

Joannes Pontifex certior factus, quod actum CPoli, Photianam Synodum, ipsumq; Photium damnavit, idem præstitit *Marinus* ejus Successor. Eundem diris devovit *Hadrianus III.* Marini Successor, & *Stephanus VI.* quô agente Photius, a *Leone* Basilii Filio & Successore in Imperio, a Sede dejectus est, inaugurato in ejus locum Stephanô Leonis Fratre.

§. VI.

Cum Photio extinctum Schisma ante Michaëlem Cerularium non revixit.

Stephanum Patriarcham cum Rom: Pontifice servâsse communionem, ex Synodi VIII. appendice certum est, similiter ejus Successorem *Antonium Cauleam*, sub cujus Patriarchatu *Stylianus* Neocæsareæ Metropolita cum aliis partium Pho-

Photianarum *Symmistis* pro absolutione lapsorum scripsère Romam, *cognoscentes se ab Apostolica Sede regi & gubernari debere.* Sub *Nicolao* Mystico, paululùm turbata fuit utriusq; Ecclesiæ pax, ob quartas Leonis Imp: nuptias, sed non interrupta, imo magis firmata; & sic sub *Euthymio*, iterum *Nicolao* Mystico, *Stephano, Theophilacto, Polyeucto, Basilio, Antonio*, ad *Nicolaum* Chrysobergem, sub ipso habita Synodus est, in qua jacta sunt quædam Schismatis renovandi semina, cum à factiosis, *Photii* memoria æque ac *Ignatii* & aliorum Patriarcharum Orthodoxorum, solemnibus acclamationibus impune celebrata est.

Huic Nicolao an. circiter 995. substitutus est *Sysinnius.* Is Encyclicam Photii suo nomine ad reliquos Episcopos misit, at Schisma, quod meditabatur, renovare non potuit. Habuit Successorem de genere Photii *Sergium*, qui calumnias in Romanam Eccl: facta Synodô innovavit; cùm tamen reliqui Patriarchæ dissentirent, negotium scindendi Ecclesias perficere non potuit; Unde Græci Schismatici rei sunt mendacii

Cc dum

dum dicunt à *Sergio* nomen Rom: Pontificis fuiſſe expunctum' é S. Diptychis, quos egregiè refellit *Petrus* Antiochenus in Epiſt: ad *Michaëlem* Cerular. Huic *Sergio* annô circiter 1024. Succeſſit *Euſtachius* qui per Legatos *Baſilii* Imp: impetrare tentavit a Joanne XIX. ut Eccleſia CPolitana in ſuo Orbe univerſalis dici poſſet, ſicut Romana in univerſo; at etſi hoc non obtinuit, Schiſma tamen non renovavit. Poſtea Patriarchatum geſſit *Alexius* ab anno 1025. ad an: 1043. quo *Michaël Cerularius* nominatus eſt a *Conſtantino Monomacho*. Ad hunc unitatem inter Græcam & Latinam Eccleſiam perduraſse poſt Photium ſub decem & ſeptem Patriarchis ſcribit *Manuel Calecas* Author Græcus Ord: Præd: lib: 4. contra Græcos. Sed Michaël ille Schiſmatis poſt Photium author alter, nomen S. Pontificis è ſacris Diptychis eraſit, ut idem refert Manuel. Qua de cauſa, ut Græcos ad unionem reduceret *Urbanus II.* Concilium Barenſe in Apulia convocavit anno 1097. in quo Græcos diſputantes prorſus revicit ac attrivit. S. *Anſelmus* Arch: Cantuar: in Anglia. Sæ-

Sæculo XIII. anno 1215. in Concilio Later: IV. ſub Innocentio III. pax inter utramq; Ecleſiam ſtabilita eſt, hæc ut eo firmior perſeveraret, titulum Epiſcopi *Oecumenici* ſive Univerſalis, quem toties efflagitârunt, conceſſit Patriarchis CPolitanis *Innocentius III.* primumq; locum poſt Rom: Pontificem, quæ cum non diu ſtetiſset, iterùm in Concilio Lugdunen: II. anno 1274. ſub *Gregorio X.* redintegrata eſt. Verùm nec illa pax fuit diuturna, Græcis pro ſua levitate ad vomitum reverſis; donec tandem in Concilio Florent: an: 1439. ſub *Eugenio IV.* unitati ſubſcripſerunt, excepto *Marco* Epheſino, qui redux in patriam multos in ſuas partes traxit, nulla tamen hucuſq; fuit edita fidei profeſſio Florentinæ contraria; unde error eorum, qui inter Græcos à nobis diſſident, potius cenſeri debet perſonalis, quam totius Eccleſiæ Græcæ; ſicq; Græci in hodiernum diem ab illo tempore perſeverant, poſt duodecimam, juxta alios decimam quartam cum Romana Eccleſia reconciliationem, in ſchiſmate.

DISSERTATIO IV.

DE CONCILIIS GENERALIBUS.



Iximus ſupra Eccleſiæ nomine ſæpius intelligi Paſtorum ſive Epiſcoporum in unum cogregatorum pro aliquo dogmate definiendo, aliisq; Fidelium pacem & unitatem concernentibus, ſtatuendis Conventum, qui Conventus Concilium vocari ſolet. Ita ſe rem habere, quidquid dicant hæretici, edocemur ex cap: 15. Act: ubi primo cæperunt Concilia celebrari, ac deinceps continuari, quam originem Bellarminus proindè non humanam ſed Divinam dicit. Nam Concil: Chalced: in Epiſt: ad Leonem S. Pontif: innuit: Concilia eſſe intellecta & demonſtrata a Chriſto his Verbis Math: 18. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Hinc & Apoſtoli pro Concilio coadunati dicunt: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis* &c. Hinc.

Concilium nihil aliud eſt, quàm *convoca-*

vocatio seu Episcoporum cœtus ad dirimendas controversias, quæ circa fidem & bonos mores exoriuntur, vel ad sarciendam disciplinam Ecclesiæ, vi canonum, quæ conduntur in Conciliis. Quadruplicis autem generis est Concilium, videlicet: *Oecumenicum* seu *Generale*, *Nationale*, *Provinciale*, *Diœcesanum*. Oecumenicum est convocatio totius orbis Christiani Episcoporum, quæ fit per Epistolam Encyclicam ad omnes directam à Rom. Pontifice, cui soli ex jure & Officio incumbit indicere Concilia Generalia, eisq; per se, vel per suos Legatos præesse. Concilium *Nationale* est illud, quod à Patriarcha, vel Primate cogitur, cuiq; omnes Primates, seu alicujus nationis vel regni Episcopi intersunt. Concilium *Provinciale* illud est, quod unius Provinciæ finibus coërcetur, & convocatur ab Archiepiscopo invitante omnes suæ Provinciæ Suffraganeos Præsules. Concilium *Diœcesanum* est, quod ab Episcopo una cum suæ Diœceseos Parochis in rem peculiaris Ecclesiæ sibi a Deo concreditæ celebratur. De Conciliis Generalibus hic potissimum agendum.

ARTICULUS I.

Cujus eſt convocare Concilium generale, & eidem præſidere convocato?

Quoniam Imperatoris eſſe & non Papæ generalia convocare Concilia, & eiſdem præſidere convocatis contendunt, Luthe us, Calvinus, Magdeburgenſes, & eorum ſequaces, ideo generale ſive univerſale Concilium dici volunt, quia ab Imperatore univerſali omnium Domino convocatum, eaq; de cauſa ad Concilium Tridentinum venire renuerunt Proteſtantes Hæretici, illudq; ideo non recipiendum clamat *Carolus* Molinæus, quia non ab Imperatore, ſed a Romano Pontifice convocatum, proindè ut veritas eluceſcat, & communis Catholicorum doctrina pateat.

§ I.

Reſolvitur quæſtio.

Dico: Solius Rom: Pontificis eſt de jure & officio generalia Concilia convocare, & in iisdem vel per ſe, vel per Legatos præſidere convocatis.

Prob:

Prob: 1. P. Ut legitimum ſit Concilium, debet in nomine Chriſti, hoc eſt, authoritate Chriſti convocari, juxta illud Chriſti Math: 18. *Ubi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum;* & ut ſit in nomine ſeu authoritate Chriſti convocatum, debet ab eo ſolo convocari, cui Chriſtus hanc authoritatem conceſſit; atqui Chriſtus soli Petro & in perſona Petri Rom: Pontifici hanc conceſſit authoritatem, & non Imperatori, dùm ad Cœlos aſcenſurus Petro in littore piſcanti, non Tiberio Romæ imperanti, ſuam regendam commiſit Eccleſiam, dicens: *Paſce oves meas;* ergo ut ſit in nomine Chriſti convocatum debet a Rom. Pontifice, vel de ejus conſenſu, vel ſaltem illô minimè inconſultô convocari.

Prob: 2. Tùm ex antiquo illo Canone, quem Julius 1. Papa ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ ſcribens Apoſtolicum eſſet dicit, quemq; Alexandrina Synodus Epiſt: ad *Felicem* renovatum eſſe a Nicæna I. Synodo teſtatur his verbis: *Scimus in Synodo magna 318. Epiſcoporum ab omnibus con-*

cor-

corditer esse roboratum, non debere absq; Rom: Pontificis sententia Concilia celebrari. Præfatus Canon hic est: *Præter sententiam Rom: Pontificis non posse Concilia celebrari.* Sic legitur apud *Cassiodorum* in Hist: Tripartita. Tùm ex facto Concilii Calced: non permittentis *Dioscorum* Episcopum Alexandrinum inter Episcopos sedere, eo quòd aliam Synodum cogere fuerat ausus inconsultâ Romanâ Sede, & alta voce clamantis: *Id nunquam factum, nunquam licitum fuisse.* Tùm ex facto Concilii Rom: IV. in causa *Symmachi* Papæ *a Theodorico* Rege convocati, & conquerentis, se non à Rege, sed à Papa debuisse convocari, nolentisq; Regi: acquiescere dicenti, se Concilium de consensu Pontificis convocasse, donec ita esse fateretur præsens S. Pontifex. Tum *Pelagius II.* hoc apertissimis verbis tradit an: 590. (habetur cap: *Multis* dist: 7.) in Epistola ad Episcopos, qui convenerant ad illicitam convocationem *Joannis* Constantinopolitani: *Multis demum Apostolicis, Canonicis, & Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absq; sententia Rom: Pontificis*

Con-

Concilia celebrari, quapropter vestrum non Concilum, sed conciliabulum cassatur, & quidquid in ea actum est, irritum habetur & vacuum.

Nota. Annô 587. sub *Mauritio* Imperatore *Joannes* Patriarcha Constantinopolitanus, jejunator dictus Synodum coëgit Constantinopoli in qua judicatus, & innocens inventus est *Gregorius* Antioch:, occasione hujus Synodi, Episcopis facilè in suam sententiam adductis arrogavit sibi titulum Patriarchæ Oecumenici. Quæ res cum ad aures *Pelagii* S. Pontificis delata esset, omnia, præter acta circa *Gregorium*, irritavit, præcepitq; Legato suo Constantinopoli degenti, nè cum *Joanne* communicaret, nisi priùs arrogatum temerè, titulum deponeret. Occasione hac, ut ambitionem dicti Patriarchæ deprimeret *S. Gregorius M. Pelagii* Successor titulô *Servus Servorum DEI*, primus usus est.

Dices: Ex his sequi nec Provincialia, nè quidem Diæcesana Concilia nisi à Romano Pontifice posse convocari; præsertim cum cap: *Nec licuit* eadem dist:

17.

17. Pelagius II. dicat nec Synodum particularem ſine Authoritate Sedis Apoſtolicæ licere celebrari; ſequela forte non admittetur.

Reſp. Quod jura & Pontifices concedant, imo jubeant Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, ut particularia Concilia celebrent, ſicq; non ſine authoritate eorum celebrantur. Porrò caput: *Non licuit* loquitur de Synodis particularibus congregatis contra univerſalem Synodum, ut patet ex Rubrica, quæ ſic habet: *Abſq; ſedis Apoſtolicæ authoritate Synodum particularem contra univerſalem, aliquibus congregare non licet.* Et apud *Ivonem, Anſelmum, Policarpum*, verbis *Gratiani* compilatoris additur: *Ad judicancandum univerſalem Synodum.* Idq; ſatis innuit textus ipſe Gratiani verbis ſequentibus: *Quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur.*

Confirm. Hoc ex perpetua Eccleſiæ praxi, ab ipſis Apoſtolis initium habente; nam primum Apoſtolorum Concilium adunatum eſt à S. *Petro* ut in locum Judæ proditoris alter eligeretur Act. 1. ſecundum ab Apoſtolis aduna-

natum eſt Act. 6. cui præerat *Petrus* pro electione ſeptem Diaconorum. Tertium Act. 5. ad dirimendam controverſiam de circumciſione Gentilium, ubi ſurgente & loquente *Petro* tacuerunt omnes. 2. Hiſtorici referunt Concilium adunatum fuiſſe in Paleſtina juſſu *Victoris I.* in quo *Theophilus* Cæſareæ Epiſcopus præfuit contra Quatuordecimanos, hocq; Sæculo II. Jnitio IV. ſæculi *Melchiades* convocavit Synodum Romæ contra Donatiſtas. Tandem Nicænum I. ſine dubio ex conſenſu *Sylveſtri* adunatum teſte *Rufino* lib. 1. cap. 1. Conſtantinopolitanum I. ex conſenſu *Damaſii* teſte Theodoreto lib. 5. c. 9. De aliis vix dubium eſſe poteſt etiam Adverſariis.

Suaderi etiam poteſt hoc ipſum inde; Ad illum ſpectat adunare Concilia, cujus eſt gubernare Eccleſiam; alterum autem S. Pontificis eſſe dictum eſt tota diſs. præc. ergo etiam primum. *Mai. patet.* Quia convocare Concilium eſt actus jurisdictionis, ad omnem ſe extendens Eccleſiam; atqui nullus Princeps laicus aliquid jurisdictionis in Eccle-

clesia habet; nullus verò Episcopus, etiam Patriarcha habet universalem, sed hoc solùm competit Rom. Pontifici ratione Primatûs; ergo. Aliundè peregrinus est in Historia Ecclesiastica, qui non novit quam luctuosos fines habuerint Concilia ab Jmperatoribus adunata præter voluntatem S. Pontificis, ut patet in Synodis Arianorum, Jconoclastarum &c.

Prob. 2. pars. Quia solius Pastoris est suo præsidere gregi, sed Rom. Pontifex est universalis Ecclesiæ seu Christi gregis Pastor constitutus a Christo dicente: *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Joan. 21. Ergo solius Romani Pontificis est toti seu universali præsidere Ecclesiæ, sive per orbem diffusæ, sive in Concilio congregatæ, ac proindè Concilio generali Ecclesiam repræsentanti. 2. Ex perenni & antiqua Ecclesiæ praxi, quà constat nedùm Petrum præfuisse primo Apostolorum Concilio Jerosolymis habito pro electione Mathiæ, & alteri eorum præcipuo, cæterorumq; normæ, ibidem pro determinanda legalium cessatione, celebrato,

de

de quo Act. 15. ſed etiam poſt Apoſtolos Rom. Pontificem cæteris Oecumenicis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus per ſe, vel per ſuos Legatos præſuiſſe Conciliis; Jmperatorem verò neque per ſe, neq; per alium. *Prob. Ant. 1*. Per ſe Præſes fuit Occidentalibus omnibus, excepto Tridentino, ut notum omnibus. Orientalibus verò per legatos, quod ſic oſtenditur: Nam præfuit Nicæno primo. S. *Sylveſter* per *Oſium, Vitum & Vincentium* Legatos a ſe miſſos, Conſtantinopolitano I. præfuit *Damaſus* per *Nectarium* Conſtantinopolitanum, non miſſum quidem, ſed loco ſui præſidere permiſſum; vel ut opinantur alii per *Timotheum* Alexandrinum; alii dicunt, illud cum Romano tunc Præſide *Damaſo* coadunato idem cenſeri debere; Alii verò illud Concilium convocatione & præſidentia non eſſe Oecumenicum, ſed Nationale factum autem tale ex approbatione Damaſi. *Vide Tract*: de SS. TRINITATE. Diſs. 1. Digreſ. IV. Epheſino *I.* & Oecumenico *III.* præfuit *Cæleſtinus* in 1. Act. per S. *Cyrillum* Apoſtolicæ

Se-

Sedis Vicarium in causa Nestorii, in reliquis Actionibus per *Arcadium* & *Proiectum* Episcopos & *Philippum* Presbyterum. Calcedonensi Oecumenico *IV*. præsuit S. *Leo* per *Paschasinum* & *Lucentium* Episcopos, *Bonifacium* & *Basilium* Presbyteros. Constantinopolitano *II*. Oecumenico V. præsuisse dici potest *Vigilius* per *Eutychium* Constantinopolitanum, præsidentiam *Vigilio* ultro offerentem, & nihil in Concilio definiri patientem, nisi prius lectis *Vigilii* epistolis, & ejus præhabito consensu. Constantinopolitano *III*. Oecumenico *VI*. præsuit *Agatho* per *Theodorum* & *Gregorium* Presbyteros, *Joannem* Diaconum & *Constantinum* Subdiaconum. *VII*. Oecumenico Nicæno *II*. præsuit *Adrianus I*. per *Petrum* S. Sabæ Abbatem, & *Petrum* Archi-Presbyterum. *VIII* Oecumenico, seu Constantinopolitano *IV*. præsuit *Adrianus II*. per *Donatum* & *Stephanum* Episcopos, & *Marianum* Diaconum. Tandem Tridentino Occidentali Oecumenico omnium ultimo, præsuere *Amò*: nomine *Pauli III*. tres Romanæ Ecclesiæ Cardinales nempe: *Jo-*

Joannes Moronus Epiſcopus Præneſtinus, *Marcellus* Presbyter, & *Reginaldus Paulus* Diaconus natione Anglus. Nomine verò *Julii III.* præfuêre Cardinalis de *Creſcentio*, Sebaſtianus *Pighion* Archi-Epiſcopus Sipontinus, & *Aloyſius* Lippomanus Veronenſis Epiſcopus. Et tandem poſt obitum *Julii III.* nomine *Pii* IV. præſuere quatuor Cardinales alii, *Hercules* de Mantua, *Hieronymus* Seripandus, *Stanislaus* Hoſius Epiſcopus Varmienſis, & *Ludovicus* Simoneta. Ergo ex hac antiqua & conſtanti Eccleſiæ praxi conſtat Rom: Pontificis eſſe, non Jmperatoris generalibus præſidere Conciliis.

§. II.
Solvuntur Objectiones.

Objic: 1. Solemne eſt apud Hiſtoriographos, multos Imperatores maximè Orientis convocaſſe Concilia; ergo.

Reſp: 1. diſt: ant: Et hoc fecerunt ex conſenſu S. Pontificis, *conc.* ſine ejus conſenſu, *ſubdiſt;* ejus modi aliquid roboris habuerunt, antequam acceſſiſſet calcu-

calculus S. Pontificis, *nego.* Secùs *conc.* Reſponſio patet ex Concilio Oecumenico a Juſtiniano Principe anno 553., invito Papâ Vigiliô (ob non ſervatas leges, quia Pontifex tot voluit adeſſe Occidentales Epiſcopos, quot aderant Orientales) convocato pro trium Capitulorum diſcuſſione, at nullius fuerit roboris, quouſq; ei non acceſſit Pontificis approbatio, quod argumentô eſt, ad ſolum Rom: Pontificem pertinere ex jure adunare Concilia. Hinc quando apud Rufinum lib: 10. c. 1. legitur de Conſtantino M. *Ille apud Urbem Nicœnam Epiſcopale Concilium convocat:* Apud Socratem lib: 5. c. 8. de Theodoſio M. quod CPolitanum I. congregaverit. Apud Evagrium lib: 3. c. 6 de Theodoſio Juniore, convocatore Epheſini. In ipſa Synodo Chalced: Act: 1. *Facta eſt Synodus ex Decreto piiſſimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani*: hi Imperatores Concilia Oecumenica non indixerunt abſq; conſenſu Rom; Pontificum. At enim duplex in convocatione Conciliorum occurrere poteſt authoritas videlicet Eccleſiaſtica & Civilis. Per Eccleſiaſti-

ſiaſticam damnantur hæreſes, extinguuntur Schiſmata, Canones ad ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam conduntur. Authoritas vero Civilis facit, ut Canones à Concilio ſtatuti per omnes Provincias executioni tradantur, hæreticorum audacia comprimatur. Summi ergo Pontifices, in quibus reſidet authoritas regiminis & poteſtatis Eccleſiæ plenitudo, Concilia Oecumenica indixêre, vel per Epiſtolam Encyclicam, convocando omnes totius Orbis Epiſcopos, vel eorundem convocationi aſſenſum præbendo. Imperatores vero, qui ſuprema pollebant poteſtate civili, indixerunt Concilia Oecumenica non authoritate regiminis, ſed præſidii, ut Eccleſiæ laboranti ſuppetias ferrent, ut Canonum executores ſe demonſtrarent. Et ſic debent intelligi Hiſtoriographi, dum dicunt Imperatores Concilia convocâſſe, hoc enim dicendi modô non excludunt Pontifices, qui ſine auxilio Imperatoris haud potuiſſent Epiſcopos congregare. *Imò.* Quia legibus Imperii cautum erat metû ſeditionum, ne citra Imperatoris volun-

tatem ullus haberetur hominum Conventus. *2dò.* Quia Patres indigebant auxiliô Imperatoris, tam pro securitate itineris, quàm pro sumptibus, quos Imperatores Episcopis pauperibus debent suppeditare. Tandem Patres Concilii Nicæni I. apertis verbis testantur se a *Sylvestro* convocatos apud Rufinum citatum: *Temporibus Sylvestri ... factum est Concilium in Nicæa Bythiniæ & congregati sunt regulariter ejusdem Sylvestri vocatione .. .. Episcopi Catholici 318.* Quam veritatem ut everterent hæretici, mutilârunt textum Rufini qui sic est: *Ille ex sententia Sacerdotum & Sylvestri apud urbem &c.* Constantinop: I. non a *Theodosio* Seniore, sed a *Damaso* opera Theodosii convocatum satis indicant ipsi Concilii Patres, in Epist: ad Damasum: *Mandato literarum à superiori anno a Vestra Reverentia ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usq; faciendum nos præparavimus.* Ephesinum I. non à *Theodosio* Juniore & *Valentiniano*, sed eorum operâ à *Cœlestino I.* indictum colligitur ex *Cœlestini* ad *Cyrillum* Alex: lite-

literis, imò ex ipſa Concilii relatione ad Theodoſium: *Hæc antequam Sanctiſſima Synodus conveniret, Cæleſtinus I. magnæ Romæ Epiſcopus per literas ſuas indicaverat, Cyrilloq; ... ſuas vices ſubire commiſerat.* Chalcedonenſe non á *Marciano*, ſed a S. *Leone* M. indictum conſtat ex Epiſtola *Marciani* ad *Leonem*, quâ rogat, ut veniat, & ipſe Concilium faciat, vel ſi venire nolit, per literas ſignificet, quid agi velit. Et ex ejuſdem S. *Leonis* ad *Marcianum* Epiſtola, ubi ait: Literas dedimus *ad Fratres Co-Epiſcopos noſtros, iiſq; Concilium generale indiximus.* Imò ex ipſius Concilii facto circa *Dioſcorum* in prob: 2. allato. Quis ergo dicét ab Imperatore ſolo, non à Rom: Pontifice illud Concilium convocatum, vel aliud ante illud? Cùm clarè & manifeſté pronuntiet: *Id nuſquam licitum, nuſquam factum.* Aut Patres Chalced: quorum multi Epheſino Concilio interfuerant, ignorârunt id, quod moderni tam longè diſſiti, ut certum pronuntiant? abſit.

Reſp: 2. Convocâſſe authoritate propriâ, & hæc ſunt facta, non jura *conc.* & ſunt jura, *nego.* Ergo ſunt ſecernen-

da facta & jura, & ubi fexcenties legis, etiam in ipſa Conciliorum fronte convocatas ab Imperatoribus Synodos, hæc facta quidem, non ſtatim jura interpreteris; aut ſi jura, non ſtricta & primæva, ſed indulgentiæ, & Oeconomiæ plurimùm accomodata.

Inſtabis: Atqui ex jure competit Principibus adunare Concilia; ergo. *Prob.* In VIII. Concilio Oecumenico Vicarii Orientalium Sedium ſic loquuntur: *Scitis quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos ... quorum more ... Imperator noſter univerſalem hanc Synodum &c.* Ergo.

Reſp: ut ſupra. Hoc fecerunt ex conſenſu Eccleſiæ & indulgentia, non ex jure. Habemus vel ipſos Principes hanc confirmantes veritatem, nam *Valentinianus* poſtulantibus Epiſcopis poteſtatem Synodi, reſpondit apud *Soſomenum* lib: 6. c. 7. *Sibi, qui unus è numero laicorum erat, non licere ſe ejuſmodi negotiis interponere, & ideo Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ſeorſim ubicunq; eis libitum fuerit, conveniant* Concinit factum Regis Theodorici & Synodi Romanæ

III.

III. in causa Symmachi, quem ipse judicare noluit, sed permisit Pontifici Synodum convocare. Quod autem Concilium VIII. ex voluntate S. Pontificis *Hadriani II* congregatum sit, constat ex illius ad *Basilium* Imperat: Epistola, quæ inserta est Act: 1. *Volumus autem*, ait Pontifex, *per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium &c.*

Dices: Illis competit ex jure adunare Concilia, non Pontificibus, si isti ab illis potestatem adunandi postulant; atqui se ita res habet, ergo. *Prob: min:* Ex Epistola *Liberii* Pontificis ad Constantium Imperat: *Concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus*; ergò.

Resp: dist: Prob: Hoc dixit *Liberius* ad redimendam vexam, *conc:* Agnoscens in Principe hanc potestatem indepen. denter á Rom: Pontifice illud adunandi, *nego*. Ut jam dictum. Adunare Concilia ad solam ex jure spectat Ecclesiam, executio verò sæpe dependet á Principibus, qui violentiâ possunt præpedire Episcopos, ne ad locum accedant. Ergo *Liberius* convocabat Concilium, quia vero

à *Constantio* Arianorum fautore oppressus erat, necessitate compulsus exoravit executionem. Nec diffitemur *Constantium* motû propriô in gratiam Arianorum, & assignâsse, & convocâsse Concilia & quidem multa, sed quantas inde clades Ecclesia est perpessa, Historia Eccl: IV. Sæculi docet.

Oppones. Concilia particularia Germaniæ, Galliæ &c. non ab alio quam à Regibus fuerunt convocata, & tamen eorum Canones veneratur Ecclesia; ergo supponuntur ritè convocata, quamvis à Principe coadunata sint.

Resp: Hujusmodi Concilia non fuisse convocata à Regibus propria authoritate regiminis, sed de consensu vel Rom: Pontificis, vel Primatuum, aut Metropolitarum, quibus Concilia ejusmodi convocare jura concedunt Pontifices, imò sæpe præcipiunt. Ea, nisi ita foret, cur non posset quispiam dicere novissimum Concilium Trid: indictum fuisse à *Francisco* Rege Galliæ, à *Sigismundo* Augusto Rege Poloniæ &c. potissimùm a *Carolo* utriusq; Siciliæ, Hispaniarum, Indiarum Rege simul Imperatore, ipsis

namq;

namq; agentibus, imò urgentibus Concilium coadunatum eſt, præſertim *Carolô* ejuſdemq; Fratre Bohemiæ, & Hungariæ Rege *Ferdinandô*, poſtea Succeſſore *Caroli* in Imperio, ſed piiſſimi Imper: *Caroli* vox fuit: *Meum eſt Concilium petere, Pontificis autem indicere, & credenda proponere.* Apud P. Joan: Sto: 2. Relat: de Concil Trid:

Objic: 2. Act: 6. de duodecim Apoſt: dicitur: *Congregaverunt multitudinem Diſcipulorum* ad Concilium, pro diaconis eligendis; quibus verbis ſignificatur non ad ſolum Petrum, ſed ad omnes Apoſtolos pertinuiſſe convocare Concilium, proindè id modo pertinet non ad ſolum Pontificem, ſed etiam ad omnes Epiſcopos.

Reſp: Nego aſſum. Ex eo enim, quod Petrus cum undecim convocaverit Concilium, non ſit ſequela convocationem non fuiſſe factam authoritate Petri principaliter, qui erat illorum Caput, ſicut ſi nunc Papa convocaret Concilium cum Cardinalibus, quis hanc ſequelam inferret, convocationem non fieri principaliter authoritate Papæ.

CON-

CONSECTARIUM

Quamvis non ſit idem authoritas & conſenſus, attamen in eo, qui habet authoritatem aliquid faciendi in illud conſentire, eſt ejus authoritate fieri. Unde cum ſit penes ſolum Pontificem poteſtas convocandi Concilia generalia, ut probatum, idem eſt reſpectu illius præbere conſenſum convocationi Concilii, ac illud per ſeipſum convocare. Hæc intelligenda de certo & indubitato Pontifice, quia in caſu Schiſmatis, in quo forent dubii Pontifices, ut tempore Concilii Conſtantienſis erant *Gregorius XII. Joannes XXII. & Benedictus* XIII. dictus *Petrus* de Luna, Poteſt Eccleſia per Cardinales, & ipſis renuentibus, per reliquos Prælatos, nempe Regnorum Primates, convocare Concilium, ad ſuccurendum præſenti neceſſitati, nimirum ad providendum ſibi de certo Pontifice. Quodſi ulterius aliquid definiat in materia fidei & morum, aut in his, quæ ſpectant univerſam Eccleſiam, non erit ratum & firmum, niſi à ſequente Pontifice confirmetur; quid

quidquid dicant primarum ſeſſionum Concilii Conſtantienſis defenſores.

Objic 3. contra 2. partem. Jn primis Conciliis Orientalibus ſemper præſuêre Jmperatores, vel eorum Legati, & nuſquam S. Pontifices; ergo.

Reſp. nego Ant. Jd enim juris non habent Jmperatores, ſeq; non habere teſtatus eſt Conſtantinus M. in I. Concilio Nicæno, cum in eo nedum minimè præeſſet, ſed nec in eodem, quo Epiſcopi loco, ſedere voluerit, & publicè profeſſus fuerit, ſe non Epiſcopos judicare, ſed judicari debere. Quodſi primum materialem locum interdum tenuerint Jmperatores, dicuntur præſediſſe ad protegendum Concilium, & ſervandum ordinem, non ad definiendum, & ſtatuendum in rebus fidei & morum. Lubeat hic aliquid audire ex actis Synodi VIII. in qua Legati *Hadriani II. Donatus & Stephanus* ſemper primi loquuntur & ſubſcribunt; hinc Pontifex Epiſt ad Baſilium Jmp. ait: *volumus - - - celebrari Concilium, cui noſtri quoq; miſſi præſidentes &c.* Et act. 10. Legati ſic ſubſcribunt: *Ego* N. *locum obtinens Domini*

mini mei Adriani S. Pontificis & univerſalis Papæ, omnia, quæ ſuperius leguntur, huic ſanctæ & univerſali Synodo præſidens, uſq; ad voluntatem ejuſdem eximii Præſulis promulgavi, & manu propria ſubſcripſi. Jmperatores autem sic ſubſcribunt: *Baſilius, Conſtantinus, & Leo perpetuo Auguſti in Chriſto Dei fideles Principes Romanorum & magni Jmperatores, ſanctam hanc Synodum ſuſcipientes, & omnibus, quæ ab ipſa definita & ſcripta ſunt, concordantes ſubſcripſimus.* Hinc Nicolaus I. retundendo arrogantiam *Michaëlis* Jmp. Baſilii Prædeceſſoris in Epiſt. dicit: *Quaſi non & ipſi in Nicæa collectæ Synodo* (ſecundæ generali VII.) *noſtra fides præſederit.* Et de facto præſederunt *Petrus* Abbas, & *Petrus* Archi-Presbyter S. Petri nomine *Adriani* I. qui fuerat à *Conſtantino*, ejuſq; Matre *Jrene* rogatus, ut in orientem veniret ad præſidendum Concilio. Præſidebant ergo Jmperatores Conciliis, ut ſuô exemplô fidei dogmata teneri ſatagerent, inquit S. Thomas lib: 3. de Regimine Principum. *Nos*, ait Marcianus, Jmp. Act: 4. ad Patres Calced. *ad fidem confirmandam*

dam, tanquam fidei Defenſores, *non ad potentiam oſtendendam exemplo religioſiſſimi Conſtantini intereſſe* (non præeſſe) *Synodo voluimus*. Atq; verò ipſi Patres Calcedo. inter Pontificem *Leonem* & Jmperatorem hanc aſſignant diſcrepantiam in ſuo ad Leonem Reſcripto: *Tu vocis B. Petri omnibus inſtitutus interpres* - - - *Tu ſicut membris Caput præeras in his, quæ tuum locum tenebant* - - - *Jmperatores verò fideles ad ornatum præerant, ſicut Zorobabel & Jesus*. Concludamus oraculô S. Gregorii M. Epiſt. 1. *Scis Jmperator Sanctæ Eccleſiæ dogmata non Jmperatorum eſſe, ſed Pontificum* - - - *Jdcircò Eccleſiæ præpoſiti Pontifices; ſicut Pontifices à Reipublicæ negotiis abſtinentes, ut Jmperatores ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant.*

Dices. Nicæno I. Concilio *Sylveſter* non præfuit; ergo. *Prob*: *Ant*: 1. Epiſcopus, qui dextro ordine ſedit primus, quiq; allocutus legitur Cæſarem, eſt *Euſtathius* Antiochenus Patriarcha, ut refert *Theodoretus* lib. 1. c. 7. cui etiam *Proclus* Conſtantinopolitanus apud *Facundum* l. 8. c. 1. primatum in Synodo tribuit. 2. Jn Epiſtola Synodica Con-

cilii

cilii ad Ecclesiam Alexandrinam, legitur huic Synodo *Alexander* Patriarcha Alexandrinus præfuisse. 3. *Sosomenus* nullam facit mentionem de *Osio* Rom. Pont: Legato, nec *Theodoretus*. 4. Jdem *Sosomenus* primarios Orbis Episcopos referens ibi præsentes loco ultimo ponit Rom: Pontificem. Adde 5. *Launojus* Doctor Sorbonicus, non negat *Osium* è Nicænæ Synodi Præsidibus unum fuisse, sed contendit ipsum præfuisse non propter Rom: Pontificis vices sibi demandatas, sed propter celebritatem nominis, & meritorum præstantiam; ergo.

Resp. nego ant. Præfuit enim per Legatos *Osium* Cordubensem, *Vincentium* & *Vitum*. Ad prob. 1. S. *Eustathius* dicitur ab Historicis primus doctrinâ, & eloquentia nusquam authoritate. Ex loco dextro nihil probatur, imo contrarium sequitur; nam sinister locus erat dignior. *Ad* 2. *Alexander*, quoad aliquid in rebus facti praeesse dicitur, utpotè qui causam *Arii* præ cæteris habuit exploratam, non authoritate. Audiatur *Cedrenus* in compendio Hist: *Præerant ei*

(Sy-

(Synodo) *Sylveſtri Papæ Romani locum tenentes Vitus & Vincentius Presbyteri. Metrophanes Bizantii, Alexander Alexandriæ, Macarius Jeroſolymorum Epiſcopi.* Ad 3. Hi quidem non nominant, benè tamen alii, ut *Gelaſius* Cyzicenus lib. 2. Hiſt: Synodi Nicænæ cap. 5. diſertis verbis, *Oſium, Vitum, & Vincentium* Sylveſtri Legatos nominat. At cúm præfati Hiſtorici *Vitum & Vincentium* nominent, non ſunt nobis contrarii. Ad 4. *Soſomenus* Epiſcopos inverſô ordine numeravit, quod Hiſtoriæ veritatem non evertit, cum hoc familiare ſit non ſolum Eccleſiaſticis, ſed etiam ſacris Scriptoribus. Sic in Proceſſionibus Epiſcopus claudit Cætum, & ultimô loçô progreditur. Ad 5. *Launojus* in hoc fallitur: Quis enim çredet *Oſium* mediocris Eccleſiæ in Hiſpania Epiſcopum Cordubenſem ante Legatos Sedis Apoſtolicæ, ante Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, ante totius Eccleſiæ Affricanæ Primatem *Cæcilianum* in Oriente, in aliena provincia, ob ſolius nominis celebritatem, primas partes habuiſse in Concilio Oecu-

cu-

cumenico, in quo, quod nec ipse *Launojus* negare potest, non nominis celebritas, sed *Hierarchicus* ordo promicare debet. Aderant in Concilio Nicæno multi Episcopi, *Osio* aut æquales, aut etiam superiores meritis. Erat namq; *Paphnutius* dextrô oculô effossô, & sinistrô poplite succisô, olim à Maximiano ad metalla damnatus; erat *Patamon* Sacris stigmatibus in persecutione decoratus; erat Paulus qui multa in persecutione *Licinii* passus;erat *Spiridion* Cyprensis, Prophetiæ & miraculorum donis conspicuus; *Jacobus* Nisibis Episcopus mortuorum suscitator; *Nicolaus* Myrensis & alii jam numerati sanctimoniâ & doctrinâ clari, ac de Christiana Religione optime meriti. Cum igitur isti Episcopi *Osium* vel æquarent, vel superarent meritis, non potuit *Osius* ob solam nominis celebritatem. & meritorum præstantiam præesse Concilio Nicæno, sed potius eo solo nomine ei præfuit, quia legatione S. *Sylvestri* Rom. Pontificis fungebatur.

Ratum ergo maneat Pontificis Rom. Petri Successoris, & Christi Vicarii proprium

prium esse, Conciliis generalibus præsidere, ut ad rem dicit S. *Cyrillus* Alexan. olim in causa Nestorii Apostolicæ Sedis constitutus Vicarius, apud *S. Thomam* in Opusculo contra errores Græcorum cap. 68: *Apostolo Petro tanquam DEI locum tenenti, darent locum in omni Capitulo, & Synagoga, in omni electione & affirmatione.*



ARTICULUS II.

Qui sunt de jure convocandi ad Concilium?

Quadruplex est hominum genus, qui Conciliis interesse possunt & solent. 1. Alii sunt ut Judices, habentes suffragium decisivum, ut Episcopi. 2. Alii ut Jurisconsulti, habentes suffragium consultivum, ut Viri docti. 3. Alii ut Ministri, seu ut ministerium impendant aliquod Concilio, vg. Notarii, Janitores, aliiq; Officiales. 4. Alii intersunt, ut Concilii Defensores, caventes, ut in eo pacatè fiant omnia, ejusq; decreta executioni mandentur, ut Principes. Nunc ergo quæritur *quinam convo-*

vocandi ad Concilium ut habentes ſuffragium deciſivum? Proteſtantes communiter Duce Lutherô volunt omnes peritos etiam Laicos jus habere ſuffragii decisivi; alii, ut Brentius & Calviniſtæ ſolos Electos utpotè ſolos ad Ecclesiam pertinentes, opinantur, alii omnes curam animarum habentes etiam Parochos de jure vocandos eſſe. Contra quos.

§ I.

Reſolvitur quæſtio.

Populus nullam habet in iis, quæ fidei & morum ſunt, definiendis authoritatem, neq; Presbyteri simplices, ſed ſoli Epiſcopi, proindè hi ſoli ut Judices ad Concilium generale de jure vocandi ſunt.

Probantur 1. omnes simul partes: Ex communi Ecclesiæ praxi, quâ conſtat in antiquis omnibus Ecclesiæ Conciliis, neq; populum, neq; Presbyteros admiſſos eſſe ad ſuffragium, ſed ſolos Epiſcopos tanquam Judices definientes ſubſcripsiſſe hâc vel simili formâ: *Ego N. Epiſcopus definiens ſubſcripſi.* 2. Ex illo celebri Patrum Concilii Calced. dicto:

mit-

mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est. 3. Ut quis sit ad Concilium de jure vocandus ut Judex, jurisdictionem Spiritualem in foro externo habeat, necesse est; cùm in Conciliis vel damnari soleant hæreses, vel condi Canones pro reformatione morum & disciplinæ, vel privatorum Episcoporum aut aliorum causæ judicari, qui omnes actus sunt, externæ jurisdictionis actus; atqui soli Episcopi & nulli alii, sive Parochi, sivè Docti, sive Imperatores, sive Reges, & cujuscunq; alterius dignitatis Laici, habent hujusmodi jurisdictionem. Nam hi tantum talem habent jurisdictionem, quos enumerat Apostolus ad Ephes: 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Parochi autem, multominus Laici de numero eorum non sunt. Hinc *Theodosius* Junior in Epist. ad Synodum Ephes. hæc habet: *Illicitum est eum, qui non est in ordine Sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Cúm Comitem

loco ſui Epheſum miſiſſet, ea ſolúm conditione miſiſſe ſcribit, ut pro rebus religionis, quid commune habere ſe non jactitaret. Sic enim habetur tom. 3. Conc Labb. *Igitur Candidianum - - - ad ſacram veſtram Synodum abire juſſimus, ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat.* Eodem modô loquitur *Baſilius* in Concil: VIII. generali apud eundem Tomo 8. *Laicorum*, ait, *cuiq; nulla ratione de Eccleſiaſticis cauſis diſputandi - - - fas eſſe dico. Nam Laicus etſi omni pietatis & ſapientiæ laude præſtet, tamen Laicus eſt, ovis, non Paſtor.* Hinc teſtatur S. Auguſt. Epiſt. 43. novæ edit. Donatiſtas ad ſe contra Epiſcopos Synodi Rom. in qua, ut Calumniatores damnati fuerant, provocantes repuliſſe, Conſtantinum. *Neq; enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum - - - quærelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret, ſed alios, ut dixi Epiſcopos dedit.* De eodem momento ſcribens Optatus Milev. lib. 1. contra Parm. Conſtantinum Donatiſtas sic alloquentem inducit:

cit: *O! rapida furoris audacia! Sicut in causis Gentilium - - - appellationem interposuerunt.* Paganismum ergo sapit, Constantinô teste, laicis causas fidei committere. Audiant hæc prætensæ reformationis authores, sibiq; judicium piissimi Imperatoris applicent. Huc pertinent ea, quæ § 2. præc. de Valentiniano, Marciano, Imperatoribus dicta sunt; ergo. *Confirmatur & Prob:* specialiter 1. pars. 1mo. Ecclesia est corpus ex Capite & membris constans, ita ut soli Capiti membra regere conveniat, ipsa verò Capiti subjici, ut habetur Rom. 12. Rursus membra non eundem actum habent, quædam assumuntur in regiminis solicitudinem, quædam veró in famulando & obediendo solùm incumbunt; sed sine dubio non populus, sed soli supra populum eminentes ad hoc à Christo assumpti, qui Math: 16. solum Petrum Ecclesiæ Caput instituit, tum 12. Apostolos quibus succedunt Episcopi: *Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit,* Lucæ 6. qui etiam Ephes. 2. dicuntur Ecclesiæ fundamenta, ubiq; altum silentium de populo, propterea

dicit Paulus 1. Corint: 12. *Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Prophetæ?* Petro, non populo dicitur: Joan 21. *Paſce agnos meos, Paſce Oves meas.* Apoſtolis non populo Math. 28. *Euntes docete omnes*, Epiſcopis non populo. 1. Petri 5. *Paſcite, qui in vobis eſt gregem DEI* 1. Timoth 6. *Timothee depoſitum cuſtodi*; ergo. 2. Cum ratione ſana pugnat, ut oves regant Paſtorem; inverſus ordo, si ſubditi imperant Principi; ſubvertit ordinem Hierarchicum in Eccleſia dominium plebis in Epiſcopos; ſed hæc omnia evenire neceſſe eſt, si ſemel populus habeat authoritatem definiendi res fidei; ut taceam omnibus hæreſibus, ſchiſmatibus ad libitum ſentiendi libertatis januam aperiri: *Neq; enim*, ait S. Cyprianus Epiſt; 55. ad Cornelium, *hæreſes obortæ ſunt, & nata ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos vice Chriſti cogitatur.*

§ II.

Solvuntur objectiones.

Obj: 1. In Concilio Apoſtolico Act: 15. *Convenerunt Apoſtoli & Seniores vi-*

videre de verbo hoc; atqui per Apoſtolos intelliguntur Epiſcopi, per Seniores ætate provectiores, qui erant Laici, ergò Laici æquè ac Epiſcopi &c.

Reſp: 1. nego 2. p. min: Nam per tò *Seniores* intelliguntur *Presbyteri*; ſic enim vertit tranſlatio ex Syriaco, & *Eraſmus* Roterod: cui multum tribuunt proteſtantes, utpotè apud illos non ſuſpecto. Et quamvis certum non ſit, hos Presbyteros fuiſſe Epiſcopos vel ſimplices Sacerdotes. eſt tamen probabile Epiſcopos fuiſſe, ſiquidem ipſe Princeps Apoſtolorum per hanc vocem *Presbyteri* intelligit Epiſcopos 1. Epiſt: cap: ult: dicens: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior.*

Reſp: 2. Suppoſito quod per *Seniores* intelligantur ſimplices Sacerdotes, *diſt: mai.* Convenerunt Apoſtoli & Seniores videre eodem modo, & æquali poteſtate, *nego.* diversâ *conc:* Convenerunt ergo Apoſtoli ut Judices ad definiendum, Presbyteri ut Conſultores ad diſcutiendam controverſiam juxta illud: *Cum magna disquiſitio fieret.* Hoc namq modô Presbyteri ſimplices, imo

Diaconi ſapientiâ & eruditione prædiditi, ad Conſultiva ſuffragia admiſſi ſunt in Conciliis. Sic *Origenes* in Concilio Arabico, *Malchio* in Antiocheno, *Athanaſius* Alexandrinus Diaconus in Nicæno, in ſubſequentibus Conciliis generalibus, Occidentis præſertim plures alii, in Lugdunenſibus I. & II. Conſtantienſi, Florentino, tandem Tridentino quàm plurimi admiſſi ſunt.

Dices: Ibidem Act: 15. dicitur: *Placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia eligere viros*; atqui per illa verba ſaltem, *cum omni Eccleſia* intelligitur multitudo fidelium, qui erant in Concilio; ergò non ſolùm Epiſcopi, neq; ſoli Presbyteri, verùm etiam Laici in Conciliis, habent ſuas partes.

Reſp: diſt. min. Intelligitur multitudo fidelium, qui erant in Concilio, tanqùam motû propriô præſentes, ut definitioni aquieſcerent, *conc*: tanquàm Judices & convocati, *nego*. min Diſt: conſeq: habent ſuas partes (Laici) conſultandi aut definiendi, *nego*. definitis acquieſcendi, *conc*: Nam illa electio mittendorum Antiochiam cum decre-

creto Collegii Apoſtolici facta eſt à ſolis Apoſtolis & Epiſcopis, qui utiq; ſoli ſcribebant Epiſtolam: *Apoſtoli & Seniores Fratres &c.* per quem titulum innuitur per nomen *Seniores* Epiſcopos fuiſſe deſignatos, qui ſecundùm phraſim Eccleſiæ ſoli in rigore ſunt Apoſtolorum Fratres, cùm ſimplices Presbyteri ſint eorum filii.

Inſtabis Concilium generale univerſam repreſentat Eccleſiam; ſed Eccleſia eſt omnium fidelium Cætus; ergo ut Concilium ſit generale, debet moraliter tota convenire multitudo.

Reſp:: 1. Diſt: mai: Concilium generale repræſentat totam Eccleſiam per primos Eccleſiæ Paſtores, *conc*: Per alios fideles, etſi doctos, *nego*. Illos namq; non hos Spiritus S. poſuit *regere Eccleſiam Dei*. Reſp: 2. Datis præmiſſis, nego conſeq; Sic enim deberet concludere Lutherus; ergo ut Concilium ſit generale debet repræſentare omnem fidelium Cætum. *Tunc ſubſumo*; atqui omnis & totus fidelium Cætus repræſentatur per corpus Paſtorum; nam quilibet Epiſcopus perſonam gerit ſuæ

Ec-

Ecclesiæ, quô ſenſû S. Cypr: Epiſt: 69. dicit: *Eccleſia eſt in Epiſcopo*. Unde S. Auguſt: lib: 1. de Bapt: c. 18. aſſerit: Concilium plenarium, in quo ſoli ſederunt Epiſcopi, eſſe totius orbis conſenſum.

Inſiſtes: Cauſa communis ab omnibus tractanda eſt juxta regulam Juris: *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari;* atqui cauſa fidei communis eſt omnibus fidelibus; ergo cauſam fidei omnes debent decidere fideles; proindè ſunt in Conciliis generalibus Judices.

Reſp: diſt: maj. Quando ad omnes ex æquo pertinet; & ſic tractanda prout ad ſingulos pertinet, *conc*: æqualiter ab inæqualibus tractanda eſt, *nego Diſt: min.* atqui cauſa fidei ad omnes æqualiter pertinet, *nego*, inæqualiter, *conc*: & nego conſeq; Cauſa fidei pertinet ad Epiſcopos ut Judices & Depoſitores, & Doctores, ac magiſtros, ad alios fideles, ut Diſcipulos Epiſcoporum. Horum igitur eſt munus definire, fidelium verò definientes audire, & res auditas credere.

Ad-

Addes Laicos plerumq; esse doctiores Episcopis; ergò in Ecclesiæ Conciliis, ubi de firmanda fide agitur, jus suffragii habere debent.

Resp: Dato ant: nego conseq; Aliud enim judicium merè doctrinale, quod pendet ab eruditione & doctrina; aliud est judicium decisivum, quod pendet ab authoritate & jurisdictione; Cùm ergo Laici habere non possint judicium illud decisivum, quod pendet ab authoritate & jurisdictione, cum hæc duo non habeant, sequitur eos nec in Conciliis Ecclesiæ jus suffragii habere posse.

Obj: 2. Testimonium fidei repeti debet etiam immediatè à populo fideli; ergò. *Prob:* *Ant:* Fides populorum est certum veritatis signum; ergo.

Resp: ad Prob: dist: ant: Fides proposita per legitimos Pastores & accepta, est certum veritatis signum, *conc:* non priùs proposita per articulorum fidei determinationem, *nego.* Nemo negat, fidem populorum esse aliquod veritatis signum, cùm enim multi moribus benè instituti, & sicut charitate ita fide conjuncti, religionem Christi,

ad-

ab omni vitiorum fæce, immunem ſervent, & profiteantur, in eis adeſt, & veritatis Evangelicæ teſtimonium, imò & pro Gentilibus credibilitatis motivum; hinc teſte Pliniô Juniore Trajanus Imp: ceſſare fecit perſecutionem motam in Chriſtianos, cùm inculpatam Chriſtianorum vitam eſſe intellexiſſet, ſed non eſt judicium fidei: quoniam Chriſtus non populò, ſed Petro promiſit, ut non deficiat fides ejus. Quoniam in difficili & ambiguo judicio non ad populum, ſed Sacerdotem Levitici generis in veteri Lege Deut. 17. fieri debebat recurſus, à fortiori in nova Lege.

Dices: Apoſt: 2. Corint: 3. populi fidelis cætum ſic alloquitur: *Epiſtola noſtra vos eſtis*, & ibidem, *manifeſtati quòd Epiſtola eſtis Chriſti*; atqui manifeſtum teſtimonium alicujus rei ſumitur ex Epiſtola; ergò populus fidelis eſt regula fidei, conſequenter *&c.*

Reſp: diſt mai: Epiſtola noſtra ad judicandum de fide, *nego*. ad diſcernendum inter bonos & malos miniſtros, *conc*: Apoſtolus nullo modô dicit po-

pu-

pulum fidelem esse regulam fidei, per quam controversiæ definiantur, sed tantùm ponere discrimen inter bonos & veros ex una parte, ex altera inter malos sive falsos ministros, nomen Christi prædicantes; quasi dicat Pseudo-Ministri indigent commendatione, quali ego non indigeo, utpotè vobis notus & manifestus per opera & conversationem meam. Et hoc est, quòd dicit: *aut numquid egemus nos*, veri Ministri, *sicut quidam*, scilicet pseudo, *commendatitiis Epistolis*, id est laudibus missis *ad vos*, ab aliis, *aut ex nobis*, aliis missis. Ideo statim causam hujus assignans subdit: *Epistola nostra vos estis*; quasi dicat, ego bonas literas habeo, non indigeo aliis. *Scripta in cordibus nostris*, id est semper vos in memoria habemus, scientes vestra erga nos officia, vestram fidem, quam accepistis à nobis, & acceptam conservastis puram. His omnibus Apostolus declarat curam, quam Pastores habere debent de ovibus, quæ certò Novatorum causam nullo modo juvant. Sed. Addit Apostolus: *Quæ*, Epistola, *scitur & legitur ab omnibus homini-*

minibus. Scitur, ait S. Thomas Lect: 1. in Caput 3. Epiſt: 2. ad Corint: inquam, quia per nos inſtituti eſtis & converſi, quod nullum latet; legitur autem, quia exemplô noſtri, etiam alii imitantur vos. Cujus autem hæc ſit Epiſtola, ſic oſtendit; quia Chriſti, hinc dicit: *manifeſtati quoniam eſtis Chriſti*, id eſt, à Chriſto informati & inſtructi, ſcilicet principaliter & authoritativè. Hinc patet ad min: & negatur conſeq;

Petes. 1. Quid requiritur ad legitimam convocationem Concilii generalis?

Reſp. 1. Requiritur, ut hæc convocatio fiat ex authoritate S. Pontificis vel convocantis Epiſcopos, vel convocationi ab alio factæ aſſentientis. Patet ex dictis.

Reſp 2. Non requiritur, ut omnes totius Orbis Epiſcopi ad locum Concilii conveniant. Patet ex praxi; nam in nullo Concilio generali poſt ſæculum III. celebrato omnes totiùs Orbis Epiſcopi adfuerunt. In Nicæno namq, I. aderant ſolum 318. In Conſtantinop. I. gener. II. 150. In Ephesino gen. III. juxta plures 220. In Calcedon. gen. IV. 630.

cir-

circiter, quia duplo Patrum major numerus dicitur. Nicæni Concilii Patrum numero. In Conſtantin. II. gen. V. 155. vel ſecundùm alios 165. In Conſtant. III. gen. VI. 289. ſecundúm Theophanem & Cedrenum in Annalibus, ſecundum Photium 170. lib. de Synodis; in Actis Synodi Act. ult. reperiuntur 160. In Nicæno II. gen. VII. 360. vel 350. ſecundum alios. In Conſtantin. IV. gen. VIII. 383. Et hæc ſunt Concilia generalia in Oriente celebrata, in quibus pauci aderant Latini Epiſcopi, viciſſim in ſubſequentibus, quæ in Occidente coadunata ſunt, pauci aderant Græci.

Reſp 3. Non requiritur numerus certus & determinatus Epiſcoporum. Nam ut jam dictum, in aliis plures fuerunt, in aliis pauciores. Requiritur ergo & ſufficit 1. ut convocatio ſit generalis ita ut omnibus majoribus Eccleſiæ Provinciis innoteſcat. 2. Ut nullus excludatur Epiſcopus, niſi ſit excommunicatus. 3. Ut ex majori parte Provinciarum Eccleſiæ aliqui veniant, qui cæterorum vota & vices ſuppleant, ita tamen, ut ſi celebretur Concilium in Oriente,

ſuf-

ſufficiat multos Orientalium convenire, & aliquos ex Provinciis Occidentis; viciſſim si in Occidente.

Petes 2. Quô jure admittuntur ad Concilia generalia S. R. Ecclesiæ Cardinales?

Reſp. Cardinales vel ſunt Epiſcopi vel non? si Epiſcopi, de jure & vocantur, & admittuntur ut Epiſcopi. Si non ſunt Epiſcopi, ſed Presbyteri vel Diaconi, ſunt etiam ut Cardinales, si non de jure, ſaltem ex conſvetudine uſû recepta & approbata pariter vocandi, & merito 1. quia ipsi ut Cardinales & S. Pontifici Collaterales, licet non Epiſcopi, ob amplitudinem ſuæ dignitatis & aſſiſtentiam, ſunt Epiſcopis ipsis majores, ut habetur ex cap. *Ad Apoſtolicæ de judiciis* in 6. Et ex Clem. *Paſtoralis eodem titulo.* 2. Quia Cardinales in ſuis titulis jurisdictionem habent Epiſcopalem, ut conſtat ex Cap. *Iiſq; de Major. & Obed.*

Idem dic de Abbatibus & Generalibus Ordinum, qui in Conciliis admittuntur ad Suffragium definitivum non jure Divinô ſed Ecclesiaſticô, ut ſcili-

cet

cet repræſentantes ſuos ſubditos, ex privilegio priori à jurisdictione Epiſcoporum exemptos, hocq; practicatum legimus in Conciliis gen. præſertim Conſtantiensi, Florentinò, Lateranensi ultimo, & Tridentino. Nihiloſecius ante ea tempora admiſſi ſunt aliquando in Conciliis Occumenicis; in Concilio Nicæno II. Act. 4. ſubſcriptos legimus una cum Epiſcopis, *Archimandritas*, id eſt Abbates, & regulares Prælatos. In libro quoq; Pontificali ſtatuitur, ut qui ab Epiſcopis benedicuntur Abbates, ſe jurejurando adſtringant, accedendi ad Concilium, quotieſcunq; â Papa vocabuntur.

CONSECTARIUM.

1. Solos Epiſcopos, cum iis qui privilegium habent vocis, in Conciliis gaudere jure ſuffragii decisivi ſubordinatos tamen S. Pontifici hi enim poteſtatem ligandi & ſolvendi habent annexam Epiſcopatui, & aliundè decretis ſubſcribere ſolent, *Ego N. definiens, aut judicans ſubſcripſi.* Nec refert quod S. Pontifices dicere ſolent. *Sacro approbante*

Con-

Concilio, vel *de Fratrum noſtrorum Conſilio*, quia equidem Epiſcopi & approbant & consilium dant, ſed id non ſolúm præſtant, ſed etiam judicant cum Pontifice. Dicit Pontifex de eorum consilio non judicio, quia consilium ab eis accipit, non judicium, nec judicandi poteſtatem, quam à ſolo DEO habet. Dixi *ſubordinatos Summo Pontifici*. Quia S. Pontifex ſedet in Concilio non ut simplex Præſes, ſed ut Princeps. Principi autem ſubordinantur Judices in Senatu. Sic Pontifex non tenetur ſequi majorem partem Epiſcoporum judicantium in Concilio, ſed poteſt ſua authoritate utens, illorum judicium, dùm à veritate devient, irritare, sicut irritavit Concilium Ephesinum. II. Ariminenſe, & Canonem 28. Concilii Calced: Sic Julius I. cum aliquibus Epiſcopis omnes Arianorum Pſeudo-Synodos exſufflavit, Athanasium obſtrepente Arianorum multitudine, in propriam reſtituit Sedem, & fidem Nicænam immaculatam defendit. Sic *S. Hilarius* & aliqui pauciores adhærentes S. Pontifici in Concilio Seleuciæ Arianos &

Se-

Semi-Arianos ſuperârunt. Sic S. *Augu-ſtinus* multis in locis docet S. *Stephanum* Pontificem prævaluiſſe contra Rebaptizantes & eorum Concilio. Sic S. *Athanaſius* expreſſè docet, *Tractatû* ad eos, qui volunt ſemper ad multitudinem attendere, quandoq; pauciori numerô eſſe cedendum; hinc ipſe non ſemel, ſpretis Arianorum Conciliis, ad ſolum S. Pontificem confugiebat, qui adunatis aliquot Epiſcopis cuncta ſubvertebat, in gratiam tanti Epiſcopi, hæreticorum ſævientium molimina. Et nisi res ita ſe haberet 1. Petra ſupra quam Chriſtus ædificavit Ecclesiam nutaret; concuſſo autem fundamentô, ruit ædificium. 2. Multitudo Acephala prævaleret, cùm illa numero plurali gaudere velit, & in eis foret corpus Ecclesiæ monſtruoſum. Quæ quam abſurda ſunt, quis non videt? Hinc præclarè ait *Canus* lib. 5. de Author. Conc. *Pondus Concilio dat Summi Pontificis gravitas & authoritas, quæ ſi adſit centum Patres ſatis ſunt, ſin deſit, nulli ſunt ſatis, ſint quamlibet plurimi. Nec ſi major pars Patrum vere ſentiat, Summus Eccleſiæ Pontifex repugnabit; Id enim ad*

peculiarem Christi procurationem pertinet, semperq; pertinuit, ne Ecclesia in factiones duas dividatur; nec Romanus unquam Episcopus contra Patres Concilii verè sentientes dixit. Hæc ille.

2. Clamorem & vocem populi in rebus fidei definiendis supervacaneam esse, sivè talis vox consideretur ante definitionem, sive concomitanter, sivè etiam consequenter. Et verò si antecedenter inanis est, nam populus petit & expostulat ab Ecclesia definitionem, unde nihil adhuc determinat vox populi: Si concomitanter, ipsa populi vox, ipsum ejus judicium, utpotè inter se diversum est materia judicii, minimè verò vox & judicium definiens. Sed neq; prodest magis, si consequenter spectetur, quandoquidem facta vel á S. Pontifice vel Concilio Oecumenico definitione, nulli sub interminatione anathematis licet revocare in dubium, quod semel canonicè definitum est de fide. Hanc regulam ipsi Calvinistæ, revera convicti in Pseudo-Synodo Dordrectana secuti sunt; mota quippè circa Prædestinationem controversiâ (vide

apud

apud Florimundum, Remundum & alios) inter Gomarem & Ariminium, apud Batavos Professores, priore propugnante prædestinationem necessitantem ex sententia Calvini, ante prævisa merita; altero vero è contrà & in sensu Semipelagianorum, sub magnis prohibitum est pænis, nè quis adversus prædestinationem necessitantem insurgeret, eò, quòd eam sic Synodus esse definivisset. Mox in *Hugonem* Grotium, postea ad Catholicorum castra transeuntem, & alios, animadversum est.



ARTICULUS III.

Utrùm Concilium generale sit infallibile in definitionibus?

Lutherus & Calvinus dum suorum errorum partem plurimam in antecessum in Conciliis prædamnatam probè scirent, imminensq; Tridentinæ Synodi judicium prævidérent, nulla meliori viâ rebus suis prospectum iri existimârunt, quàm si Conciliorum Oecumenicorum supremam indeficientemq; ve-

ritatem inficiarentur. Suorum Magistrorum arrogantiam imitantes moderni Sectarii tanquam pro aris suis, focisq; pugnant, ut inerrantiæ & infallibilitatis privilegiô Concilium generale privent.

Porrò quæstio non movetur de rebus temporalibus, imò nec de particulari disciplina; conveniunt enim Theologi communiter, Ecclesiam tametsi in Concilio congregatam non esse circa illa momenta infallibilem; sed tantum de rebus ad fidem & mores spectantibus. Suppono quoq; Concilium non Acephalum, sed approbatum & S. Pontificis calculo munitum. Unde.

Dico: Concilium generale legitimè congregatum & confirmatum á Summo Pontifice, est infallibile in definiendis quæstionibus fidei & morum. *Assertio sequitur ex dictis, supra;* Ecclesiam nempe, credentem sive docentem non posse errare, cùm generale Concilium sit ipsa Ecclesia, ut potè eam repræsentans, & ex iis quæ allata sunt pro infallibilitate S. Pontificis ex Cathedra definientis, Cùm enim S. Pontifex Concilii Caput sit, quô modô fieri poterit,

ut

ut illud erret, habens præſidem talem, qui inerrantiæ privilegió eſt donatus a Chriſto.

Prob: Quod Chriſtus, promiſit, quod omnium ſæculorum propugnaverunt Patres, hoc citra dubium ut inconcuſſa veritas teneri debet; ſed Chriſtus promiſit infallibilitatem Concilio generali legitimè adunato, eandem Patres docent & agnoſcunt; ergo. *Prob*: *min. quoad 1. partem 1.* Chriſtus promiſit portas inferi non prævalituras adverſus Eccleſiam Math: 16. atqui defacto prævalerent, ſi Concilium generale infallibile non eſſet; Si enim quidquam contra ſidem aut mores deſiniret, quis non videt totam Eccleſiam hôc ipſô in errorem duci, quò enim caput ſe inclinat, & aciem ſuam oculi dirigunt, eo totum corpus ferri eſt neceſſe. 2. Chriſtus infallibilis in dicendo & loquendo promiſit ſe adfuturum in Conciliis generalibus, jam Math: 18. *Ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum;* hoc porro intelligendum eſt maxime de congregatione totius Eccleſiæ. Jam Math: 28. *Ecce vobiſcum*

ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi. Tum Joan: 16. *Spiritus docebit vos omnem veritatem*; atqui hæc promiſſio inanis foret, ſi Concilium generale infallibile non eſſet; ergo. *Prob: min: quo ad 2. partem.* S. Athanaſius fidei Nicænæ Vindex Epiſt: ad Affricanos ait: *Verbum Domini per Oecumenicam Nicææ Synodum manet in æternum.* S. Ambr Epiſt: 32. *Sequor Tractatum Nicæni Concilii, a quo nec mors, nec gladius me poterit ſeparare.* S. Gregor: M. lib: 1. Epiſt: 24. Quatuor prima Concilia, ſe veluti quatuor Evangelia venerari, & pari honore V. Synodum Oecumenicam habere teſtatur. Plures Patres ſupra adduximus, alios vide fuſê apud V. Bellarminum lib: de Conciliis.

Pro intelligentia textus Math: 18. in prob: citati rectè obſervat Sylvius; aliquos poſſe dupliciter in nomine Chriſti convenire. 1. Si conveniant in bonum finem & animô Chriſtianô. 2. Si authoritate Chriſti conveniant, quod fit cum authoritate ejus Vicarii conveniunt, & quæ definiunt, ejus authorita-

ritate firmantur. Qui priori modò conveniunt in nomine Christi, ut in Conciliis Provincialibus, Christus adest in medio eorum ut adjutor, non ut infallibiliter definiant, sed ut diligenter rem discutiant, etsi contingat eos errare, a Capite infallibili erudiuntur & in veritate firmantur. Qui verò posteriori modô conveniunt in nomine Christi, Christus eis adest ut infallibiliter definiant, quia S. Pontifici, & Ecclesiæ promisit infallibilitatem.

Objic: Concilium Nicænum est generale, atqui illud tantæ authoritatis non est ut censeatur infallibile, ergo. *Prob. min.* S. Aug: lib: 3. contra Maximin: dicit: *Nec ego debeo Nicænum, nec tu Ariminense tanquam prædicaturus proferre Concilium, nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris;* ergo.

Resp. His S. Doctor infallibilitatem laudati Concilii non negat, cum 1. dicat, *nec ego hujus* nempe Ariminensis, *nec tu illius* Nicæni *Authoritate detineris.* 2. ait: *Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno adversus Arianos a Catholicis Patribus veritatis authoritate firmatum est.*

eſt. Proinde ſic loquitur S. Doctor, quia fruſtra laboraſſet, ſi authoritate Concilii Nicæni premere voluiſſet Maximinum, qui illud rejiciebat, ut illegitimum, & Concilium (intellige poſt lapſum Patrum) Ariminenſe admittebat ut legitimum. Cùm ergò tunc Auguſtino non erat oportunum Nicænum legitimum eſſe probare, & Ariminenſe ſpurium, ſuperſedit ab Actis utriusq; ut Scripturæ authoritate controverſiam proſequeretur.

Dices: Idem S. Aug. lib. 2. de Bapt: c. 5. dicit: *Plenaria Concilia priora a poſterioribus emendari poſſe*: atqui quod emendari poteſt, errori eſt obnoxium; ergo innuit S. Doctor Concilium Nicænum infallibile non eſſe.

Reſp. diſt: maj. Emendari in iis, quæ ſunt fidei, *nego;* quæ ſunt facti & diſciplinæ, ac rerum experimentô cognoſcuntur, *conc*. Unde S. Aug. addit; *Cum aliquo experimentô rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat*. Quod certè ad fidei & morum veritates non ſpectat, quæ non rerum

ex-

experimentô ſed Verbô Dei ſcripto & traditione innoteſcunt.

Inſtabis. S. Greg: Nazian. Epiſt: 55. abhorret ab omni Concilio: *hoc*, ait, *animô ſum, ut omnem Epiſcoporum Conventum fugiam, quoniàm nullius Concilii finem lætum & fauſtum vidi*; atqui hoc S. Præſul non diceret; ſi &c. Ergo.

Reſp. Intelligenda hæc ſunt de Conciliis illegitimis, qualia fuerunt Concilia Arianorum ſub Conſtantio, in quibus non dabatur Catholicis libertas ſuffragiorum, quale fuit Mediolanenſe, Ariminenſe &c. Jpſo vivente duo fuerunt Concilia generalia celebrata, primum Nicænum, quod magnis commendat laudibus Orat. 32. Alterum Conſtantinopolitanum I. cui ipſe adfuit.

Oppones. Concilium Conſtantinopolitanum II. a plurimis & magnis Eccleſiis Affricanis Hiſpaniarum, Galliarum, Jſtriæ, & aliquibus Italiæ longo tempore non fuit receptum; atqui veritas infallibiliter definita ab omnibus recipi debet; ergo laudatæ Eccleſiæ illud Concilium infallibile non agnoverunt.

Confirm: Canones Trullani varios

con-

continent errores; atqui hi Canones à Concilio Oecumenico VI. fuerunt editi; ergo.

Resp. dist. mai. Non fuit receptum, eo quod errore facti non crediderint præfatæ Ecclesiæ illud Oecumenicum esse, *conc.* secùs, *nego.* Vide Tractatum de Incarnatione ubi agitur de tribus capitulis in citato Concilio damnatis.

Ad conf. Nego min. Nam Concilia V. & VI. nullos Canones ediderunt, ut ipsi Græci Epistolâ ad Justinianum II. Jmperat: testantur. Jlli ergo Canones conditi fuerunt a solis Orientalibus, qui post absolutam Synodum VI. à Justiniano II. convocati convenerunt in Palatium *Trullus* dictum, ibidem Concilium habuerunt, quod *Trullanum*, *Erraticum*, & *Quinto-Sextum* dici solet, atq; sub prætextu supplendi Synodos V. & VI. Canones 102. ediderunt. Sed quoniam Rom: Pontificis defuit præsidentia, nec hos Canones unquam approbare voluit, ideo non habent Concilii generalis authoritatem. Nec.

Dicas 1. Adrianus Pont. in Epist. ad *Tha-*

Tharasium Patr. CPolitanum citat Can. 82. ergo. Nam

Resp. Hoc non facit Canones approbando, sed allegando id, quod veritatem continet ad Græcos convincendos. Nec.

Dicas 2. Adrianus ibidem ait: *VI. Synodum recipio cum omnibus Canonibus suis*.

Resp Licet illa verba reperiantur in Epiſtola, non tamen ut Pontificia, sed ut verba Tharaſii, citata ab Adriano ex Epiſtola Synodica, quam Tharaſius ad Adrianum miſit. Ad reliquas Hæreticorum obiectiones ſolvendas, notandæ ſunt ſequentes ſolutiones, nimirum 1. Concilia, quæ allegantur, & dicuntur erraſse, vel non ſunt generalia; vel 2. ſi ſunt generalia, non fuiſſe legitima & approbata a S. Pontifice; vel 3. fuiſſe approbata quidem, ſed tantum ex parte, & non ſecundum ea, in quibus eſt error; vel 4. quod adducitur ab Hæreticis, non fuiſſe definitionem Concilii, ſed tantum ſententiam alicujus Patris, vel Doctoris, quæ refertur in Concilio; vel 5. fuiſſe tantum

argu-

argumenta & probationes prævias; vel 6. fuisse tantùm quæstiones facti non juris, & quidem facti particularis, nullam habentis connexionem cum articulis fidei & quæstione juris; vel fuisse tantùm errorem in decretis morum quoad circumstantias loci, temporis, personarum &c. vel 7. Verba Conciliorum à malevolis hæreticis trahi in alienum sensum; vel deniq; omnino depravari, aut perperam citari, ut fit ab hæreticis, qui sine fraude & mendacio rem suam tueri non possunt.

Petes 1. Quid dicendum de Decretis Conciliorum Nationalium, & Provincialium?

Resp. 1. Si secundùm se spectentur, sunt quidem veneranda, non tamen infallibilis authoritatis, quia Concilia particularia nullo titulô gaudent privilegiô infallibilitatis & sæpé erraverunt. 2. Si sint à S. Sede confirmata, ut dogmata fidei ab omnibus fidelibus fide Divinà credenda sunt, ut infallibilis authoritatis ex ipsa S. Pontificis confirmatione. 3. Si seclusâ confirmatione positivâ & expressâ S. Pontificis, per-

pervenerunt ad communem Ecclesiæ notitiam, & neq; Pontifex neq; Ecclesia contradicant, multi censent esse infallibilis authoritatis, quia istud silentium censetur tacita & virtualis approbatio. Nam si hujusmodi decreta omnibus nota, essent falsa, nunquam Pontifex aut Ecclesia taceret, sed errori per decreta contraria occurreret. Talia sunt, ajunt, Concilia Toletana, Arelatensia, Hispalensia & alia.

Petes 2. Ut concilia generalia infallibile judicium faciant, debentne necessario confirmari a S. Pontifice?

Resp. Affirm: ex Cap: *Significasti*, *de Electis*. Ubi Paschalis Papa dicit: omnia *Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem robur accepisse*. Hinc Concilia semper solita fuerunt suorum Decretorum confirmationem a Rom: Pontifice petere. Sic Concilii Nicæni Patres scripserunt Sylvestro: *quidquid constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortiô firmetur*. Quibus respondit S. Pontifex: *confirmo ... meumq; chyrographum offero in vestro Sacro Concilio una parem dare consensum*. Hujus etiam confirmationis petitio-

titionem à Sylveſtro teſtantur Patres Synodi Rom: ſub *Felice* III. apud *Baronium* ad an: 484. Concilium generale II. à S. *Damaſo* confirmatum tradit Photius de ſeptem Synodis: *Quibus, poſt haud multò & Damaſus Epiſcopus Romæ eadem confirmans. & conſentiens. acceſſit.* Et ſic de aliis.

Ratio. Suffragatur: Concilium gen: non eſt infallibile in ſuis decretis, niſi quatenus repræſentat Eccleſiam univerſam; atqui non repræſentat Eccleſiam, niſi Caput ſuum Rom: Pontificem ſecum decernentem habeat; nec cenſetur Rom: Pontifex judicare, niſi aut ipſe in Perſona propria præſideat, aut dum decreta Concilii confirmat. Sed.

Dices. Ut ſupra dictum; S. Pontificem octo Orientalibus Conciliis & Tridentino, in quibus ipſe præſens non erat, præfuiſſe per ſuos Legatos, ejus perſonam repræſentantes, primum locum occupantes, & ante omnes Epiſcopos ſubſcribentes; ergo illa univerſam Eccleſiam repræſentabant, erant enim ſuo capiti unita; ergo non indigebant ulteriori confirmatione.

Reſp:

Resp: Cùm Legatis ad Concilium destinatis Pontifex ſoleat dare inſtructionem circa agenda & definienda, quod fieri ſolet, quando ſunt pauca definienda (in Tridentino namq; aliter actum) & decernenda, ſi eam non ſequantur definiendo cum Concilio, definitio non erit rata & infallibilis. Cum enim tunc non agant ut Legati Pontificis, Concilium non eſt in definiendo Capiti ſuo junctum, nec conſequenter univerſam repræſentat Eccleſiam. Si verò ſequantur inſtructionem ſibi datam, probabilius eſt, Concilii ratam eſſe & infallibilem definitionem, quia tunc cum Concilio conſentit Pontifex; tunc enim illa inſtructio ſit definitio ex Cathedra, dum illi conſentit, Concilium in formando decreto. Et tunc nihilominus exiſtimamus neceſſariam eſſe confirmationem, non ut decreta Concilii aquirant infallibilitatem, quam jam habent, ſed ut innoteſcat Eccleſiæ, omnia in Concilio ritè fuiſſe ſervata, & juxta inſtructionem & mentem Pontificis decreta fuiſſe facta, quod aliter ſciri non poteſt, cum aliquando præter inſtructiones publicas

habe-

habeant etiam privatas, quas forte non exhibuerunt, aut exhibere non poterant. Hinc ſequitur; ſi Legati adſint Concilio ſine inſtructione S. Pontificis, quidquid definit Concilium etiam iis aſſentientibus, non eſt infallibilis authoritatis, niſi ſubſecuta confirmatione S. Pontificis, quia privilegium inerrantiæ, junctum S. Pontificatui, nequit Pontifex conferre Legatis.

Solvuntur objectiones Proteſtantium contra Conc: Trident:

Opponunt: 1. In Concilio Trid: naturalis juris regula violata eſt; ergo nullo modo ejus judicium cenſeri debet irreformabile. *Prob*: *ant*: Jure naturali cautum eſt, ne quis Judicis & partis litigantis perſonam ſuſtineat; atqui tamen Rom: Pontifex, totaq; Eccleſia Rom: quam ſexcentorum errorum ream fecerunt & proclamarunt Lutherus & Calvinus, Judicis & partis litigantis perſonam ſuſtinuit in Concilio Trid: ergo.

Reſp: 1. Ex hoc argumento ſequi, quod nullus regiæ Majeſtatis reus, nullus Reipublicæ perturbator, in judicium voca-

vocari, pænisq; subjici possit. Imo nullus Hæresiarcha, ut Arius, Nestorius, Eutyches & alii damnari potuissent, nisi jure naturali violato, cum & ii, Pontifices, Ecclesiamq; quæ illos in Conciliis damnavit, sive etiam extra, novitatis & corruptelæ circa fidem pariter accusarent. Non video, quos in sua causa velint habere Judices, nisi seipsos pro seipsis.

Resp: 2. nego ant: ad Prob: nego min: Ubi namq; agitur de bono publico, neq; Princeps aut Respublica, neq; alia suprema authoritas partis litigantis personam contra subditum sustinet, maximè si juris, non facti quæstio moveatur. Ex quo sequitur Rom: Pontificem & Ecclesiam in Concilio Trid: congregatam tum ad confirmandam fidem, à Novatoribus violatam, tum ad restituendam Ecclesiæ disciplinam, quam bella & hæreses labefactaverant, litigantis personam minimè egisse.

Opponunt. 2. Juxta Canones antiquos in Provincia sua non extra debent judicari accusati; ergò non Tridenti dijudicanda causa fuerat, sed in Germania

finienda, ubi initium habuit causa Lutheri.

Resp: 1. gratis. Etiam Tridentum in Germania situm habet.

Resp: 2. dist: ant: debent judicari in causis privatis & ubi de factis personalibus quæstio est, *conc.* in causis publicis, & ubi de jure quæritur, *nego.* Ratio, quia in factis personalibus, testes, ex quorum testimonio res facti pendent, non tam facile in loca dissita advocari possunt. Secus est in causis fidei, cum enim ad omnes spectent, ubiq; possunt examinari. Sic hæresis Ariana orta Alexandriæ in Ægypto, damnata est Nicææ in Bithynia, Nestoriana orta Constantinopoli in Thracia, damnata Ephesi in Asia minori. Nullo ergo jure elidere possunt authoritatem Concilii ex eo, quod Tridenti fuerit celebratum, quæ & ad Germaniam pertinens, & commoda Germanis civitas erat, minimè suspecta, ut Ferdinando Imp: non Rom: Pontifici beneficiaria, quæ etiam in Spirensibus Comitiis à Germaniæ Principibus 1542. postulata fuit.

Opponunt 3. Esto hæc ita se habeant, tamen injuriosè cum Protestantibus Triden-

denti actum eſt; ergo. *Prob*: *Ant*: Non interfuêre Concilio Proteſtantes, nec Principes confeſſionis Auguſtanæ; ergò cùm abſentes & inauditi ſine injuria damnari non poſſint injuriosè &c.

Reſp: Non aderant ſua culpâ, quia invitati adeſſe noluerunt, hoc ipſo quamvis abſentes non tamen inauditi damnati ſunt. Adſuerunt enim eorum ſcripta, quæ nomine Authorum loquebantur. Sed.

Inquiunt: Etſi fuerint invitati, tamen illis ad Concilium accedere non erat licitum, eo, quod nollent jurare in verba Pontificis.

Reſp: Abſq; hujuſmodi juramento etiam Proteſtantibus libera facultas accedendi data eſt; & conceſſæ ſæpius literæ liberi commeatûs; quæ nunc extant Seſs: 13. 15. 18. Sed illi ipſi ſunt, qui nimium diffidentes, vel adeſſe noluerunt, vel nonniſi iniquis conditionibus, in nullo Concilio generali practicatis adeſſe volebant.

Opponunt 4. Concilium illud legitimum eſſe non poteſt, in quo ſublata fuit Epiſcopis judicandi libertas; ſed res ita

ſe habuit Tridenti; ergo. *Prob. min*: 1. Quia Pontificis Legati rerum proponendarum arbitrium ad ſe ſolos traxerunt. 2. Quod nihil Patribus Tridenti ad deliberandum proponeretur, niſi quod Pontifici Romæ degenti placeret. 3. Quod ſi fortè Epiſcopi liberam vocem emitterent, ſtatim illorum ora verberabant, ut contigit cuidam Gallo; ergo.

Reſp: nego calumniam in min: poſitam. *Ad 1*. Cùm jus proponendi penes Legatos Pontificios & Concilii Præſides ſolos ſemper extiterit, in antiquis Conciliis Oecumenicis, quorum Acta & hiſtoriam habemus, maximè Epheſino, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano III. & IV. Nicæno II. miror quod hoc jus Pontificiis Legatis ademptum velint Proteſtantes Tridenti. Libertate ſua gaudebant priora Concilia, in quibus hujuſmodi forma ſervata fuit, cur non Tridentinum? Libertas omnino in Concilio requiritur, an in proponendo? Minimè. Sic enim Concilium non Concilium, ſed domus confuſionis foret, cùm in iſta hypotheſi nulla pax, nullus ordo eſſet. Sufficit, ut liberum ſit cuiq; ſuper quacunq;

cunq; re propoſita, ſententiam ſerre, quam libertatem Tridenti ſublatam eſſe probare non poſſunt.

Ad 2. Per hoc non poteſt dici ſublata libertas judicandi, ſed Rom: Pontifex Romæ degens ſuis Conſiliis, monitiſq; miſſis per Epiſtolas juvabat Patres Tridenti ſedentes. Eo modô ſe geſſit *Cœleſtinus* cum Patribus Epheſinis, *Leo* cum Chalcedonenſibus, & alii cum aliorum Conciliorum Præſulibus, præſcribendo eis, quomodo in erroribus proſcribendis procedendum ſit, & quæ materiæ conciliaſiter tractandæ. Quis autem dicet, per hoc Patribus congregatis ademptam eſſe ſuffragiorum libertatem? Ne quidem hoc Neſtorius, Eutyches, Monothelitæ, Iconomachi, præſertim Photius Legatis, vel ipſi S. Pontifici objecerunt. Cæterùm non obſtantibus literis, liberam ſemper manſiſſe Patribus ſentiendi, judicandiq; facultatem, nec ad eam quomodo lædendam hæc monita & conſilia transmiſsa fuiſse à S. Pontifice, liquet ex Epiſtolis Cardinalis *Farneſii*, & Card: *Borromæi* ad Legatos datis, annis 1546. & 1563.

Ad 3. Si cui fortè Episcopo Gallo improperatum est, quod liberiùs pro Galli conditione cantaret ad Petrum excitandum, id debuit contingere, quod modum privatus ille excederet, nimiumq; re ipsa cantaret, quod in numerosissimo Cætu non potest, non aliquando contingere, aut illi à privato Episcopo improperatum est, cui non satis placebat illius Galli cantus. Nec enim à Legatis & Præsidibus Gallus ille reprehensus.

Synopsis Historica

Conciliorum generalium.

Quamvis nomina *Generale* sive *Universale* & *Oecumenicum* Concilium prima fronte & grammaticaliter idem sint, in sensu tamen Theologorum diversum sensum & usum habent. Constat enim plura esse generalia & universalia Concilia, ut Mediolanense anno 354. in causa S. Athanasii habitum, Ariminense anno 359. coactum, & alia, quæ tamen Oecumenica non sunt utpotè ab Ecclesia reprobata. Unde ut Concilium generale sive universale sit, sufficit quod

ſit totius Orbis Epiſcoporum convocata congregatio; ut idem Oecumenicum ſive generale legitimum ſit, requiritur inſuper, Eccleſiæ approbatio. Hæc ideo dicta ſint, ut intelligatur, quomodo præc: duabus Diſſert: his uſi ſumus nominibus. Igitur de generalibus Conciliis Oecumenicis agemus, quæ octodecim communiter numerantur. Octo in Oriente coacta ſcilicet *Nicænum I. Conſtantinopolitanum I. Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum II.* gen: v. *Conſtantinopol: III.* gen vi. *Nicænum II. Conſtantinopolit: IV.* gen: viii. In Occidente decem, nempe I. II. III. IV. *Lateranenſia*, I. & II. *Lugdunenſe*, *Viennenſe Florentinum*, *Lateranenſe* V. & *Tridentinum*. Igitur.

§ I.

De Concilio I. Nicœno Oecumenico I. & Sardicenſi.

Hoc primum Concilium poſt tempora Apoſtolorum celebratum, Nicææ in Bythinia ſub Flavio *Conſtantino* M. primo (probabilius) Chriſtiano Imperatore, & S. *Sylveſtro* Rom: Pontifice, imò.

1mò. contra *Arium* Presbyterum Alexandrinum, primò Schiſmaticum, *Meletii* Lycopolitani caſtra ſequentem, poſtea Hæreticum novum & impium de Filio Dei diſſeminantem dogma: *Erat aliquando, quando* (Filius Dei Patris) *ex non exſtantibus factus eſt, non de Patris ſubſtantia genitus; ex tempore, non ab æterno; haudquaquam DEUS verus de DEO vero, ſed ex nihilo creatus, minor Patre, voluntate, naturaq; mutabilis*. Alexander Patriarcha contumacem in errore Arium anathemate ferit in Synodo 100. Epiſcoporum ſui Patriarchatûs. Sed Arius ab *Euſebio* Beroenſi, Nicomedienſi poſtea Epiſcopo (hic in perſecutione diis immolavit, & Chriſtum negavit, à quo tempore dicitur nunquam de Divinitate Chriſti bene ſenſiſse, ab illo Ariani *Euſebiani* dicti) in Synodo in Bithynia coacto communioni reſtituitur, eo modo incrementum cœpit hæreſis.

2dò. Contra *Meletium* Lycopolitanum Epiſcopum, hic enim quod Idolis in perſecutione ſacrificaſſet, detruſus à S. Petro Patr: Alexandrino ab Epiſcopatu, cùm debuiſset pænitentiam agere, aut

ad

ad aliam Synodum pro remedio recursum facere, segregavit se à Communione Patriarchæ, & ut Schismaticus jura Patriarchalia usurpavit, Ecclesiæ Ministros imo Episcopos ordinando, ac per civitates constituendo, quod munus Metropolitarum fuit, scilicet Patriarchæ Alexandrini, qni unus erat in Ægypto Metropolita.

3tio. Contra *Quatuordecimanos* in Asia Ecclesiam scindentes, hi quod Pascha celebrarent eodem die, quo die Judæi, hoc est ipsa decima quarta primi mensis, lunâ, in quemcunq; diem incidisset, non autem die Dominico 14. lunam sequente, more aliarum Ecclesiarum, primo moniti á S. Pontificibus tolerati sunt, quoniam res meræ disciplinæ fuit; sed postquam prædicare ausi fuissent, ad necessitatem salutis pertinere, hac non alia die celebrare Pascha, primò in Concilio Palestino, Pontico, Gallico confirmantibus Decretum Victoris I. male audierunt, & reipsa fuissent excommunicati à Victore Pontifice, nisi intercessisset S. Irenæus Lugdun. Episcopus -- Eorum ergo causa ad

Sy-

Synodum Nicænam delata eſt, in qua 318. Patres damnârunt 1. Hæreſim Arii, definientes Filium Dei conſubſtantialem Patri. 2. Determinârunt diem Paſchatis celebrandam, non more Judaicô ſed Apoſtolicô, non decimâ quartâ die menſis Martii, ſed die Dominicâ decimam quartam Martii lunam, poſt vernum æquinoctium immediatè ſequente. 3. Judicata cauſâ Meletii ſtatuerunt, ut nudô retentô Epiſcopi nomine, ſine ullis Epiſcopi functionibus Lycum incoleret, ſeu ut in ſua Lycopolitana civitate maneret. 4. Pro reſtauranda Eccleſiæ diſciplina varii editi ſunt Canones, de quorum numero in hodiernum diem controvertitur. Græci & Latini fere omnes, viginti duntaxat non plures eſſe, aut ſaltem ſupereſſe contendunt. Canon I. *Qui ſe ſponte abſcindunt, ſive caſtrant, Clericos fieri vetat, id tamen permittit aliis, qui á Medicis in ægritudine vel à barbaris, vel Dominis ſecti ſunt.*

Nota. Occaſio hujus Canonis hæc fuit: Leontius quidam Presbyter, qui accuſatus de familiari quodam cum quadam

dam commercio, juſlus abſtinere ab illius contubernio, ſeipſum caſtrandum dedit, ut ſic libere ejus commercio uti poſſet, & nihilominus depoſitus eſt, & ad Arianos deficiens, Antiochenus factus eſt Arianæ factionis Epiſcopus. *Athan: de fuga ſua & in Epiſt: ad Solit.* Cauſa vero hujus ſeu ratio Canonis patet ex 22. (qui Apoſtolici dicuntur) Canone: *ſi quis abſcidit ſemetipſum*, id eſt, *ſi quis ſibi amputavit virilia, non fiat Clericus, quia ſui ipſius homicida eſt, & DEI Conditoris inimicus.* Senſus autem Canonis eſt, quod non involuntaria, ſed ſpontanea ſui ipſius procurata caſtratio, quantumvis hoc bono pietatis zelo contigerit, ut fecit *Origenes* depoſitus propterea à Presbyteratu, intelligitur.

Canon II. *Neophitos recens converſos & baptizatos in Presbyteros vel Epiſcopos ſtatim poſt baptiſmum ordinari prohibet*, ex ſententia Apoſtoli 1. ad Tim: 3.

Nota. Propter hunc Canonem Photio in VIII. Synodo anathema dictum.

Canon III. *Clericis inhibet ſubintroductas*

ctas fœminas omnes, exceptis iis, de quibus suspicio oriri non potest, ut sunt Mater, Soror, avia, amita, matertera.

Nota. Hujus Canonis authoritate fretus *Basilius* non permisit septuagenario Seni secum habere mulierem, sed dixisse: *Lege Canonem à S. Patribus nostris in Nicœna Synodo constitutum.*

Canon IV. *Episcoporum a tribus saltem Comprovincialibus Episcopis, de aliorum assensu ordinationem fieri jubet, Metropolitæ Confirmationis jure servato.*

Nota Occasione Meletii Canon editus, qui jura Metropolitana Alexandrini Patriarchæ invasit, ac Suffraganeorum consensum, qui tamen nullus esse potuit, sprevit.

Canon V. *Excommunicatus ab uno Episcopo, ab alio suscipi & sublevari non debet.*

Nota. Contra Eusebium Nicomediensem, qui Arium excommunicatum, à suo Episcopo, communioni restituit, ut dictum.

Canon VI. *Patriarcharum, præsertim Alexandrini jura confirmat.*

Nota. Editus occasione Meletii, qui

in

in jura Patriarchalia & Metropolitana involavit.

Canon VII. *Erigit Patriarchatum, ſeu confirmat Jeroſolymitanum, nulla data jurisdictione, ſed ſalvo jure Cœſarienſis Metropolitæ, ſub cujus jurisdictione erat prius Epiſcopus Jeroſolymitanus.*

Canon VIII. *Eos, qui ex Novatianis ad Catholicam Eccleſiam redire volunt, ſuſcipere jubet; ſi Clerici ſint in Clero maneant, dummodo ſcriptis promittant ſe Eccleſiæ leges ſervaturos, & cum Bigamis & lapſis communicaturos. Si Epiſcopus fuerit, habeat Sacerdotii dignitatem; niſi forte Catholico placeat Epiſcopo, ei etiam Epiſcopalis nominis honorem concedere, ſi verò non placuerit, providebit ei, aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorſus eſſe videatur, ne in una civitate duo probentur exiſtere Epiſcopi*

Nota: *niſi forte placeat.* &c. Tempore Concilii & poſtea poterat Epiſcopus in ſua Diæceſi, dummodo in alia civitate, erigere Epiſcopatum ex licentia Metropolitæ aut Primatis Sic S. Aug: Hyponenſem Diæceſim, cum latè patens eſſet, in duas diviſit. Modo

do hoc jus ſoli Rom: Pontifici eſt reſervatum. Chorepiſcopus, modo idem ac Archi-Presbyter, aut Diaconus ruralis. *Ne in una* &c. Ad illa verba attendens S. Aug: Epiſt: 213 alias 110. ait: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo Sene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod à Concilio Nicæno prohibitum eſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat.* Hinc S. Aug: agente hic Canon in Concilio Carthaginenſi III. anno 397. renovatus eſt, anno 2. poſt ſuam conſecrationem, nam anno 395. ejus conſecratio contigit. Hinc factum, cùm S. Doctor ante mortem Libris retract: incumberet, populo aſſentiente & Primate probante, quod elegerit ſibi Coadjutorem, & poſt mortem Succeſſorem, ſed non niſi poſt mortem ſuam conſecrandum.

Canon IX. & X. *à S Miniſteriis illos ſuſpendit, qui abſq; prævio examine ad Sacerdotium promoti, vel aliquod crimen confeſſi, vel tempore perſecutionis lapſi ſunt.*

Canon XI. *Lapſis in perſecutione Imperatoris* Licinii: *tempus pœnitentiæ præfigit.* Ca-

Canon XII. *Illis, qui ſæviente perſecutione ſe Idololatriæ expoſuerant, nempe reſumendo militiæ cingulum, jam pro Chriſti fide abjectum,* hoc enim erat ſignum Apoſtaſiæ, *pœnitentiam 13. annorum injungit.*

Canon. XIII. decernit, *ut extremè laborantibus, ſeu moribundis ultimum & maxime neceſſarium viaticum non denegetur:*

Nota. Per illud ultimum & maximè neceſſarium Viaticum multi Viri eruditi intelligunt, non Euchariſticam communionem ſed abſolutionem Sacramentalem à peccatis.

Canon XIV. *Catechumenorum in perſecutione lapſorum præſcribit pœnitentiam.*

Canon. XV. *Translationes Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum de una ad aliam Eccleſiam prohibet.*

Nota. Hic Canon editus occaſione *Euſebii* Arii fautore à Beroenſi ad Nicomedienſem Eccleſiam translati. Is Canon renovatus in Concilio Sardicenſi occaſione ejusdem Euſebii, qui poſt duas ſedes mutatas nempe Beroenſem & Nicomedienſem, in ſedem CPolitanam ſe transferri curavit. Jmo & contra

tra alios Episcopos, qui altiores sedes ambientes, nihil non egerunt, ut S. Athanasium Alexandrina, & S. Eustachium Antiochenâ sede dejicerent.

Canon XVI & XVII. *Usurarios à Clero arcet, Diaconorum fastum deprimit, ipsisque inhibet nè Sacerdotibus Eucharistiam porrigant, aut inter Sacerdotes sedeant.*

Nota. Hoc Canone prohiberi Diaconis tantùm, né Presbyteris Eucharistiam porrigant; sed Canone 15. Concilii Arelatensis II. sub *Siricio* Pon. habiti anno 389. iisdem prohiberi, ne eam etiam populo præsente Præsbytero tradant sub pæna depositionis in contrafacientes. Id tamen urgente necessitate eis permittit Concil. Carthag. IV. sub Anastasio Papa habitum 398. a Leone III. confirmatum dùm Can. 38. sic ait: *Diaconus præsente Presbyterô Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.*

Canon XVIII. *Presbyteros aliosq; Clericos in Ecclesiis, pro quibus sunt ordinati, permanere jubet.*

Canon. XIX. *Paulianistas* Pauli Samosateni *Sectatores ad Ecclesiam redeuntes*

tes baptizari præcipit, quod eorum baptiſma Verbis Evangelicis non conſecratum, invalidum eſſet.

Nota. Hoc Canone per indirectum damnatur error rebaptizantium per legitimam ſequelam; ſi Paulianiſtæ baptizandi ſunt, ea ratione, quòd eorum baptiſma invalidum eſſet, utpote verbis Evangelicis non conſecratum; ergo aliorum Hæreticorum, quorum baptiſma verbis Evangelicis conſecratum eſt, validum cenſendum eſt. Hinc idem Concilium Can. 8. Novatianos redeuntes ad Eccleſiam nuſquam definit rebaptizandos eſſe.

Canon. XX. *Vetat ne diebus Dominicis, & diebus 50. a Paſchate ad Pentecoſten fideles flexis genibus orent.*

Nota. Huic Canoni occaſionem dederunt Quatuordecimani, qui pertinaciter contendebant, his diebus flexis genibus orandum eſſe.

Hi ſunt Canones Concilii Nicæni. *Franciſcus* quidem *Turrianus* Canones Nicænos 80. ex verſione Arabica, *Abrahamus* Ecchelenſis 84 publicavit, quos Melchitæ Neſtoriani, Cophti, A-

 byſ-

byſſini, Armeni, Græci multi, & Maronitæ ut genuinos agnoſcunt nunc communi calculo à Criticis exploduntur. Cúm nomen Patriarchæ in eis, ut alia sileam, legatur, quod poſt Concilium Calcedonense primo auditum eſt, hoc eſt, circa medium Sæculi V. Non tamen negandum revera plures, quam 20. fuiſſe, ſed eſſe deperditos, cum Canon de celebrando Paſchate desit, qui tamen unus de præcipuis fuit juxta *Euſebium* lib. 3. de Vita Conſtantini, & S. *Athanasium* de Concilio Ariminensi. Nec Canon de bigamis ab Ordinibus arcendis, quem laudat *S. Ambrosius* ad Vercellenſem Epiſcopum; Nec Canon de Scripturis ſacris, cujus tamen meminit *S. Hieronymus* Epiſt. 3. de libro Judith loquens.

Quoniam Concilium Sardicenſe inſtar appendicis ſe habet ad Nicænam Synodum, quæ in illo confirmata eſt, pauca de illo dicamús.

S. Athanasius perſecutionibus Arianorum diu jactatus cúm per Synodum Rom. fuiſſet innocens declaratus à *Julio I.* ad quem appellaverat, Synodo Rom. aquieſ-

escere Orientales noluerunt, quamobrem ab eodem Pontifice, & duobus Imperatoribus *Constante Constantio* Synodus Sardicæ in Illyrico congregata est anno 347. ut invictis argumentis demonstrat Pater *Thomas* Mamachius quatuor Epistolis contra Joannem *Dominicum* Mansium Archi-Episcopum Lucensem, qui anno 344. epocham hujus Synodi ponit.

Præsidebat nomine Pontificis *Osius* Cordubensis, *Archidamus* & *Philoxemus* Presbyteri. Episcopi 170. *S. Athanasius* numerat 284. Episcopos, qui decretis subscripserant. Apol. 2. ex quibus 70. fere Orientales facto divortiô se à reliquis separârunt, & Philoppoli Conciliabulum celebrârunt. Reliqui Sardicæ *Athanasii, Marcelli*, Ancyrani, & *Asclepæ* innocentiam solemni judiciô declarârunt, fidemq; Nicænam (alia non edita professione) confirmârunt.

Ex Oecumenici Concilii gradu Sardicensem Synodum dejicere nitens *Basnagius* homo Acatholicus ad an. 347. eas adhibet machinas, quas ante illum Jllmus de *Marca* adhibuit, qui con-

vocatione quidem generale dixit, non exitu, ob rationes quaſdam, quas vide apud *Natalem* Sæculo IV. Diſſert. XXVII. art. 3. *Baſnagio* conſentiunt Proteſtantes, omnes ea de cauſa fortaſse, quia Can. 3. 4. & 7. jus appellationum ad S. Pontificem luculenter confirmatur.

Canones quos Synodus Sardicenſis edidit 20. Græci numerant, 21. Latini, quos perdoctè explicat *Chriſtianus Lupus* parte 1. Decretorum. Ut jam dixi Canone 3. 4. & 7. ius appellationum ad Sedem Apoſtolicam non inſtituerunt, ſed confirmarunt Patres. Hoc enim ipſo quòd Rom: Pontifex, ut concors eſt omnium Catholicorum doctrina, eſt jure Divino omnium Epiſcoporum non ſolum ordine, ſed & juriſdictione primus, illis ſuperior ac univerſæ Eccleſiæ Caput, conſequens eſt, ut ad ipſum Epiſcopi, injuriam paſſi, appellare poſſint. Quare jus appellationum ad Rom: Sedem, Pontificii Primatûs appendix neceſſaria eſt. Hoc ipſum patet ex exemplis; nam ante Synodum Sardicenſem S. *Athanaſius*, *Marcellus* Ancyranus

nus *Asclepa* ad Julium I. Pontificem appellârunt. Quæ D. de Marca contra jus appellationum objicit lege apud *Natalem* Hist: Sæc: IV. Dissert: XXVII. art; 1. prop: 2. Solum breviter ob oculos ponam dissertissimis & clarissimis verbis conceptum Canonem quartum: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit, coram Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur & proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma, alter Episcopus in ejus Cathedra, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Hoc certè Canone non solùm conceditur, potius confirmatur jus revisionis seu dandi novos Judices, Episcopos nimirum ex viciniori Provincia, sed etiam ei asseritur & vindicatur potestas judicandi appellationes factas ab Episcopis ad Rom: Pontificem, & discutiendi sententiam ab Episcopis Provinciæ latam, atq; de ea judicandi, si Episcopus depositus á judicio Episcoporum ad Sedem Rom: appellaverit; sicut revera ante hunc Canonem *S. Athanasius* depositus ab Arianis fecit.

Hoc velim notes, ideo hoc Concilium inter Oecumenica ſeparatim non nominatur, & ideo ejus Canones a S. Pontiſicibus *Zoſimo, Bonifacio, Cæleſtino, Leone*, recitantur nomine Canonum Nicænorum, quia, ut jam dixi, habetur velut *appendix & clarior explanatio* Concilii Nicæni, ut lib: 1. Hiſt: Pelag: ſcribit *Noriſius* cap: 17. *Natalis* Alex: mox citatus, *Gazzaninga* & alii communiter. Vide *Gazzaningam* In Præ-lec: Tom: II. de TRINITATE Diſſ: 4. cap: 3.

§ II.

De Concilio II. Oecumenico CPolitano I.

De hoc Concilio plura jam ſupra ſunt dicta, plurima in Tract: de SS. TRINITATE. Hic, illis quæ dicta ſunt omiſſis, pauca proſequamur; de Præſide hujus Concilii non conſtat, cùm nullus Rom: Pontificis Legatus adfuerit. *Theodoretus* lib: 5. Hiſt: Eccl: cap: 8. dicit: tres intra annum CPoli habitas eſſe Synodos; & primæ præſuiſſe *Meletium* Antiochenum, ſecundæ ſive mediæ, quæ Oecumenica eſt, & de qua hic agitur, *Ti-*

Timotheum Alexandrinum jure ſuæ ſedis; tertiæ *Nectarium* jam in locum S. *Gregorii* Nazianzeni Epiſcopatû cedentis, ſubſtitutum. In hac ſecunda Synodo nedùm damnata hæreſis Macedoniana, ſed etiam conditi Canones, & editum fidei Symbolum, quod modo recitatur in Miſſa. Canones ſolum tres conditos eſſe probabilior eſt ſententia, juxta *Natalem* Sæc: IV. Diſſ: 37.

Canon I. *Ut ea, quæ apud Nicæam ſtatuta ſunt, á 318. Patribus immota permaneant*, ſtatuit: *Inſuper damnat Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Sabellianos, Photinianos, Marcellianos, & Apollinariſtas.*

Canon II. *Circa ſingularem Diæceſeon ordinem, & privilegia, quæ Ægyptiis, Antiochenis, Conſtantinopolitaniſq; debentur, ut ſua quæq; Eccleſia ſervet privilegia, ſibi per Nicænos Canones tributa. Statuens tamen ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Rom: Epiſcopum, propterea quod urbs illa ſit Roma nova.*

Canon III. *De Maximi Cynici inordinata Conſtitutione Conſtantinopoli facta agens, Maximum illum nec Epiſcopum eſſe*

nec

nec fuiſſe declarat; geſtaq; ejus irrita decernit.

Nota. Canonem de primatûs honore Conſtantinopolitanæ Sedis, qui ſecundùm S. Greg: M. tertius eſt lib: 6. Epiſt: 31. nullus approbavit S. Pontifex ad tempora Innocentii III. qui in Concilio Later: IV. primum locum poſt Romanum dedit Conſtantinopolitano Epiſcopo, eô fine, ut nutantes Græcos in fide firmaret; maximè cum Orientales Sedes Jeroſolymitana, Antiochena, imo Alexandrina á longo tempore id honoris Epiſcopo, Conſtan: etſi non canonicè, tamen ſpontè conceſſerint, eumq; ut talem agnoverint.

Symbolum verò, quod Nicæno-Conſtantinopolitanum merito dicitur, ſemper ab Eccleſia Rom: & quidem ut teſſera Catholicæ fidei receptum eſt, & quidem apud Græcos etiam in locum Nicæni, nomine non mutatô, ſuffectum. Romani autem ſervârunt veterem morem, ait *Author Notarum in Sandinum* recitando Symbolum Apoſtolorum, quo indicarent, nullam hæreſim Romæ initium ſumpſiſſe.

Vox

Vox *Filioq*; in Ecclesiis Hispaniarum Symbolo adjecta esse dicitur VI. sæculô labente; apud Gallos & Germanos VIII. ab Ecclesia Rom: ineunte IX. Vide *Bellarm*: lib: 2. de Christo cap: 21. P. *Lequien*: Diss: 1 in Damasc: § 26. Plura de hac re in Tract: de SS. Trinitate.

§ III.

De Ephesino Concilio Oecumenico III.

Cùm post Nectarium in fine Concilii Constantinopolitani consecratum, in Sede Constantinopolitana feliciter successisset S. Joan: *Chrysostomus*, Chrysostomo *Arsacius* Nectarii Frater, Arsacio *Atticus*, Attico *Synesius*; mortuôq; Sinesiô, cùm Clerus in eligendo Successore esset divisus, aliis *Proclum* aliis *Philippum* Presbyterum optantibus; *Theodosius* Junior ex Antiocheno Clero *Nestorium* adscivit, *Theodori* Mopsuesteni Discipulum, doctrinâ & eloquentiâ celebrem, corporis macie, vestium neglectû, Sanctitatis Apostolicæ mentientem imaginem. Is omnium consensû Episcopus initiatus, hæresibus statim omnibus bellum indixit, ut suæ paulo post dissemi-

ſeminandæ viam pareret, *ut in Tract: de Incarn: jam dictum*. Error ejus palmaris fuit in Chriſto ſicut duas naturas, ita perſonas eſſe, proinde B. Virginem *Chriſtiparam*, non verò *Deiparam* dicendam. Hac de cauſa Synodus Epheſina à S. *Cœleſtino* Papa & Imper. *Theodoſio* congregata eſt, & cæpta die Pentecoſtes decimo Kalendas Julias, an: 431. continuata per ſeptem Actiones ſive Seſſiones, á 200. ferè Epiſcopis, ait *Vincentius* Lirinenſis in Commonitorio cap: 29. Primæ ſeſſioni præſuit S. *Cyrillus* Alex: tum ſuo nomine, quia ex ſanctione Canonum Nicænorum primus erat poſt Rom: Pontificem, Epiſcopus, ideoq; abſentibus Legatis Pontificiis, ipſe primum in Concilio locum debuit obtinere; tum nomine *Cœleſtini* Pontificis, quia ei mandaverat *Cœleſtinus*, ut ſuſciperet executionem ſententiæ in Rom: Synodo latæ contra Neſtorium; Utrùm verò poſtquam Legati Epheſum appulêrê, Cæleſtini perſonam geſſerit, non convenit. Quod ſi quis cauſam quærat, cur Cæleſtinus poſt Cyrillum Vicarium datum, tres alios nempe *Arca-*

cadium & *Projectum* Episcopos, & *Philippum* Presbyterum legaverit hanc reddit D. *Petrus* de Marca lib: 5. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap: 4. §. 7. *Etenim Theodosius Imp: à Nestorii fautoribus circumventus dissidium in Ecclesiam invectum Cyrillo imputabat, qui contentionibus ex invidia adversus Nestorium accensis, pacem Ecclesiæ turbasset - - - - Quare necessarium omnino fuit, ut Cælestinus alios præter Cyrillum legatos mitteret, qui posteriores curas ad generalem Synodum deferrent, & Cyrilli Anathematismos confirmarent.* Anathematismis, quos habes in Tract: de Incar: Cyrilli confirmatis, quos superiore an: 340. in Synodo Alexand: adversus Nestorii insanias ediderat, statutum est, unam tantum esse in Christo Divinam personam, duas verò naturas Divinam & humanam sine ulla confusione & divisione junctas inter se, eoq; B. Virginem Mariam vere dici & esse *Deiparam*. Quæ res ipso Natali Christi die Romam delata, Urbem complevit lætitiâ tanta, ut S. Maria Mater Dei *&c.* ferretur omnium ore. Unde, ut observat Baronius

nius ad an: 431. additamentum illud accepiſſe creditur Angelica Salutatio clamore ſubjicientium S. MARIA MATER DEI *ora &c.*

Quidquid ſit alii hoc tribuunt Cyrilli devotioni erga B. V. alii omnibus Patribus Epheſinis ut notat *Coriolanus;* certum videtur originem ſuam ſortiri ex occaſione blaſphemiarum Neſtorii. Cum Neſtorio damnati ſunt, Cæleſtiani, hoc eſt Pelagiani, qui Cæleſtiani dicti à Concilio, quod *Cæleſtius* apud Epheſium Presbyter conſecratus longè notior eſſet, quàm *Pelagius.* Quia Pelagiani per *Tractatoriam* Zoſimi Pont. & Decretum *Honorii* Imp: Italiâ pulsi, Neſtorianis juncti, quaſi fæderato agmine oppugnabant fidem Catholicam, ideo juſto DEI judicio cum illis condemnari meruerunt.

Hæc cùm legis, mirari deſine, quod moderni Novatores Calviniſtæ & Lutherani odiô vatiniano licet inter ſe ferventes, quando negotium Eccleſiam Catholicam oppugnandi occaſiones nanciſcuntur, mirificè conſentiant, quaſi unum cætum conſtituerent; cùm vides

des Pelagianos & Neſtorianos manus sibi dediſſe, diſſociatæq; unitatis iniiſſe concordiam, etſi ex parte tam falſorum dogmatum, quam fontium, ex quibus ea hauſerunt, quàm disjunctiſſimi eſſent. Hæreſis Neſtorii concepta, præformata, imo nata eſt in libris *Theodori* Mopſueſteni, inſenſiſſimum gerentis animum erga Origenem, ejusq; fautores, è contra Pelagiani ab Origene ſuos errores mutuaverunt; hoc tamen non obſtante amici facti ſunt, quia hoc res poſtulabat, ut plures effecti, numerô etſi non veritate vincerent. At aliter accidit.

In ultima Seſſione Canones VIII. ſunt editi, in I. II. IV. V. Neſtoriani & Cæleſtiani cum fautoribus & aliis damnantur. In III. à Neſtorio Sacerdotio privati, reſtituuntur. In VI. Synodi perturbatores à gradu deponuntur. In VII. Alteram fidem à Nicæna componi vetat Synodus. In VIII. prohibet, ne ullus Epiſcopus in aliena Diæceſi ordinationes faciat.

Circa VII. Canonem *nota*: Hunc Canonem editum eſſe occaſione Symboli

li *Theodori* Mopſueſteni, quod in ea Synodo fuit rejectum & proſcriptum, tametſi Eccleſia tunc ad tempus pepercit perſonæ (eo quod ipſe *Theodorus*, antequam è vita migraret, Sabellianos, Origeniſtas, & quosdam alios Hæreticos impugnâſſet) quæ poſtea in V. Synodo Oecumenica damnata eſt, ut dictum in Tract: de Jncarn: de tribus Capitulis.

Nec omittendum, Patres Epheſinos in Synodica ad Clerum & Populum Antiochenum aſſerere: Deiparam Virginem MARIAM comitante *S. Joanne* Apoſt: & Evang: Epheſum ex Judæa profectam, ibiq; habitaſſe.

§ IV.

De Concilio Chalcedonenſi Oecumenico IV.

Hoc Concilium contra errores Eutychetis coactum an: 451. Nicæam primò indictum, poſtea ex motivo, quod *Marcianus* Imp: qui ipſe adeſſe voluit & noluit Conſtantinopoli abeſſe ob ſtrepitum Hunnorum, qui in Thraciam irrupturi erant, Chalcedonem, quæ urbs Aſiæ minoris, ſtatim trans Bos-

pho-

phorum è regione Conſtantinopolis poſita, tranſlatum. Numerus Epiſcoporum, qui adſuerunt, diſcrepat. Alibi ſere *600.* alibi 630. alibi 636. leguntur. *Cecropius* Epiſcopus Sebaſtopolitanus 1200. adfuiſſe dicit: Act: 4. apud Labbeum Tom: 4. Conc: pag: 515. Sed ei Parùm fidei eſt; tum quia in augendo numero non alius intemperantior eſt; tum quia *Lucentius* Sedis Apoſtolicæ Legatus in eadem Act: paulò poſt non plures, quam 600. ſuiſſe ſubjungit; tùm quia in relatione Synodi ad *S. Leonem* Pont: apud eundem Labbeum legitur: *quingentos viginti Sacerdotes interfuiſſe.* Certe 630. aut 636. ſubſcripti non reperiuntur.

Concilio, excepta Act: 12. præſuerunt S. Leonis M. Legati *Paſchaſinus* Lylibetanus, *Lucentius* Aſculanus Epiſcopi, *Bonifacius* & *Baſilius* Presbyteri, quibus S. Pontifex adjunxit *Julianum* Cóénſem, ſuum apud *Marcianum* Imp: Legatum, ſive ut legationis Socium, ſivè ut Conſiliarium.

Act: 5. contra *Eutychem* decretum eſt: *Unum eundemq; Chriſtum Filium Domi-*

minum Unigenitum, ex duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentiâ naturarum propter unitionem, magisq; servata proprietate utriusq; naturæ, & in unam personam atq,· subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum & divisum, sed unum eundemq,· Filium & Unigenitum DEUM, Verbum, Dominum JESUM Christum.

Act: 12. Præfuit *Anatolius* Episcopus Constantinopolitanus adnitentibus Legatis S. Pontificis, quod causa *Bassiani* & *Stephani*, uter habendus esset pro Episcopo Ephesino? pertineret ad disciplinam, magisq; Anatolio, quam Legatis esset cognita. Neutri Episcopatus Ephesinus adjudicatus est, alius Antistes electus est, ita tamen, ut *Bassianus* & *Stephanus*, alerentur sumptibus ex ærario Ecclesiæ Ephesinæ, solidis videlicet *ducentis aureis*, quovis annô persolvendis. Ex quo profluxit origo pensionum Ecclesiasticarum, de quibus antehac in monumentis Ecclesiasticis nulla mentio.

In Act: 6. Canones tres conditi, iidemq,

iidemq; poſtea incluſi iis, qui Act: 15. editi ſunt; 28. numerant Latini Codices, Græci 30. Omnes, præter 28. qui confirmat jus Patriarchale à Concilio Conſtantinopolitano gen: II. conceſſum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, confirmatos eſſe, viſum eſt multis. At communior ſententia eſt, primas tantum ſex Actiones, in quibus de cauſis fidei eſt actum, calculô ſuo roborâſſe S. Leonem Pontificem; Canones verò non niſi tacita Eccleſiæ acceptatione vim obtinuiſſe, præter 28. contra quem ſtatim Legati S. Pontificis, & mox ipſe S. Pontifex cum ſequentibus proteſtati ſunt, ſequentibus annis. Confirmatus tamen & hic Canon ab *Innoc:* III. ut § 2. dixi.

§ V.

De Concilio II. Conſtantinopolitano Oecumenico V.

Concilium Oecumenicum V. Conſtantinopolitanum II. à *Juſtiniano* Imp: *Vigiliô* conſentiente an: 553. convocatum. Convocationis cauſam præbuêre non ſolùm famoſa *tria Capitula*, ſed

etiam *Origenis*, qui tunc instaurabantur errores. Interfuêre Episcopi 165. tres Patriarchæ *Eutychius* Constantinopolitanus, *Apollinaris* Alexand: & *Domnus* Antioch: *Eustochius* Jerosolim: adfuit per legatos. Præfuit *Eutychius* Constantinop: permissû *Vigilii* Pont: qui semel, atq; iterum invitatus, & rogatus, ut præsideret, recusavit causatus Occidentalium Episcoporum paucitatem, cùm frequentes ex Orientalibus Ecclesiis convenissent; siquidem pactum fuerat, ut Concilium totidem Latinis ac Græcis Episcopis constaret. Octo numerantur Confessiones seu Collationes. Posito probatoq; licere etiam mortuis anathema dicere, *Origenes* primum, ut ad hunc annum notat Baronius (quidquid dicant Origenis defensores) in Annal: deindè tria Capitula damnata sunt. *Vide Tract: de Incarn:*

Nec ulla inde injuria illata Concilio Chalced: Tria enim Capitula in eo nec approbata nec reprobata sunt; de iis actum est duntaxat *post terminum Synodi*, ut ait S. Greg: lib: 3. Epist: 10. hoc est post Act: 6. ideoq; in Appen-

dice

dice Concilii Chalced: non in vero & legitimo Concilio Chalced: quod absolutum est Act: 6. ut à *Norisio* in Dissert de V. Synodo cap: 11. monstratur. Vide etiam *Natalem*. Hist: VI. Sæculi.

Præter *Vigilium* etiam ejus Successores *Pelagius I*. *Joannes III*. Pelagius II. & *Gregorius M*. Oecumenicam V. Synodum confirmârunt. Afri & Illyrici Episcopi secuti authoritatem Pelagii I. ab obstinata *Trium Capitulorum* defensione cessârunt. Soli Istriæ, Venetiæ, & Liguriæ Episcopi negantes illa citra injuriam Chalced: Concilii posse damnari, in pertinacia perstiterunt, facto Schismate, quod usq; ad *Sergium I*. ampliùs annis centum duravit. *Baronius* ad annum 556.

Inconstantiæ quidem accusatur *Vigilius* Pontifex, quod semel judicaverit *Tria Capitula* damnari non posse, postea damnaverit. At *Vigilio* licuit sententiam mutare, cum in *Trium Capitulorum controversia* non disceptaretur de fide, sed de personis tantùm, ut ait S. Greg: lib: 2. Epist: 51. alias 36: *In Synodo, in qua de tribus Capitulis*

actúm eſt, apertè liquet, nihil de fide convulſum eſſe, vel aliquatenus immutatum, ſed ſicut ſcitis, de quibusdam ſolummodo perſonis eſt actitatum.

Nota tamen, perſona quidem *Theodori* Mopſueſteni cum ſcriptis, in quibus hæreſim *Pauli* Samoſateni renovavit; pariter Scripta *Theodoreti* Cyrenſis contra *S. Cyrillum* ejusq; anathematismos; Epiſtolam *Ibæ* ad Marim Perſam damnatam eſſe; perſona tamen *Theodoreti* & *Ibæ* intacta manſit, èó quòd ſaltem tacitè damnatis ſuis ſcriptis, in communione Eccleſiæ mortui ſunt. Solius ergo *Theodori* perſona damnata fuit, utpotè qui jam à longo tempore in Eccleſiæ Diptychis non legebatur.

§ VI.

De Conſtantinopolitano Concilio III. Oecumenico VI.

Hoc Concilium à piiſſimo Imp: *Conſtantino* Pogonato, & *Agathone* S. Pontifice an: 680. Conſtantinopoli coadunatum eſt ad proſcribendos Monothelitas, unam eſſe in Chriſto voluntatem unamq; operationem dicentes, quam

quam *Theandricam* ſeu *Deivirilem* appellabant. Locus Concilii fuit *Trullus* ut legitur 1. Act: Porrò *Trullus* nihil aliud eſt, quam Imperialis Palatii Secretarium in altum porrectum, & supernè fornicatum, id eſt, rotundum & concameratum. In eo itaq; ædificio, quod *Anaſtaſius* Biblioth. *Baſilicam* vocat in Vita *Agathonis*, & in vita *Leonis II*. *Palatium* appellat, celebratum eſt Concilium CP: III. Oecumenicum VI. De numero Epiſcoporum non convenit; *Cedrenus* numerat 289. Alii 166. à quo numero non longe abeſt Photius qui *lib*: *de Synodis*, recenſet 170. Hoc unum extra dubium eſt ſcilicet *Agathonem*. Rom. Pontificem huic Synodo præſuiſſe per ſuos Legatos. *Tria genera Legatorum Apoſtolicæ Sedis interfuerunt*, *quorum alii Vicarii Agathonis Papæ dicebantur*; *alii Legati totius Concilii Apoſtolicæ Sedis*; *alii Legati Apoſtolicæ Sedis*, *ſcilicet Epiſcopi Theſſalonicæ & Corinthi*, ut ait Petrus de Marca lib: 5. de Concordia Sacerd: & Imp: c. 6. § 4. Quæ eſt etiam Baronii ſententia ad an: 680. *Agathonis* Legati *Theodorus* &

Gregorius vel *Georgius* Presbyteri, & *Joannes* Diaconus, qui præfuerunt nomine *Agathonis* Synodo; Romani Concilii Legati *Joannes* Portuensis, *Joannes* Regiensis, & *Abundantius* Paternensis Episcopi. Adfuit etiam *Constantinus* Imp: non ut Judex, sed ut Defensor, ea de causa post omnes duntaxat Episcopos subscripsit his verbis: *Constantinus in Christo DEO, Rex ac Imperator Romanorum legimus & consensimus.* At Legati Agathonis Papæ omnium primi subscripserunt; cæteri autem Episcopi hanc formulam usurpârunt N. Episcopus *definiens subscripsi.* Ex quo facile colligitur Constantinum huic Synodo interfuisse aut subscripsisse, non ut Judicem controversiarum fidei, sed tanquam Concilii & Ecclesiæ defensorem.

Concilium 18. Actionibus intra menses paulo amplius 13. perfectum est. Tribus primis lecta sunt Acta trium gen: Synodorum Ephesinæ III. Chalcedonensis IV. & Constantinopolitanæ II. gen: V. Act: 4. lectæ duæ Epistolæ *Agathonis* & Rom: Concilii, quibus Catholicum dogma geminæ in Christo voluntatis & ope-

operationis explanabatur. Act: V. & VI. *Macarius* Antiochenus Patriarcha, tunc Monothelitarum facile Princeps, jussû Imperatoris protulit nonnulla Patrum testimonia, quibus jactabat unam in Christo voluntatem probari. Sed Legati cum Patribus vitiata esse & corrupta demonstrârunt. Act: VII. allatæ Patrum authoritates ad dogma probandum Catholicum. Reliquis Actionibus præter Monothelitarum hæresim, & scripta nempe Heraclii *Ecthesim*, ac *Typum* Constantis, damnatæ sunt etiam personæ, & quidem ex iis, qui jam obierant, sceleris Principes ut *Theodorus* Pharanitanus, *Cyrus* Alexand: *Sergius*, *Pyrrhus Paulus* & *Petrus* Constantinopolitani. Plura habes in Tract: de Incarn:

§. VII.

De Concilio Nicæno II. Oecumenico VII.

Concilium hoc indictum & coadunatum fuit contra Iconoclastarum hæresim, cujus tale est.

Initium.

Anno 723. *Tiberiade* quidam Judæus, nomine *Sarantape* Jezido Saracenorum Prin.

Principi vaticinatus eſt, ſi ſuggeſtionibus ejus morem gereret, Imperii diuturnitatem ad 30. annos, modo ex Chriſtianorum Templis, totiuſq; regni ſui finibus Imagines deturbaret. Hamô captus imprudens Princeps ſacrilego edictô Imagines dejici, lacerari & comburi juſſit, quod & factum eſt. At impius *Jezidus* ſpe deluſus, brevi tempore ſuperſtes in pænam tanti facinoris malè periit. Unde factum, ut ejus filius, cui nomen *Ulido*, & de Judæo præſtigiatore ſupplicium ſumpſerit, & Eccleſia ornatum ſuum reſumpſerit, ac Sanctarum Imaginum reſtauratio permiſſa fuerit.

Progreſſus.

Hæc impietas brevi ab Hebræis & Saracenis ad malos Chriſtianos pervenit. Nam *Leo* Iſaurus Imperium tenens, inſtigante potiſſimum *Conſtantino* Nacaliæ in Phrygia Epiſcopo à ſuis Diœceſanis expulſo, contra S. Imagines vehementer exarſit, ut gratificaretur Judæis, quibus jure jurando ſe obſtrinxerat conceſſurum ſe illis, quidquid poſtulâſſent, cùm Imperium quod ariolando, ei fuerant vatici-

cina-

cinati, adeptus eſſet. Igitur anno 10. Imperii ſui ad evertendas imagines leoninum edictum publicavit, cui tum in Oriente ſtrenuè interceſſit S. *Germanus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, tum in Occidente *Gregorius II.* Pontifex. Hinc barbarus nomine & moribus *Leo*, combuſto Studitarum Collegiô cum inſtructiſſima Bibliotheca, quoniam Monachi illius impietatem averſabantur, & ex parte ſui Patriarchæ ſtabant, S. *Germanum* in exilium amandavit, intruſô in ejus locum *Anaſtaſiô* quôdam, in hac diſſeminanda hæreſi adminiſtrô. Tandem in ſua impietate mortuus *Leo* Iſaurus, ſuæq; impietatis hæredem reliquit *Conſtantinum Copronymum*, qui ut non minus impius eſſet, an: 754. 338. ſuæ farinæ Epiſcoporum coëgit Conciliabulum, in quo Imaginum cultum aboleri curavit, gravemq; in Catholicos præſertim Monachos excitavit perſecutionem; donec ſceleſtus Imperator nomine Chriſtianus, ſed re Judæus, Manichæus, & Neſtorianus Divinam ultionem in morte expertus, fætidam animam expuit.

Huic

Huic Filius ſucceſſit *Leo* mitior quidem Avo & Patre; hæreſis nihilominus dominata eſt, nec Imagines in templis reſtitui permiſit. At Leone illô IV. demortuô penes *Irenem* Conjugem Leonis, & *Conſtantinum* minorennem ſumma rerum erat.

Cùm autem *Paulus* Patriarcha, poſt *Nicetam*, Conſtantinopolitanus, ob ſimulatam fidem, & juramento firmatam Iconoclaſtiæ perfidiam, pænitentia ductus relicta Sede in *Flori* Monaſterium receſſiſſet, & facti rationem quærentibus ſpectatiſſimis è Senatu Patriciis, ab *Irene* Auguſta miſſis dixiſſet: *Niſi Synodus univerſalis fiat & error, qui eſt in medio veſtri corrigatur, ſalutem non habebitis;* eoq; dicto deſignatum Succeſſorem *Tharaſium* adeo commoviſſet, ut non niſi ſub conditione coadunandi Concilii Oecumenici, oblatum Epiſcopale munus, Sedemq; Pauli ſuſceperit; promiſêre libenter *Conſtantinus* & *Irene* Mater Auguſta, ac pro Synodo coadunanda adlaborârunt.

Inte-

Interitus.

Inauguratus *Tharaſius* ſtatim fidei ſuæ profeſſionem ſupplicesq; pro convocatione Concilii literas miſit, ad *Adrianum I.* S. Pontificem. Scripſêre etiam *Conſtantinus* & *Irene*, ut Conſtantinopolim veniret, Concilio præſuturus, aut Legatos mitteret.

Convocatur itaq; Conſtantinop: Concilium, ſed Iconoclaſtarum factione, in Urbe ſeditione excitatâ, maximè à militibus Prætorianis auctâ, in ſequentem annum dilata eſt Synodi celebratio, & tandem Nicæam translata, ibiq; inchoata, octavo Kalendas Octobris annô 787. & Act: ſive Seſs: ſeptem feliciter concluſa die 22. Octobris ejusdem anni. Numerus Epiſcoporum, qui interfuerant eſt incertus, non plus ſupra 350. circiter fuiſſe affirmant. Præfuerunt Legati S. P. Archi-Presbyter S. Petri *Petrus* & *Petrus* Abbas. Nec obſtat, quod *Tharaſius* Act: 1. Oratione ſua Synodum inchoâſse legatur, hoc enim egit ex permiſſu Legatorum. Hi ſiquidem contenti primum conceſsûs locum habere, negotium ei dederunt, utpotè Græcæ lin-

linguæ peritiſſimo in iis rebus, de quibus agendum erat diſponere. Cæterum *eos in præcipuo capite, de quo erat controverſia, jus ſuum uſurpâſſe, ſententiam à Patriarchis & cæteris Epiſcopis exigendo,* obſervat *Petrus* de Marca lib: 5. de Concordia cap: 14.

Tria, ait Sadinus, in his Actionibus notanda ſunt. Primum: quod *Tharaſius* Act: 5. ex *Joanne* Theſsalon: aſseruit: *Angelos tenui corpore præditos äëreô* ſive *igne*; id examinatum non fuiſse à Concilio, tûm quià nonnulli ex antiquis Patribus tam Latinis, quàm Græcis, ejus ſententiæ fuerunt; tûm maximè, quia de alia doctrina diſceptabatur. Alterum quod Act: 6. legitur: Iconomachos, licet vocarent Euchariſtiam imaginem corporis Chriſti, non tamen negâſse in ea contineri corpus verum Chriſti, ac proinde Calviniſtas non ſolùm ab hac Oecumenica Synodo VII. ſed etiam à Pſeudo - ſeptima fuiſse prædamnatos, eoſdemq; mentiri impudentiſſimè, cùm dicunt Iconomachos negâſse ipſum Domini corpus in Euchariſtia. Tertium Act: 7. recitatum ſuiſse Symbolum

cum

cum addito *Filioq*; quod, ut ait *Baronius*, ad an: 787. *Iconoclastarum fuit prima reprehensio illa, ne diceretur, Spiritus* à Patre Filioq; *procedere*. Quod attinet ad cultum Imaginum Sacrarum, damnati sunt, tum ii, qui eas perindè, atq; idola execrabantur, quiq; asserebant ornamenti, non venerationis causâ in templis esse collocandas; tum ii, qui è contrario volebant honorem *Latriæ* illis haberi, adeoq; falsum est, quod fingunt recentiores heterodoxi, adorationem *Latriæ* unius Dei propriam, ab hac S. Synodo adjudicatam Imaginibus Sanctorum. Sed de hoc plura alibi.

§. VIII.

De Concilio CPolitano IV. Oecumenico VIII.

De hoc Concilio abundè dictum, ubi actum de Schismate Græcorum. Hic pauca proferenda. *Hadrianus* Pontifex Epist: 2. ad *Basilium* Imp: quæ inserta est Act: 1. hujus Concilii *Edit*: *Labb*: tom: 8. pag: 982. scribit. *Volumus ergò per Vestræ pietatis industriam illic* (Constantinopoli) *numerosum celebrari Concilium*. Paruit Basilius, & Concilium Oecumeni-

menicum VIII. Cpolitanum IV. convocavit. Quot fuerint Episcopi præsentes, haud satis compertum. Actioni I. præter Legatos Apostolicos, *Donatum* Ostiensem, & *Stephanum* Nepseninum Episcopos, ac *Marinum* Diaconum, Præsides Capituli, exceptisq; Legatis Patriarcharum Orientalium, & *Ignatio* Cpolitano, duodecim tantùm Antistites adfuère. Reliquis Actionibus crevit Episcoporum numerus. Nam 100. & 9. subscripserunt Concilio. Porro numeri tam exigui causa, quia non admissi Episcopi faventes Photio. Concilium inchoatum an: 869. III. Nonas Octobris, & decem Actionibus absolutum pridie Kal: Martii anni subsequentis. Act: 1. dictum anathema Photio ejusq; fautoribus, atq; *in majorem hominis detestationem*, ut scribit ex *Niceta* Baronius, subscriptum anathema calamis intinctis ipso Christi sanguine. Act: ultima editi Canones 27. ad fidem, Sacramenta & disciplinam pertinentes, septemq; priora Oecumenica Concilia confirmata.

Canon IV. decernit, *Photium nunquam fuisse prius, aut nunc esse Episcopum.* Nimirùm

mirùm Photius nunquam fuit Episcopus, quantùm ad jurisdictionem, & legitimam Episcopalis potestatis executionem, non verò quoad potestatis collatæ characterem. Nec obstat, quod *Nicolaus I.* S. Pont: ad *Michaëlem* Imp: Epist: 9. scribit: *Igitur nihil Photius à Gregorio* (Syracusano homine Schismatico, Photii consecratore) *habuit, nihil autem habuit, nihil dedit.* Nam eo locô dicitur Gregorium, qui & Episcopatû, & fidelium communione privatus erat, nihil dedisse Photio Sacris à se initiato, & nihil proindè Photium iis, quibus ipse contulerat Ordinis Sacramentum, nihil, inquam, dedisse Ordinationis legitimæ, nihil gratiæ, neuter enim quid hujusmodi, utpotè sacrilegus, & Schismaticus habuit, at characterem Sacramenti habuit uterq; ideoq; aliis uterq; conferre potuit. Vide *Natalem* Hist: Sæc: IX. & X. Disert. 4. §. 22.

§. IX.

De Concilio Lateranensi I. Oecumenico IX. in Occidente I.

Gregorius VII. Pont: *Henricum* Imp: hujus nominis V. sæpè literis, ac lega-

legationibus paternis monuit, ut á beneficiorum *investituris* per baculum & annulum fieri tunc consuetis, nec non à simonia, aliisq; sceleribus abstineret, at cùm in malo obstinatus, nedum *Gregorii*, sed etiam Gregorii Successorum, nimirum *Victoris III. Urbani II. Paschalis. II.* & *Gelasii II.* imo & istorum omnium Successoris *Calixti II.* monita contemneret, & anathemata non reformidaret, verisq; Pontificibus illis pseudo-Pontifices opponeret *Guibertum* modò, modò *Burdinum*. Guibertum nempe *Gregorio*, *Victori*, *Urbano*, *Paschali*; Burdinum vero *Gelasio* & *Calixto*.

Tandem anno 1121. *Calixtus II.* è Gallia, ubi Cluniaci post *Gelasium* electus, Romam veniens, capto & in carcerem detruso pseudo-Pontifice Burdinô, *Aldebertum* Præsulem Moguntinum adversus *Henricum* Imp: in Germania Legatum instituit, isq; ita strenué suæ legationis munus implevit, ut Saxones universos commoverit, & ingentem exercitum paraverit. Mox ad deliberandum de pace cum Ecclesia ineunda deliberatum est, quæ per missos à Pontifice Legatos Vormatiæ conclusa est. Hoc

Hoc ipſo tempore, quô in Germaniam pro pace ſtabilienda irent Legati, *Calixtus II* indixit gen. Concilium anno 1122. Romæ in Lateranensi S. Joannis Ecclesia celebrandum, cui interfuit Pontiſex cum 300. & amplius teſte *Suggerio*; imò ſecundum Pandulphium in vita Calixti cum 997. Patribus, Epiſcopis vel Abbatibus. Quo in Concilio anno 1123. 1. Probata fuêre pacis conventa Vormatiæ circa liberas electiones Prælatorum. 2. Reſciſſa ſunt Acta *Burdini*. 3. Pro diſciplina labefectata reformanda 22. Canones editi ſunt.

§ X.

De Concilio Lateranensi II. Oecumenico X. in Occidente II.

Concilium Oecumenicum X. Lateran. II. an. 1139. celebratum. Interfuerunt Epiſcopi circiter mille. Præfuit S. Pont. Innocentius II. Canones 30 conditi. Canone 15 novum latum eſt decretum; cùm enim Sacerdotibus aliiſq; Clericis honor debitus non redderetur, ſtatuitur: *Si quis ſuadente diabolô hujus ſa-*

crilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculô ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum præſumat illum abſolvere, niſi mortis urgente periculô, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat. Prohibet etiam ſub eadem pæna, in eos manum mittere, qui ad Ecclesiam vel cæmeterium confugiunt. Canonibus cæteris damnati Simoniaci, Nicolaitæ, quiq; ſacras *inveſtituras* à laicis acciperent. Reſciſſa Acta falsi Pontificis *Petri Leonis* dicti *Anacletus II.* Damnati Arnaldiſtæ & Petrobusiani. Hi enim à *Petro* de Bruis nominati negabant parvulos nondum habentes uſum rationis poſſe baptiſmi beneficiô æternam beatitudinem aſſequi. Illi verò nomen nacti ab *Arnaldo* de Brixia, qui ut narrat *Otto* Frisingensis de Geſtis Frid. I. lib. 2. c. 21. *dicebat nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione ſalvari poſſe. Cuncta hæc Principis eſſe, ab ejus beneficentia in uſum tantum Laicorum cedere oportere.* Baronius etiam in Annal. *Dum Romæ eſſet,* ait, *jactare iſta cæpit, Laico-*

corum esse omnia temporalia, & ea à Clericis injustissimè detineri. Quam insanam doctrinam secuti sunt postea Valdenses, seu Pauperes de Lugduno, Hussitæ, *Marsilius* Patavinus, *Joannes* de Jamduno Perusinus, homines *Ludovico* Bavaro contra Joannem XXII. mancipati. His postea adhæsit *Vicleffus.* Ab Vicleffo pestifera lues manavit ad *Lutherum*, Centuriatores Magdeburgenses, *Molinæum*, *Volfium*, *Goldastum*, *Coringium*, ut jure Baronius ad an. 1141. *Politicorum hæreticorum Patriarcham atq; Principem* Arnaldum appellaverit.

§ XI.

De Concilio Lateranensi III. Oecumenico XI. in Occid. III.

Adrianô IV. Pontif: mortuô *Alexander III.* ante dictus *Rolandus* electus à Cardinalibus 21 æmulum expertus est *Octavianum*, *Victorem IV.* appellatum à tribus tantúm Cardinalibus electum. Pro illo Pseudo-Pontifice stabat *Fridericus* Imp. qui quasi pacis conciliandæ causâ Concilium Papiæ celebrandum indixit, restitit ausui *Alexander* Pont. di-

cens non esse Cæsaris congregare Concilia. Nihilominùs celebratur indictùm ab Imp. Papiense Conciliabulum an. 1160 á præsentibus 40. vel 50. Episcopis, ex ditionibus Friderici coactis, in quo, *Alexandró* reprobatô, probata est electio *Victoris* Antipapæ.

Alexander in Galliam secedens an. 1162. congregatô Conciliô, *Victorem* cum complicibus excommunicavit. Mox an. 1163. Turonense Concilium celebratum præsentibus 17. Cardinalibus, 124. Episcopis, & Abbatibus multis, in quo Acta Papiensis Concilii sunt rescissa, & *Victor* iterúm excommunicatus.

Romam rediit *Alexander*, interim moritur *Victor*, sed non schisma; nam in locum mortui intruditur *Quido* dictus *Paschalis III.* Hoc sublatô substituitur *Joannes* Strumensis Abbas, qui *Calixti III.* nomen usurpat. Sed ille tandem paulò post cum *Friderico Alexandro III.* lubenter se subdidit, eum ut legitimum Pontificem agnovit, idem Venetiis cum Alexandro conveniens fecit Fridericus. Sic extincto Schismate.

Con-

Concilium illud gen. indixit, an. 1179. celebratum, juxta *Guillelmum* Tyrium, qui adfuit præſens, interfuerunt Epiſcopi 300. Præside ipſo *Alexandrò*. Porrò coactum hoc Concilium 1. ad damnandos Schiſmaticos. 2. ad damnandas Catharorum, Valdensium, & Albigensium hæreſes 3. ad reſtituendam Ecclesiæ diſciplinam.

Obviando Schiſmati præſcribit modum eligendi S. Pontificem. Vide Synopsim Hiſt. de Cardinalibus. Anathematizat hæreticos. Tandem 27. Canones edit.

§ XII.

De Concilio Lateranensi IV. Oecumenico XII. in Occidente IV.

Innocentius III. S. Pont. hoc Concilium indixit an. 1213. celebratum 1215. trium rerum causâ. 1. ut damnarentur Albigensium, Joachimi Abbatis, & Almarici errores. 2. ut reſtitueretur depravata Ecclesiæ diſciplina. 3. ut modus inveniretur Terram S. recuperandi. Concilio interſuerunt Epiſcopi 412. In his Patriarcha Cpolitanus

& Jerofolymitanus, nomine Antiocheni, Epifcopus Antheradensis, Alexandrinus legavit *Germanum* Diaconum. Primates & Metropolitæ 77. Cænobiarchæ 800. Abfentium Præfulum Procuratores complures. Imperatorum Orientis & Occidentis, Regumq; Oratores. Præfuit ipfe Pontifex. Ergo.

1. Albigenfes damnati; damnatus libellus *Joachimi* Abb. contra Lombardum, non tamen perfona; proindè ejus fanctitati non nocet damnatio. Damnata *Almarici* Cartonensis impia dogmata, ejusq; offa effoffa & tradita flammis.

2. Pro reftauranda Ecclefiæ difciplina varia funt condita decreta, Canonibus 70. comprehenfa.

3. Decreta eft in terram S. expeditio, variis privilegiis et indulgentiis ad eam properantibus benigne conceffis.

In hoc Concilio ut fupra dictum Canone V. Poft Rom: Pontificem prima Sedes decernitur Patriarchæ CPolitano. Can. 21. ftatutum ut Chriftiani ad ufum rationis venientes *peccata fua confiteantur proprio Sacerdoti*, ac Sacrum Do-

Domini Corpus semel saltem quotannis in Paschate sumant, aliter arcendi ab Ecclesia.

§. XIII.

De Concilio Lugdunensi I. Oecumenico XIII. in Occidente V.

Summus Pontifex *Innocentius IV.* ut temeritatem *Friderici* Jmp. Ecclesiæ ditiones devastantis deprimeret, aliisq; Ecclesiæ commodis consuleret, ad congregandum Concilium gen: animum adjecit, at cum id in Jtalia coadunari non posset ob bella intestina, & factiones *Gibellinorum*, qui à parte Friderici stabant, & *Guelphorum* primorum hostes; Galliam petiit, ibiq; re ipsa gen. Concilium ad Festum S. Joannis Baptistæ Lugduni celebrandum indixit, an. Christi 1245. cui præter Cardinales multos interfuêre Patriarchæ tres, CPolitanus, Antiochenus, Aquilejensis, Episcopi 140. Ex Palæstina venit solus Episcopus Berytensis, ex Hungaria nullus, ex Germania turbata pauci. Aderat *Baldvinus* Jmp. CPolitanus, S. Ludovici Regis Orator, Comes Tolossanus, *Fri-*

Friderici Jmp. Procurator *Thaddæus* Jmperialis Cameræ Judex. His congregatis in Ædibus Monachorum S. *Justini* ipsô Pontifice Præside cæptum est illud Concilium.

Tribus actionibus perfectum est. Jn 1. *Innocentius IV.* multa dixit de constituendis moribus Præsulum, ac tyrannide *Friderici II.* coercenda. In altera Episcopus Calamensis enarravit ejusdem Jmp. crimina gravissima; propter quæ in 3. Act. confixus est anathemate, Regnôq; Siciliæ, ac Jmperiô depulsus. Hoc fulmine in suum Principem vibrato, percitus *Thâddæus* appellavit ad Concilium proximè futurum generalius. Sed illi reposuit Pontifex teste *Mathæo* Parisien: *Satis est Concilium generale multorum, qui Domini tui humilitatem inutiliter, non sine gravamine exspectarunt - - - - Et qui absunt, laqueis Domini tui reperiuntur irretiti; unde propter hoc indignum est ut sententia depositionis in ipsum ferenda retardetur, ne ex malitia sua commodum videatur reportare, cùm non debeat alicui fraus patrocinari.*

Conditi Canones 17. Ex his 12. judi-

dicia regunt Ecclesiastica, ideò à Bonifacio VIII. relati in lib. 6. Decret. Reliqui de subsidiis mittendis periclitanti Latinorum Jmperio CPoli. Ac decretæ expeditionis in Palestinam Dux præfectus S. Ludovicus Rex Galliæ. Jd præterea *sancitum fuit, ut dies Natalis B. MARIÆ V. DEIq; Matris octo dierum spatiô celebraretur,* ut est apud Labb.

Observat hic Petrus de Marca l. 4. de Concord: c. 17. §. 5. *Primus omnium, qui appellatione ad futurum Concilium usus est. prodit sese apud Historicos Fridericus II. Jmperator.*

Jn hoc Concilio rubeus galerus Cardinalibus datus. *Pontifex post Concilium anno 2. Cluniacum ivit, cum Rege Franciæ, & ipsius Fratribus locuturus; ubi Domini Cardinales primo capellos rubeos receperunt, sicut in illo Concilio fuerat ordinatum,* ait Nicolaus de Curbio in vita Jnnocentii IV.

§.

§. XIV.
De Concilio Lugdunensi II. Oecumenico XIV. in Occidente VI.

Cùm per Cardinalium compromissum, à S. Bonaventura tunc Ord. Seraphici Ministro Generali electus esset *Gregorius X.* hic ut Rei-Publicæ Christianæ prospiceret, Concilium hoc indixit 1. ut ibi ageretur de Græcis ad Ecclesiæ fidem & communionem reducendis. 2. de procurando subsidio Christianis in Syria cum Saracenis pugnantibus. 3. de reformanda morum disciplina.

Anno ergo 1274. celebratum illud Concilium Præside ipso S. Pontifice præsentibus Cardinalibus 15. Patriarchis 2. CPolitano & Antiocheno, Archi-Episcopis 60. aut 70. Episcopis 500. Abbatibus multis. Directione Concilii commissa S. Bonaventuræ Card. & Episcopo Albanensi, ut ea quæ proponenda & decernenda erant, provideret, & ordinaret.

Jn 1. Sess. præscriptus est modus eligendi celerius S. Pontificem, de quo supra in Synopsi de Card.

Jn

Jn 2. Nonnullæ lectæ Constitutiones pro fide. Obtinuit Pontifex à Prælatis omnibus Decimas redituum Ecclesiasticorum ad sex annos pro subsidio belli Syriaci.

Jn 3. Sess. probatæ Constitutiones variæ.

Jn 4. Post adventum Græcorum, ipsi ejurato Schismate ad Ecclesiæ communionem recepti sunt. Facta unione primò latinè, secundo græcè Symbolum CPolitanum cantatum est cum particula *Filioq;*

Jn 5. Sess. Constitutiones variæ probatæ. Postea interfuit Pontifex cum Patribus exequiis S. *Bonaventuræ*, qui inter 4. & 5. sessionem obierat, cujus funebre pronuntiavit elogium Card. *Petrus* de Tarantasia Ord. Præd. postea *Innocentius* V. Pontifex, sumptô themate: *Doleo super te Frater mi Jonatha* 2. Reg. 1.

Sess. 6. Duæ Constitutiones lectæ & probatæ. Sic Concilium finitum, Cardinali *Olobonô* alta voce dicente: *Recedamus in pace.*

§.

§. XV.

De Concilio Viennensi Oecumenico XV. in Occidente VII.

Anno post mille trecentos undecimo *Viennæ* Allobrogum in Gallia celebrari cæpit hoc Concilium à *Clemente* V. Rom. Pontifice 1. ad extinguendum publica criminum infamia laborantem militarem, Templariorum olim Sanctissimum Ordinem. 2. ad damnandos Petri-Joannis Fratricellorum, & Dulcinistarum, Begardorum & Beguinarum, temporibus illis grassantes errores. 3. de ferendo terræ Sanctæ subsidio. 4. ad reformandos Ecclesiæ mores. Præter Pontificem, Cardinales multos, Patriarchas duos Alexandrinum & Antiochenum aderant Episcopi 300.

Jn 1. Sess: Ordo Templariorum suppressus, cassatus, & extinctus est, non per sententiam definitivam, sed per modum provisionis, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, nec quod omnes essent rei, sed cúm omnes de iis factis infamarentur, ordo factus est inutilis. Hæretici pariter damnati.

Jn

Jn 2. Seſs: Redituum poſt Templarios, relictorum translatio facta eſt ad Equites Rhodienſes, modo Maltenſes.

Jn 3. Promiſſa eſt expeditio ſacra in terram S. à Philippo Rege Galliæ.

§. XVI.

De Concilio Florentino Oecumenico XVI. in Occidente VII.

Hoc Concilium Florentinum, habetur veluti quædam continuatio Concilii Baſileenſis, quod cùm in Schiſmate contra *Eugenium* pertinaciter hæreret, deſiit eſſe Oecumenicum. Major ergò pars Patrum Eugenio conſentiens ſe contulit Ferrariam, ubi an. 1438. V. Jdus Aprilis inchoatum eſt Concilium ad Græcos reconciliandos cum Latinis.

Jnterfuerunt Epiſcopi 140. vel 150. inter illos *Joſephus* Patriarcha CPolitanus, *Beſſarion* Antiſtes Nicænus poſtea S. R. E. Cardinalis; *Iſidorus* non Theſſalonicenſis, ſed Kiovienſis Metropolita, pariter ob navatam operam unionis S. R. E. Card. creatus, & *Marcus* Epheſinus. Adſuit etiam *Joannes* VII. Palæo-

læologus Græcorum Jmp. Primæ sess. præfuit *Nicolaus* Albergatus Card. S. Crucis ex Ord. Carthusianorum. Reliquis ipse *Eugenius IV.* Pontifex. Quinq; & viginti numerantur Sessiones hujus Concilii; Sexdecim habitæ sunt Ferrariæ, Florentiæ verò reliquæ.

Actum est de quinq; Capitibus inter utramq; Ecclesiam controversis. 1. de processione Spiritûs S. à Filio. 2. de additione vocis *Filioq;* facta Symbolo. 3. de pane azymo vel fermentato in Euch. 4. de purgatorio. 5. de primatu Rom: Pontificis. Post multas disceptationes tandem convenerunt Græci, excepto uno *Marcô* Ephesino de articulis controversis, ad sensum Rom: Ecclesiæ, nempe 1. *Spiritum S. a Patre & Filio, tanquàm ab uno principio procedere.* 2. *Meritò additum Symbolo Filioq;* 3. *In azymo & fermentato posse Eucharistiam confici, quemlibet tamen debere suum ritum servare.* 4. *Dari purgatorium, in quo animæ, quibus aliquid expiandum restat, detinentur. Sed in eo, sive ignis sive caligo, aut turbo sive quid aliud sit, non contendimus.* 5. *Rom. Ponti-*

tificem esse Christi Vicarium, Caput totius Ecclesiæ, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem, à Domino potestatem plenam traditam esse.

Hæc in celebri unionis decreto reperiuntur, cui dùm subscripsisset *Josephus* Patriarcha, repetens illud Simeonis *Nunc dimittis* &c. obdormivit in Domino, in Ecclesia Ord. Præd. Florentiæ sepultus.

Felix sané *Josephus*, quia mala, quæ post mortem ejus supervenerunt, non viderunt oculi ejus. Nam pax omnium votis conclusa, si Marcum excipias, brevis admodum fuit. Græci enim vix in Patriam reversi, authore Marcô renovârunt Schisma antiquum, in quo ad hodiernum diem perseverant, post 12. aut 14. cum Ecclesia Latina reconciliationem, ut supra jam dixi. Nam S. Antonius 3. p. Chron. tit. 22. c. 13. hanc 12. appellat, alii verò apud Spondanum ad an. 1274. §. 8. eam dicunt 13. quæ in Conc. Lugdunensi II. facta est, fit consequens Florentiæ initam esse 14. Quia tamen hucusq; nulla publica facta est definitio à Græ-

cis

cis contraria Florentinæ, error Græcorum, qui à nobis diſſident, cenſeri debet perſonalis, non totius Eccleſiæ Græcæ.

Poſt Græcorum diſceſſum edidit *Eugenius* Decretum unionis pro Armenis erudiendis, quorum alii erant Eutychetis, plures Neſtorii lue infecti. Deinde ſubſecuta eſt Jacobitarum reconciliatio, hoc eſt Orientalium unio aliorum adhærentium *Jacobo* Zanſelo Syro, Eutychetis & Dioſcori dogmata ſequenti.

Volunt quidam hæc Decreta Armenorum & Jacobitarum non habere authoritatem Concilii gen. ſed Nationalis tantùm, quia diſceſſerant Græci: At alii congruenter oppoſitum tenent. Et hoc ipſa loquendi formula confirmat, ait enim Pontifex *Sacroſancto approbante Conciliò.* Item dicit ſe tradere *ipſis decretum Unionis cum Græcis conſummatæ pridem in hoc S. Oecumenico Concilio promulgatum.* Tandem ſubſcribitur. *Datum Florentiæ in publica Seſſione Synodali* &c.

Item cum in Concilio Trid. an.

1547. Febr: 26. Episcopus Clodiensis dubitasset de Bulla unionis Jacobitarum, quod non pertineret ad Concilium Florentinum, quod dicebat absolutum quando consignata fuit Bulla unionis Graecorum, Cardin. de Monte reposuit: *Hallucinaturos qui putant finem Concilii Flor: fuisse unionem Graecorum, cum longè post, per tres scilicet ferè annos perduraverit, videlicet ad an. D. 1442. quô annô sextô Kalen. Maji celebrata Sessione: Romam translatum fuit. Patere ex diversis Constitutionibus, medio illo tempore editis, quae in Actis Concilii habentur.* Ita legitur Tomo 1. Act. Conc. Trid. sub Paulo III. ut refert *Horatius* Justinianus.

§ XVII.

De Concilio Lateranensi V. Oecumenico XVII. in Occidente IX.

Cùm Conciliabulum *Pisis* congregassent novem Cardinales à *Julio II.* alieni anno 1511. eô videlicet praetextû, quod non staret promissis, nec juramento in electione praestito, de generali convocando Concilio intra pri-

mum à consecratione biennium, pro reformandis Ecclesiæ moribus, & procuranda inter Princepes Christianos pace, id videns fieri *Julius*, ut schismati obviaret, maximè cum Conciliabulo faveret *Maximilianus* Imp: & *Ludovicus XII.* Rex Galliæ, uterq; *Julio* infensus, hoc Concilium Romæ in Laterano celebrandum indixit, cui interfuêre Patres 114. duntaxat, inter quos numerabantur Cardinales 18. Patriarchæ 2. Alexandrinus & Antiochenus, Archi-Episcopi, Episcopi plures, præterea Abbates & Generales Ordinum multi. Oratores Principum imo Imperatoris *Maximiliani*, cujus exemplum secutus *Ludovicus* Rex Galliæ. Duravit per quinquennium nempè ab anno 1512. ad an: 1517. Duodecim complectitur Sessiones.

Præfuit *Julius II.* usq; ad Sess: quartam, quâ finitâ, cûm in morbum incidisset, quintæ prefuit *Raphael* Ricarius Card: Epis: Ostiensis, ac septem reliquis *Leo* X. in locum *Julii* demortui suffectus.

Est autem summa Concilii; Acta Pisa-

Pisani Conventiculi rescissa. Pænæ Card: Schismaticis, cæterisq; ejusdem Conventûs authoribus inflictæ. Simoniaca Pontificis electio irrita declarata. Damnati, qui assererent, animam rationalem esse mortalem, aut unicam in omnibus hominibus. Decreti Legati ad Principes, qui eos reducerent ad concordiam. Statutum ut Cardinalium domus, familia, mensa, supellexq; ejusmodi sint, ut modestiæ & frugalitatis speculum dici mereantur. Cautum etiam nè Cardinales partialitatem suscipiant aliquam, sed æquitatis promotores & defensores sint. Pænæ constitutæ in Clericos & Laicos blasphemiæ & nefarii criminis reos. *Montes pietatis* approbati & confirmati. Latæ leges à Concionatoribus observandæ, castigataq; eorum vitia. Pragmatica Sanctio abrogata, & in locum ejus substitutum Concordatum Gallicum initum Bononiæ inter *Leonem X.* & *Franciscum I.* Regem Galliæ. Porro *Sanctio Pragmatica* seu *Carolina a* Carolo VII. Rege Galliæ dicta, nihil est aliud quam famosa illa constitutio, in Concilio Bituricensi sub *Carolo VII.*

Gallorum Rege an: 1438. ex Decretis ferè Pſeudo-Synodi Baſileenſis conflata, ac in tres & viginti titulos diviſa. Præponit authoritatem Concilii authoritati Summi Pontificis. Electiones Epiſcoporum, quas ſibi Rom: Pontifices reſervârunt Canonicorum Collegiis reſtituit. *Exſpectativis prœterea gratiis*, ait Guaguinus, *locum eſſe non ſinit*, & alia plura ſtatuit injurioſa Sedi Apoſtolicæ. Vide P. *Laurentium* Czepańſki in Controv: Occid: Sæc: XV. cap: 13. § 7. *Natalem* in Hiſt: Sæc: XVI. *Graveſonium*.

Itaq; Rom: Pontifices regiam hanc Conſtitutionem non ſecùs ac hæreſim pernicioſam execrati, egerunt cum Regibus Galliæ, ut abrogaretur, certatumq; ſuper hac re per annos amplius 70. Annô demum 1516. per *Concordatum* inter Leonem X. & Franciſcum I. quod modò nominavi, controverſia ſedata eſt, iterumq; electiones Collegiis Canonicorum abrogatæ, nominationes Epiſcoporum delatæ Regi, confirmatione Pontifici reſervata. *Pragmaticæ* ſtatuta partim abolita, partim

tim omissa, partim correcta, partim approbata, ut est apud Petrum de Marca lib 6. de Conc: cap: 9. Vide laudatum Czepański loco cit: pag: 401. & seq;

§ XVIII.

De Concilio Tridentino Oecumenico XVIII. in Occidente X. omnium ultimo.

Cùm Sæculo XVI. Christiani Principes (ut sileam gravissimas Turcarum irruptiones in Provincias Christianorum) bellis continuis ferè inter se contenderent; Martinus Lutherus non tam novæ hæresis, quàm prædamnatorum jam diu antea errorum resuscitator, qui quassatam Rempublicam penitus conatus conterere, damnatus à *Leone X.* Pontifice, proscriptus ab Imperatore, sæpius etsi nec jure nec seriò, appellavit ad Concilium generale, non ut rebus afflictis consuleret, sed tantùm ut competentium Judicum potestatem eluderet, & suæ contumaciæ perfugium haberet.

Ordines Imperii in Comitiis Norimbergæ congregatis jam anno 1523.

optimo zelo ſuaſerunt *Adriano* VI. remedium utile fore, ſi Concilium indiceret generale. Hi ipſi cum anno ſequenti rurſus in eadem Urbe conveniſſent, inſtârunt apud *Clementem VII.* Adriani Succeſſorem. Urſit etiam Cæſar *Carolus V.* qui inter primas amicitiæ, cum *Clemente* annô 1527. redintegratæ leges, voluit hanc eſſe, ut quàm proximè fieri poſſet, cogeretur Concilium generale. Sed vivô *Clemente* id fieri non potuit; Succeſſor ejus *Paulus III.* anno 1537. indixit primò *Mantuæ* Concilium, ſed Dux Mantuanus conditionibus, quæ accéptari non poterant, negotium impedivit. Deinde *Vincentiam* convocatum eſt, ubi quædam inchoatio facta, quàm tumultus bellici diſturbârunt in ipſo limine annô 1538. Poſtea ab eodem Pontifice indictum fuit, ut annô 1542. Tridenti congregaretur, at & tunc bella impediebant.

Felicior ſucceſſus fuit, cùm idem Pontifex annô 1544. convocavit Concilium, in ea urbe celebrandum annô ſequenti: Inchoatum ergò fuit a *Paulo*

III.

III. ſub *Carolo V.* Imp: Rege Hiſpaniæ, utriuſq; Siciliæ ac Indiarum, Belgii Principe &c. *Ferdinando* ejus Fratre, Hungariæ, Bohemiæ, Rege, Archiduce Auſtriæ; annô 1545. Martii 15. in quem Dominica *Lætare* inciderat. Sub eodem Pontifice tranſlatum eſt annô 1547. Bononiam ob metum peſtis. Sed à *Julio III.* qui *Paulo* ſucceſſit reductum eſt Tridentum annô 1549. Kalen: Maji ibiq; continuatum ad annum 1552. quo per bellicos tumultus abruptum hæſit ſub Marcello *II.* & *Paulo IV.* ſuſpenſum. Deniq; poſt intermedium 10. fere annorum à *Pio IV.* ſub Imperatore *Ferdinando I.* reſumptum, & annô 1563. feliciter finitum fuit.

Adſunt ait Villepandus apud Bellarm: lib: 1. c. 5. de Conc: *ſex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ 3. Archi-Epiſcopi 32. Epiſcopi 228. Abbates 5. Generales Ordinum 7. Epiſcoporum Procuratores plurimi.* Conſtat Seſſionibus 25. *Paulo III.* regnante 10. celebratæ, nempe octo Tridenti, duæ Bononiæ. A *Julio III.* Tridenti rurſus inſtauratum,

tum, sed post sex celebratas Sessiones intermissum. Tandem anno 1562. redintegratum est operâ *Pii IV.* & novem Sessionibus, quæ aliis additæ, numerum Sessionum 25. explevêre, absolutum, *Ferdinando I.* Imperatore anno 1563. septimo ac vigesimo, postquam à *Paulo* III. Mantuam indictum fuerat. Illius Decretis Patres, quibus jus erat, 255. subscripsère, *Pius IV.* ejus Acta confirmavit anno 1564. Constitutione edita 7. Kal: Febr: cavitq; ne ulli in Concilium Commentarii ac Interpretationes ederentur. Idemq; Constitutione alia edita 15. Kalen: Aug: edixit: *Decreta ejus ad reformationem jusq; positivum duntaxat spectanti à Kalen: Maji proximè præteriti omnes obligare cœpisse.*

In eo Concilio tot & tam graves definitiones, atq; morum emendationes factæ sunt, quot & quales à multis Conciliis aliis, simul non sunt confectæ, tanto Christianæ pietatis incrementô, quantum fortasse, nulla unquam alia ratione post hominum conversionem ad fidem evenire visum est. Habetur deniq; in tanta veneratione, ut quamvis ipsum

ipſum Concilium ſtatuerit, in omnibus ſuis Decretis ſalvam ſemper eſſe & intelligi debere Pontificis authoritatem; Pontifices tamen nunquam iis cenſeantur derogare in ſuis Bullis & Conſtitutionibus, in concedendis privilegiis & gratiis, niſi expreſſam faciant hujus Concilii mentionem, vel alioquin gratia & privilegium redderentur hoc ipſo fruſtranea.

Synopſis Hiſtorica

Conciliorum generalium partim legitimorum partim illegitimorum.

Concilia generalia partim legitima partim illegitima, ſeu ex parte ſolùm approbata ſunt ſequentia 1. *Sirmienſe* in Panonia. 2. *Ariminenſe* in Italia. 3. Quiniſextum ſeu *Trullanum* Conſtantinopoli. 4. *Francofordienſe* in Germania. 5. *Piſanum*. 6. *Conſtantienſe*. 7. *Baſilienſe* in Germania.

§ I.

De Concilio Sirmienſi.

Tria Concilia fuerunt *Sirmii* celebrata, quorum primum habitum eſt vel

anno

annô 347. juxta *Natalem*, vel 351. juxta *Baronium*, & in eo damnatus Photino Sirmienſis Epiſcopus qui aſſerebat Chriſtum eſſe purum hominem. Alterum Concilium Sirmienſe celebrârunt Ariani annô 357. in eo edita eſt formula purè Ariana, cui ſubſcripſit *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus, olim Arianorum flagellum. Tertium fuit convocatum 358. & in ea procuſa fuit formula, in qua Filius DEI, Patri per omnia ſimilis dicitur. Secundum & tertium totaliter ab Eccleſia Catholica reprobatum fuit; cùm utrumq; ſtabiliverit errorem ſecundum quidem rigidorum Arianorum, tertium Semi-Arianorum, rejiciendo vocem *Conſubſtantialis*.

Loquimur ergo de primo Concilio Sirmienſi, in quo per formulam græcè conceptam cum Anathematiſmis XXV. damnantur anathemate qui dicunt. *Filium DEI de non exſtantibus, aut ex altera hypoſtaſi* (ſumitur pro ſubſtantia) *eſſe, vel fuiſſe tempus, aut ſæculum, quando non erat.* Hæc formula á S. *Hilario* commendatur ut Catholica, & ſecundùm eam partem hoc Concilium Sirmienſe probatur

tur ab omnibus, secundùm aliam vero, qùod vocem *homousion* omiserit, damnationem S. Athanasii exegerit semper suit reprobatum. Hic obiter nota, huic formulæ subscripsit *Liberius* Papa.

§ II.

De Concilio Ariminensi.

Anno 359. habita est Synodus Ariminensis, cui intersuerunt 400. Episcopi Occidentales, qui rejecta fidei formulâ à *Valente* & *Ursacio* Episcopis Arianis sibi oblata Nicænam fidem unanimi consensû probaverunt, hanc ad omnia abundè sufficere judicârunt, atq; ad Constantium Imp: Legatos miserunt qui eum de gestis certiorem facerent. At Legati ab *Ursacio* & *Valente* Arimini damnatis, præventi nihil effecerunt apud Imperatorem exasperatum. Unde factum, ut jussu Principis *Taurus* Præfectus Episcopos detinuerit, eosq; sic modis variis afflixerit, ut tandem quá animorum dejectione, quà precibus & promissis, quá vi, dolis, & artibus, quà longioris moræ tædiô, quá quietis & revisendarum suarum Ecclesiarum desi-

desiderio compulsi fuerint ad subscribendum formulæ, quam *Ursacius* & *Valens* Nicææ in Thracia ediderant, quæ erat similibus verbis composita, ac tertia Sirmiensis, suppressa voce *consubstantialis* sive *homousion*. Quò ad primam partem legitimum fuit Concilium & probatum, at cum formulæ, quam, à Catholica doctrina non abhorrere putârunt, imprudentiâ lapsi plurimi aliis in exilium pulsis, subscripserunt, Concilium in Conciliabulum versum est.

§ III.

De Concilio Quini-sexto, sive Trullano quod & erratica Synodus dicitur.

Cúm Synodi generales V. & VI. nullos pro disciplina Ecclesiastica Canones edidissent hanc Synodum *Trullanam* (dicta á loco in quo Concilium fuit coadunatum, unde Synodus VI. Oecumenica, cum erratica non debet confûndi) celebrârunt Orientales, ut esset instar Appendicis & Supplementi, harum duarum præcedentium Synodorum Oecumenicarum, hac de causa *Quini-sexta* fuit nuncupata, *Erratica* à V. Beda. Hæc

Hæc Synodus, quæ anno 691. vel 692. ſub *Sergio I.* Rom: Pont: & *Juſtiniano* II. cui *Rhinotmeto* cognomen ob nares præciſas, Imp: fuit celebrata ab Epiſcopis vel 240. vel 227. ſecundùm alios 211. Nec de Præſide ſatis conſtat. Sunt qui *Callinicum* Pauli Conſtantinopolitani Patriarchæ Succeſſorem, nec deſunt qui Paulum ipſum præfuiſſe ſcribunt. Paulus ſanè Canonibus ſubſcripſit, ut antiquorum Codicum teſtimoniô oſtendit *Mathæus* Blaſtares.

Utrum autem huic Concilio adfuêrunt Legati Sedis Apoſtolicæ diſputant Hiſtorici. *Anaſtaſius* Biblioth: narrat adfuiſſe, *ac deceptos ſubſcripſiſſe;* hi autem fuerunt *Apocriſiarii,* ſeu *Reſponſales,* apud Imperatorem negotia univerſalis Eccleſiæ tum ad fidem, tum ad diſciplinam pertinentia, procurare ſoliti, quibus Rom: Pontifices liberum de re aliqua decernendi arbitrium non permittebant. Neq; enim Legati á *Sergio* cum liberis mandatis ad hoc Concilium miſſi, ut á Baronio ad an: 692. & Petro de Marca lib: 5. de Concord: cap: 18. oſtenſum eſt, contra *Balſamonem*

Græ-

Græcum, qui contendit Conventum illum *Trullanum* habere authoritatem Synodi Oecumenicæ, quod instructus fuerit Legatis Sedis Apostolicæ. Quoniam etiamsi id verum esset, id tamen nihil momenti faceret: *Nisi enim,* addit Baronius, *quæ in Synodis à Legatis sunt gesta, ea confirmentur a Rom: Pontifice, subscriptioneq; roborentur, nullius esse roboris convincuntur* &c.

Quare post *Balsamonem* oleum operamq; perdidit *Quillelmus Cave*, dum in *Hist: Literali sæculo Monothelitico* in odium Romanæ Ecclesiæ frigidas ac inutiles rationes adducit, ut probet hanc Synodum Trullanam pro Oecumenica in omnibus esse agnoscendam. In hac ergo Syno. 102. Canones editi sunt, testibus *Tharasio* & *Photio*. Ex illis 102. Canonibus plures sunt optimi, jureq; laudandi, utpotè antiquam disciplinam redolentes, & ad morum reformationem perutiles. Sunt tamen etiam nonnulli, qui à Latina seu Romana Ecclesia non fuerunt approbati, uti Canon, quô 85. Apostolorum Canones decernuntur admittendi. Nec Canon 13. quô

Rom:

Rom: Ecclesiæ reprehenditur disciplina, quâ Sacris Ministris usus conjugii interdicitur; Nec Canon 55. quo jejunium Sabbathi usitatum in Rom: Ecclesia damnatur. Nec 67. quô abstinentia à sanguine & suffocato Clericis sub pæna depositionis, Laicis sub pæna anathematis inhibetur. Hi, inquam, Canones ab Ecclesia nunquam recepti aut probati fuerunt. Similiter non est ex omni parte probatus Canon XXXII. quô prohibetur ne Christus depingatur in Imagine Agni, sed tantùm hominis. *Vide Christianum Lupum in Notis ad præfatos Can.*

Hinc 102. Canones, ab hac Synodo conditi, qui á Rom: Pontifice approbati non sunt, vim omnino à Synodo nullam habent, quamvis multi utiles sunt. Tentavit equidem *Sergium* & *Joannem* VII. *Justinianus* ut hos Canones, præsertim *Joannes* VII. examinaret, & quos consentientes reperisset Catholicæ disciplinæ, probaret, cæteros vero refutaret pro arbitrio suo. Verùm etsi justa hæc petitio videretur, ait *Baronius*, tamen quod non deceret Majestatem Apostolicæ Sedis, vel quid minimum compro-

probare, quod non in legitima Synodo ſancitum eſſet, eos *Joannes* nec ex parte voluit comprobâſſe. Poſtea tamen *Conſtantinum* Pontificem anno 710. Conſtantinopolim à *Juſtiniano* arceſſitum fuiſſe primum Pontificem, ſcribit *Chriſtianus Lupus de Synodo Trullana*, qui probaverit Canones *Quini-ſextæ* Synodi, minimè adverſantes Decretis Rom: Eccleſiæ, & *Juſtinianum* II. quod petierat à *Joanne* VII. id impetrâſſe à *Conſtantino* eamq; ob rem confirmâſſe privilegia Sedis Apoſtolicæ.

§. IV.

De Concilio Francofordienſi.

Hoc Concilium coram *Carolo* M. præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis *Theophylactô* & *Stephanô* an: 794. à 300. circiter Epiſcopis ex Gallia, Germania, Italia & Britania habitum eſt ſub *Hadriano* I. Pont: in eo damnati ſunt *Felix* & *Elipandus* Epiſcopi, qui in Chriſto Dei Filio adoptionem aſſerebant, & quòad hoc eſt approbatum. Quòad id tamen, quod Canone 2. damnat Concilium VII. generale nunquàm eſt probatum.

tum. At Concilium VII. à Francoford. Patribus non esse damnatum, sed id ipsis affingi ab Hæreticis communiter docent historici, de hoc alibi. Hic tamen *nota:* illud Concilium generale meritò dici non posse, cum sit solius Occidentis, sed *ob numerositatem Episcoporum, præsentiamq; Apostolicæ Sedis Legatorum*, Plenarium *reperitur nominatum*, ait Baronius ad annum 794.

§. V.

De Concilio Pisano.

Tria *Pisis* celebrata Concilia constat, unum annô 1134. ab *Innocentio* II. contra *Petrum* Leonis Antipapam *Anacletum* II. Alterum an: 1409. ad tollendum *Gregorii* XII. & *Benedicti* XIII. de Papatu contendentium Schisma à Cardinalibus convocatum. Tertium annô 1511. à quibusdam Cardinalibus contra legitimum Pontificem *Julium* II. Hic non de primo agitur, quia legitimum fuit, sed particulare; nec de tertio, quia illud fuit Schismaticorum Conciliabulum; sed de secundo.

Cùm nulla alia superesset via Schismatis extinguendi, Cardinales utriusq;

obedientiæ à suo recedentes Papa *Pisis* convenêre, ibiq; tanto ut mederentur Ecclesiæ malo, eiq; de vero indubitato providerent Capite, generale hoc indixerunt Concilium annô 1409 Ad illud vocati sunt de Papatu contendentes *Gregorius* & *Benedictus* sed non comparuerunt. Secundùm *Ozorium* interfuerunt 24. Cardinales, 3. Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus, 300. Episcopi, & multi Religionum Prælati & Doctores. Duabus & viginti Sessionibus est absolutum. In eo electus est in S. Pontificem *Petrus Philargus* sive *Philaretus* Ord: Min: Archi-Episcopus Mediol: & Card: dictusq; *Alexander V.*

Conciliabulum vocat S. Antoninus 3. p. Chron: tit: 22. c. 5. § 2. *cùm non esset alicujus eorum, qui se gerebant pro Pontifice, authoritate congregatum.* Additq; *Alexandrum* V. in eo electum, *annô unô Sedem Petri tenuisse secundùm communem opinionem: significans*, ut ait Scholiastes, *ex sua sententia Alexandrum V. legitimum non fuisse Pontificem, sed Gregorium XII.*

Nihilominùs alii contradicunt affirman-

mantes & Concilium & creatum in eo Pontificem fuisse legitimum, ut legere est apud *Raynaldum* ad annum præfatum. *Natalem* Alexand: Hist: Sæc: XV. & XVI. Diss: 2. n. 9. *Generale nec approbatum, nec reprobatum videtur esse* Bellarmino lib: 1. de Conc: cap: 8.

§. VI.

De Concilio Constantiensi.

Cùm per Concilium Pisanum non esset extinctum schisma, sed videbatur magis auctum, eò quod tunc tres essent Pontifices, hinc factum, ut *Joannes XXII.* qui *Alexandrô* demortuô successit, convocaverit Concilium Constantiense, & ad hæreticos Vicleffistas ac Hussitas damnandos, & ad Schisma extinguendum.

Anno 1414. Nonis Novembris celebrari cæptum Sessionibus 45. absolutum est annô 1418. X. Kalendas Majas. Interfuerunt Patres fere mille. Concilii Præses in duabus primis Sessionibus fuit *Joannes XXIII.* Tertiæ præfuit *Petrus* de Alliaco Card: Camerac. Quartæ & quintæ *Jordanus* Episcopus Alban: Card: Ursinus, reliquis usq; ad *Martini* V. ele-

ctionem *Joannes* Episcopus Ostien: Card: Vivariensis. Quatuor postremis *Martinus* V. Sess: 41. Pontifex creatus.

Sessione 12. *Joannes XXIII.* depulsus est Episcopatû, *Gregorius XII.* seu *Angelus* Corrarius se abdicavit per *Joannem Dominicum* Florentinum Cardinalem de Ragusino Ord: Præd. Quod cùm *Benedictus XIII. Petrus* de Luna, jussus adesse atq; citatus, facere recusasset, Sess: 37. an: 1417. simul usurpata Pontificali dignitate, simul Christianorum communione privatus est. Pontifex tamen ad mortem haberi voluit. Nec eo Panisco-læ annô 1424. vitâ functo, desiit Schisma. Duo enim Cardinales, qui partes ejus sequebantur, *Clementem VIII.* dictum suffecerunt, quô, *Alphonsi* Arragoniæ Regis jussû annô 1429. VII. Kalend: Sextil: submittente se ad pedes *Martini V.* Schisma extinctum est.

Sessione IV. definitum Concilii Oecumenici authoritatem esse Pontificia authoritate superiorem. In 8. Sess: doctrina Vicleffi 45. articulis comprehensa, damnata est. In Sess: 15. damnati 30. articuli Joannis Huss, & probata commu-

nio

nio sub una tantum specie. Sess: 21. anathemate percussus *Hieronymus* Pragensis, & perindè relapsus, atq; Hussius igni traditus, combustus est. Sess: 45. ut apud Labb: Tom: 11. Conc: Legitur *jussit Martinus V. decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter teneri, & inviolabiliter observari.* Quibus verbis ut animadvertit *Spondanus* ad an: 1418. significat se non approbare, quæ Sessionibus 4. & 5. statuta fuerant, de authoritate Concilii supra Pontificem. Quanquam, ut idem *Spondanus* & *Bellarminus* lib: 2. de Conc: cap: 19. docet. Concilium Constantiense *non definivit absolutè Concilia generalia habere à Christo potestatem supra Pontificem, sed tantùm in casu, id est tempore schismatis, quando nescitur, quis sit verus Papa, & proinde habere super illum potestatem, non habere potestatem in Papam* certum. Bellarmino consentit *Eugenius IV.* Pont: Cardin: noster. de *Turrecremata*, qui dicto Concilio interfuerunt in minoribus constituti, *Rodericus* Episc: Calagarit. *Compegius Calabric:*

Sed addunt Decreta illa *Sessionis* 4. & 5. ab una tantùm Concilii parte ex Jo-

annis obedientia fuiſſe condita, idq; inconſultè & minùs regulariter, pluribus ejuſdem etiam obedientiæ Prælatis reclamantibus. Iis tamen tanquam temeré excogitatis fidem denegat Author Anonymus Libertatum Gallicarum Defenſor. At injuriam facit viro ad apicem Apoſtolicum vocato, & alteri ad purpuram aſſumpto oculatis teſtibus; quis dicet *Eugenium* & Cardin: de *Turrecremata* hæc temerè excogitâſſe?

Auditis his & ſimilibus Seſſionis 4. & 5. Patronorum artificiis Emmanuel a *Schelſtrate* Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ſtudiô ſe contulit ad evolvendos antiquos codices, Acta & Geſta inedita Concilii Conſtantienſis referentes, ut orbi Catholico manifeſtum faceret *Eugenii IV.* dicta factis omnino inniti, quibus contradici non poteſt, ea luci dedit Antverpiæ annô 1683. adjuncta brevi Diſſert: ubi oſtendit Seſſiones 4. & 5. concilialiter habitas non eſſe, eò quòd non fuerit præmiſſum examen debitum, plena Patrum deliberatio, nec adfuerunt ſuffragia libera & plurium conſenſus.

Porro Acta ſic habent: *Poſt Seſſionem*

3. die

3. die Veneris 29. mensis Martii, cùm tres nationes, videlicet Germanica, Gallicana, & Anglicana, deliberâssent Sessionem celebrare in crastinum, & capitula, quæ volebant in ea statuere; Domini Cardinales in Palatio Episcopali Constantiensi convenientes habita deliberatione inter se, obtulerunt Domino Regi, quod ipsi parati erant Sessioni in crastinum celebrandæ interesse, dummodo non fierent, neq; statuerentur alia capitula, nisi Capitula infrascripta, quibus sic oblatis D. Rex, receptis Capitulis infra-scriptis dixit, se iturum ad Nationes in Claustro S. Francisci congregatas, & cum eis prædicta Capitula conferre velle, & de eis postea respondere.

Eadem die horâ tarda D. Rex, à nationibus ad dictos Cardinales rediens retulit quod nationes supra infrascriptis Capitulis tantùm in Sessione statuendis, non poterant concordare, *sed obtinuerat ab eis, quod Sessio ad horam decimam prorogaretur, & in crastinum usq; ad illam horam viderent,* si possent ad invicem concordare.

Die Sabbathi, quæ fuit Sabbathi Sancti penultima mensis Martii horâ septima ante meridiem, convenientibus in Palatio Episcopali Constantiensi D. Rege Romanorum DD.

Car-

Cardinalibus & Nationibus, fuit plurimum ſuper infraſcriptis & aliis Capitulis altercatum (& ut geſta ex aliis 4. manuſcriptis Actibus referunt) *quia Cardinalibus adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illa Seſſione, nec etiam Ambaſiatoribus Regis Franciæ. Præfati Cardinales & Ambaſiatores erant deliberati non intereſse in Seſſione. Et licet Rex* (Rom: Sigiſmundus) *multùm instaret apud Cardinales, quod intereſsent, tandem cùm jam prælati ſederent in Concilio cum mitris & pluvialibus, Rex tractavit cum Cardinalibus, & per ejus medium adhibito quodam moderamine in illa Seſsione, Cardinales conſenſerunt intereſse, & fecerunt, quod etiam interfuerint Ambaſiatores Regis Franciae, cum quibus Cardinales ſe conjunxerunt, & illi cum Cardinalibus. Rebus ita ſtantibus, celebrata est Seſsio 4. & publicata in ea de authoritate Concilii Capitula.*

Poſt Seſſionem 4. die Sabbathi(ante Dominicam in Albis) *quæ fuit 6. Aprilis, cum per prius inter Dominos Cardinales & Nationes*, altercatum fuiſſet, ſuper correctione & emendatione Capitulorum, in præcedenti Seſs. ſtatutorum, *tamen ordinatum & concluſum eſt, quod ſupradicta*

capi-

capitula corrigerentur. Convenientibus itaq; dicta die Glor. Principe D. Sigismundo Rege Rom. DD. Cardinalibus, cœterisq; Principibus, Prœlatis, Regum, Principum ac Dominorum Oratoribus, Procuratoribus & aliis in Concilio Constant. existentibus in Ecclesia Cathedrali, præmissa per DD. Cardinales protestatione *in Camera Paramentorum Palatii Constant. secretè facta, quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non* animô consentiendi his, *quæ audierant in ipsa statui debere. Tandem* 5. *Sessio celebrata est; D. Andræas Laschari Electus Posnaniensis pronuntiavit Capitula.* Addunt alia Gesta: *Fuerunt pronuntiatæ definitiones per Electum Posnaniensem, quia Cardinalis Florentinus illa noluit pronuntiare.*

Eadem Gesta ex 4. manuscriptis Codicibus referunt, de querelis Cardinalium, apud Nationes interpositis, quod sine deliberatione post Sessionem 2. cuncta in Concilio peragerentur, *Cardinales autem licet præsentes in sessione fuerunt,* nunquam illam formam viderant, *eodem enim die circa horam 7. de mane, fuit data eis copia ad deliberandum super illa, cum jam plures Prœlati sederent & immineret relatio*

novo-

novorum facienda Regi & Deputatis Nationum in Sachristia, in qua relatione præsentes fuêre nec poterant illam videre, *cum statim facta relatione perventum est ad Sessionem, quæ jam parata erat*, (intellige sub una obedientia Joannis XXIII.) *& ita penè in omnibus Decretis Concilii factum est; Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa sunt Decreta, jam conclusa à Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate super illis*, sufficienter deliberare, *imo in magnum contemptum habiti sunt. Plures Cardinales conquesti sunt de contemptu, & finaliter petiverunt, quod cum essent in Concilio 4. Nationes, una Angliæ, in qua non erant viginti capita, de quibus tres solum Prælati, & Cardinales essent 16 & alii futuri; de quibus magni & insignes Doctores propter dignitatem Collegii, ut habeant vocem & authoritatem tantam, sicut natio Anglicana, quod fuit recusatum & dictum, quod venirent ad suas nationes, ita quod nullam habent authoritatem.* Hucusq; gesta Constan. Concilii de examine, deliberatione, consensu, & definitione obortæ quæstionis, *an Concilium est super Papam* & definitione affirmativa in 4. & 5. Sessione.

Vi-

Videant ergo 4. & 5. Sessionis Concilii Constant. Defensores, nonne verum est judicium *Eugenii* IV. & Cardinalis de *Turrecremata*? Nonne justè *Martinus* V. iis solùm suum calculum addere voluit ad instantiam Oratoris Regis Poloniæ, quæ *conciliariter* servatis servandis decreta erant? Si plura desideras; Vide P. Laurentium *Czepańſki* Augustianum Contr. XIV.

Ea ergò solúm probavit *Martinus V*. quæ definita & conclusa fuerunt in *materiis fidei*; at ajunt adversarii, prædicta Sess. 4. & 5. decreta in materia quoq; sunt fidei, quia de fide est dari in Ecclesia supremam potestatem, si igitur &c. Quomodò salvabitur de fide esse, dari in Ecclesia supremam potestatem, & tamen non esse fidei prædictæ Ses. 4. & 5. decreta? Hoc jam ex dictis constat, nimirúm non alio fine fuisse facta hæc decreta, qúam pro trium Obedientiarum unione, contra tres de Papatu contendentes, non autem ut obligarent omnes fideles ad fide Divina credendum in Concilio generali, non in legitimo Rom. Pontifice supremam potestatis authoritatem esse. Adde decreta illa non fu-

fuiſſe facta *conciliariter*, ut dictum, communi totius Concilii ſuffragiô, adeoq; à certitudine fidei deficere, cúm a *Martino* tantùm probentur ab omnibus ea teneri debere, quæ conciliariter decisa erant. Aut si vim aliquam habent, ad illud ſolummodo tempus ſunt reſtringenda, quando Eccleſia non habet indubitatum Caput sive Pontificem, ut in ſchiſmate illo magno contigit.

Et ut optimè notat laudatus D. *Emmanuel*; Decreta illa ſunt edita per modum Conſtitutionum Synodalium, non autem in materia fidei, idq; colligitur ex Actis, in quibus Seſs. 5. refertur; *quod Electus Poſnanienſis publicaverit decreta ſupradicta per modum Conſtitutionum Synodalium* & poſt illorum aliorumq; Decretorum publicationem adjungitur: *Quod idem Poſnanienſis legerit, quædam adjumenta in materia fidei, ut ſuper materia Joannis Huſs detenti per Concilium, & de quodam Joanne Vicleff ibidem ſubjuncta.*

Concilium ergo ipſum diſtinguit Decreta per modum Conſtitutionum Synodalium à Decretis in materia fidei; primi generis appellat Decreta Seſs. 4. &

5.

5. Secundi generis Decreta, errores Hufs & Vicleffi concernentia, fit confequens *Martinum V.* in confirmatione Synodi non aliud nomine *materiæ fidei* intellexiſſe, quam ea, quæ in materiis hæreticorum & Sacrorum dogmatum acta ſunt. Concludendum ex hoc capite approbationis ſcilicet, incertæ fidei eſſe Seſs. 4. & 5. decreta.

Incertæ præterea fidei ex eo manifeſtè probantur eſſe, quod, ut refert Card. de *Turrecremata*, cùm poſt editum decretum lis exorta fuiſſet, an Oecumenicum Concilium tunc temporis eſſet, quod modo anguſtioris, modo auguſtioris eſſet authoritatis; cùm in principio, Synodo tantùm adſuerint ii, qui *Joannis* Obedientiam ſequebantur, crevit deinde Seſs. 14. quando *Gregorius* miniſterio *Joannis Dominici* Card. de Raguſino illud firmavit, Cum vero Hiſpani demum Conſtantienſibus Patribus ſe junxêre, aucta tunc maximè illius dignitas, ut non dubitaretur amplius à Catholicis de Oecumenicitate Concilii. Sancita ſunt igitur illa decreta Seſs. 4. & 5. à Concilio non Oecumenico, idq;

abſq;

absq; debita & matura deliberatione, ut dictum, excitatasq; propterea fuisse turbas in Concilio, refert *Rodericus* Episcopus Calagurit. qui hoc se ab illis, qui huic interfuêre Concilio, accepisse affirmat.

Ea decreta Sess. 4. & 5. dubiæ fidei esse, præter *Martinum V. Eugenius* Martini in Sede Successor, qui etiam adfuit huic Concilio, non solum non dubitavit, sed etiam ex proposito illa impugnavit, dum sub nomine *Apologiæ* contra *Basileenses* scripta sua posteritati tradidit in Libello, qui incipit: *Moyses Servus DEI*, in quo affirmat constantissimè, dicta decreta non solùm sine communi deliberatione debita, sed nec statuta fuisse uniformiter ab omnibus unius Obedientiæ Patribus; *Qui Constantiæ*, ait, *consedebant, unius tantum Obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eam sententiam convenerunt, sed nonnulli reclamavêre graviores, qui strepente multitudine superati... (factum esse manifestum est) audiri nequiverunt.*

Hoc ipsum *Rodericus* in Dialogo à *Campegio* adductus: *Decretum illud*, inquit *præ-*

præter id, quod factum fuit à sola obedientia Joannis XXIII. nec etiam concorditer factum, ab omnibus ejusdem Obedientiæ, cum reclamaverint complures S. R. E. Cardinales, complures Prælati & Doctores, affirmantes Decretum minus juridicum fore, daturumq; quandoq; occasionem schismatis, id quasi propheticô ore dixerunt & prædixerunt, quod factum vidimus in Concilio Basileensi, de quo statim.

§ VII.
De Concilio Basileensi.

Martinus V. Sess. Concilii Constant. 44. locum futuri Concilii gen. pro reformatione morum, quæ Constantiæ fieri non poterat, de omnium consensu designavit Civitatem Papiensem, ad quam cuncti tempore indicto convenire deberent. Igitur elapsis annis quinq; post finitum Concilium Constant. annô 1423 *Martinus* misit *Papiam* seu *Ticinum* Prælatos, qui Concilium inchoarent, *Petrum Donatum* Arch. Cretensem, *Jacobum* Episcopum Spoletanum, *Petrum* Abbatem de Rosario, & *Leonardum* de Florentia Gen. Magistrum Ord. Præd. quos

quos alii ſecuti ſunt Præſules. Sed *Tranſalpinis* nondum præſentibus, cum Papienſe cœlum lue peſtifera eſſet infectum, conſultius viſum eſt *Martino* V. Concilium in Urbem Senenſem transferre.

In Senensi ergò Concilio confirmata eſt damnatio in *Vicleffitas* & *Huſſitas*; approbata exauthoratio *Petri* de Luna, dicti in ſua Obedientia *Benedictus* XIII. De Græcorum ad unitatem Ecclesiæ reducendorum modo actum eſt. Cúm verò *Alphonſus* Aragoniæ Rex *Martino* V. iratus ob negatum Regis Siciliæ titulum, cauſam *Petri* de Luna defendendam ſuſcepit, & ut in Concilio Senenſi denuò diſcuteretur urgebat, eam ob rem *Martinus* V, Concilium Senenſe die 19. Febr. 1424. abrupit, & ad proſequendam, commodiori loco & tempore reformationem in eo inchoatam, Civitatem Basileenſem ad Concilium Oecumenicum ſeptennio poſt celebrandum deſignavit; & reipſa *Martinus* V. anno 1429. misit *Julianum* Card. Diaconum S. Angeli, Legatum à Latere, eumq; Basileensis Concilii Præsidem inſtituit.

Sed

Sed mortuô *Martino* V. eodem annô *Eugenius* IV. ei in Apoſtolica Sede ſuffectus, Concilii Basileensis indictionem ſtatim literis datis ratam habuit, & præsidendi poteſtatem *Juliano* confirmavit.

Hinc factum, quod Concilium Basileenſe in ſuis primordiis, hoc eſt in aliquot Seſſionibus (de quarum numero non una omnium ſententia eſt) veri ac legitimi Concilii formam habuerit, quamdiu videlicet *Eugenio* IV. annuente, & ſub præsidentia *Juliani* Cardinalis continuatum fuit.

At poſtquam *Eugenius* Concilium Basileenſe diſſolvit, illudq; Ferrariam tranſtulit, poſt diſceſſum Legati Pontificis, Synodus Basileensis ſub præsidio *Ludovici* Cardin. Arelatensis continuata invitoq; Pontifice prorogata, desiit eſſe vera & legitima, quamvis negari non poſſit, eam convocatione fuiſſe legitimam, utpotè à *Martino* V. & *Eugenio* IV. indictam, & ſub præsidio *Juliani* Sedis Apoſtolicæ Legati continuatam.

Ut quidam Cardinales in Concilio Conſtantiensi prædixerunt occasione

Sess. 4. & 5. Schisma Ecclesiæ imminere, ita factum est; nam Patres Basilenses, exauthorato legitimo ab omnibus agnito Pontificè *Eugenio IV. Felicem V.* Antipapam opposuerunt, qui tamen veritate agnita Pontificatu se abdicavit, seq; *Nicolao* V. subjecit. Hinc ait V. Bellarminus *Concilium Basileense legitimè fuit inchoatum, sed illegitimè terminatum.* Vide eundem lib: 3. de Ecclesia militante cap. 16.

Nicolaus V. bono pacis solùm probavit aliqua, quæ gesta sunt circa censuras & causas beneficiales.

§ Ultimus.

De Conciliis generalibus reprobatis.

I. *Antiochenum* tempore *Julii* I. Pontif. & *Constantii* Imp. annô circiter 341. in eo S. Athanasius ab Arianis damnatus est.

II. *Mediolanense* Episcoporum plusquam 354. sub *Liberio* Pont. & *Constantio* Imp. præsente, in quo fides Catholica saltem indirectè temerata fuit, damnatus S. Athanasius, Eusebius Vercellensis, Dionysius Mediolanensis, & alii in exilium missi.

III.

III. *Ephesinum* II. sub S. *Leone* S. Pontifice, & *Theodosio* Juniore Imp. annô 449. in quo agente Dioscorô mactatus est S. *Flavianus* Episc. CPolitanus Legati S. Pontificis fugati, hæresis Eutychiana confirmata hinc *latrocinium Ephesinum dictùm est.*

IV. *CPolitanum* sub *Leone* Isauro & *Gregorio* II. S. Pont. annô 730. adunatum contra S. Imagines, frustra renitente *S. Germanô* Patriarchâ CPolitano.

V. *Iterum CPolitanum* Episcoporum 338. á *Constantino* Copronymo, filio *Leonis* annô 755. coactum, in quo Christi & SS. Imagines iterata vice discerptæ sunt.

VI. *Pisanum* á quibusdam Cardinalibus contra *Julium* II. annô 1511. adunatum, paulò post in Concilio Lateran. V. reprobatum.





DISSERTATIO V.

De ECCLESIÆ CATHOLICÆ PATRIBUS & DOCTORIBUS.



CUm Christus Dominus dederit *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum --- ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris,* quivis Theologus cum S. Aug. lib. 1. contra Julianum cap. 8. dicere debet: *quod tenent* (SS. Patres) *teneo, quod docent doceo, quod prædicant, prædico.* Quod ut veré tutoq; præstare valeat, & auream secutus Victoris Carthaginensis regulam á Martino I. Rom: Pontifice probatam: *Nihil noviter dicat; nihil quod non á S. Patribus fuerit expresse traditum, vel indicatum,* sciat qui-

quinam SS. Ecclesiæ Patres, Doctoresq; dicendi? Quanta eorum authoritas ?



ARTICULUS I.

De dotibus Ecclesiæ Doctorum & Patrum.

Multi equidem sunt Doctores in Ecclesia non tamen omnes ii, quantumvis scientiâ & eruditione clari sint, Ecclesiæ Doctores sunt protinus dicendi; insigne quippe discrimen est inter Doctorem in Ecclesia & Doctorem Ecclesiæ. Etenim ut quis Doctor in Ecclesia dicatur, satis est, quod sit de Ecclesiæ Catholicæ gremio, & ab aliqua universitate legitimé instituta & probata Doctoris gradû donatus. Ut verò quis Ecclesiæ Doctor dici possit, requiruntur in eo multa. Nempé.

1. Authoritas, ut sit scilicet de numero eorum, qui sæculô Apostolorum, aut Virorum Apostolicorum vicini, vel saltem non longé remoti fuerunt, quiq; propterea fidei plantandæ adlaboraverunt, vel pro ea saltem tuenda insudâ-

runt; juniores enim Doctores, etsi in lata significatione possint dici Patres, propriè tamen Pædagogi dicuntur; *Pater enim est, qui primò generat*; Pædagogus *autem qui jam natum nutrit & erudit*, ait S. Thomas in cap. 4. Epist. 1. ad Cor. Lect. 5. super illa verba: *Etsi decem millia Pædagogorum habeatis in Christo sed non multos Patres. Dicit ergo* (ait S. Thomas) *Apostolus se Patrem eorum in Christo, quia eis primò Evangelium prædicavit. Unde assignans rationem ejus, quod dixerat, subdit: Nam in Christo JESU per Evangelium ego vos genui.* Id tamen nihil impedit quin geniti ab *Apostolis* quiq; relate ad illos sunt filii, respectû subsequentium fidelium, quos in Christo genuerunt, Patres dici possint. Unde S. Aug. exponens illud Psal: 44. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram*, dicit, hos esse Episcopos, qui filii Apostolorum, Patres sunt succedentium populorum. Neq; tamen antiquitas sufficit, sed insuper.

2. Ad veram notionem *Patris* requiritur vera fides. Quare ii, qui ex præ-

fatis

fatis priorum ſæculorum Doctoribus, apertè & pertinaciter, hæretici fuêre, & permanſêre, Eccleſiæ Patribus annumerandi non ſunt, quales fuerunt *Tertullianus*, *Origenes*, *Euſebius* Cæſarienſis, *Theodorus* Mopſueſtenus & alii, neq; ex eorum authoritate petendum eſt argumentum, niſi forte adducantur & teſtes Traditionis. Non loquor tamen de iis, qui in uno vel altero errore verſati ſunt circa quæſtiones fidei obſcuras & nondum definitas, alioquin parati ſententiam deponere ſi Eccleſia oppoſitum definiret. Quo pactô S. Cyprianus ſummo jure inter Patres habendus eſt, quia ſic defendit errorem rebaptizantium, ut paratus fuerit eum deponere, ſi per plenarium Concilium res fuiſſet definita; ſic eum defendit S. Aug. lib: 2. de Bapt. cap: 4. Jmo priuſquam aliqua quæſtio obſcuritatem habens definiatur, neceſſe eſt, ut prius in utramq; partem diſputationibus ventiletur: *Quomodo* ait, S. Doctor, *potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem confirmationemq; perduci, niſi prius*

diuti-

diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atq; hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret.

3. Requiritur ad verum Ecclesiæ Doctorem fidei conjuncta doctrina non qualiscunq; sed excellens, quæ conjunctam habeat vitæ sanctitatem. Nam licet fidem non necessariò comitetur sublimis doctrina, nec sublimis doctrina inferat vitæ sanctitatem, in Ecclesiæ tamen Doctore hæc omnia amico fædere sociata reperiri debent. Patres enim Doctores in Ecclesia posuit Spiritus S. ut essent in ædificationem corporis Christi, ac lumina, ad quæ fideles respicerent, tum in agnoscendis fidei Mysteriis, tum in moribus componendis; oportet ergo, ut præditi sint speciali & eximia Mysteriorum fidei cognitione, & rursus eximia erga Deum pietate, & charitate, qui enim *fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.*

Hinc ait Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap: 3. *In ipsa enim Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubiq; quod semper, quod*

ab

ab omnibus creditum est, hoc enim verè propriéq; Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq; declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem; Sequemur autem universitatem hoc modô, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem veró ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos Sanctos majores nostros, & Patres celebrâsse manifestum est. Consensionem quoq; si ipsa vetustate omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasq; sectemur. Hæc Vincentius.

4. Ad constituendum Ecclesiæ Doctorem præter tria dicta requiritur Ecclesiæ declaratio saltem aliqua, tacita vel expressa Patet ex eo, quod sicut nullus quantumvis doctrinâ celebris, potest in Universitate ulla Doctoris titulô gloriari, nisi fuerit ab illa Doctoris gradu ritè donatus. Et sicut nullus potest ut Sanctus in Ecclesia coli cultû publico, quantumvis vitæ sanctitate & meritis clarus, nisi fuerit ex iis, quos in SS. Canone adscripsit

psit Ecclesia, ita potest nemo Doctoris Ecclesiæ titulô gaudere, quantumvis eminenti doctrinâ, & insigni vitæ sanctitate conspicuus nisi is, quem prius ipsamet, tali titulô decoraverit Ecclesia.

Dices contra 1. p. S. *Thomas* Doctor Angelicus, S. *Bonaventura* Doctor Seraphicus, S. *Bernardus* Doctor mellifluus sunt vere Doctores & Patres Ecclesiæ; sed hi non habent antiquitatem illam prærequisitam; érgo.

Resp: *Nego min*: Habent & isti Ecclesiæ Doctores & Patres insigniter Sancti aliis licet longe juniores, sufficientem antiquitatem, ut Ecclesiam doctrina virtutibusq; formare & quodammodo generare potuerint. Licet enim ante illos fuerit Ecclesia, doctrina virtutibusq; formata, quia tamen suis scriptis amplam ad refellendas hæreses præbuere materiam, sicq; eam modo ab hæresis morte præservando, illam in ea fidei sinceritate servando, quodammodo regenerârunt. Insuper S. *Thomas* & *Bonaventura* ab Anno 1274. & S. *Bernardus* ab anno 1153. cúm antiquitatem habeant, meritò possunt insi-

gni

gni Patrum & Doctorum tituló decorari; & reipsa fuerunt donati: *Bernardus* quidem longe post antiquiores Ecclesiæ Patres, unde Patrum *Posthumus* vulgò dictus, tandem post Bernardum *Thomas* & *Bonaventura*, ille quidem á *Pio V*. iste á *Sixsto V*. ea potissimum de causa, quod hi duo, quasi duo fulgentia Ecclesiæ lumina Scholasticam Theologiam disposuerunt, illustrârunt, & ampliârunt; sicq; Ecclesiam suo modô, quo ad valde utilem & necessarium cognoscendi modum, regenerârunt.

Dices contra 3. P. Theophilus Patriarcha Alexandrinus qui initio Sæc: V. vixit a Concilio Oecum: V. numeratur inter Doctores & Ecclesiæ Patres, & ut talem Ecclesia honorat; atqui tamen, ejus doctrina non habuit vitæ sanctitatem annexam. Quem enim latet, quid egerit *Theophilus* contra S. Chrysostomum? Ergo.

Resp: Non requiritur (ut sit quispiam Ecclesiæ Doctor) sanctitas omnimoda & universalis per totum vitæ spatium sed finalis. Nonnulli comperti sunt aliquando in Patribus nævi nec ab eis

Theo-

Theophilum purgare contendimus, sed zelum fidei habuisse, & in communione Ecclesiæ ultimum clausisse diem nemo diffitetur, cùm beatum nominent illum & ipsi Romani Concilii sub Gelasio habiti Patres. Quod causam S. *Chrysostomi* attinet *Theophilus* errore facti deceptus, insensus fuit S. *Chrysostomo*, non animô odii occasione Monachorum Origenistarum á *Theophilo* damnatorum, quos S. *Chrysostomus* hospitiô recepit, sed non communioni restituit, ut rebatur *Theophilus*. Hac de causa etiam S. *Epiphanius* è numero Doctorum & Patrum Ecclesiæ foret expungendus, cùm & ipse noluerit communicare cum S. *Chrysostomo* illô tempore Constantinopoli præsens, eò quod crederet eum favere Origenistis, ipse verò quamdiu vixit, adhæsit *Theophilo*, qui eodem detentus errore, adversabatur S. *Chrysostomo*.

Dices contra 4. p. Ex his sequitur quod quatuor tantùm juxta *Bonifacii* decretum sint Ecclesiæ Doctores, nempe *Ambrosius Hieronymus*, *Augustinus* & *Gregorius M.* aut numeratis S. *Thomæ* *Bo-*

& *Bonaventura* poſt decreta *Pii V.* & *Sixti V.* ad ſummum ſex.

Reſp: hoc non ſequi. Nam Boniſacius VIII. cæteros non abnuit Eccleſiæ Doctores, ſed solùm ſtatuit, ut 12. Apoſtolorum & Evangeliſtarum & 4. præfatorum Eccleſiæ Latinæ Doctorum feſta ſolemniter celebrentur ſub Feſto duplici, ſecundùm noſtram Rubricam ſub Feſto toto duplici, quæ ſolemnitas extenſa eſt per *Pium V.* pro Feſto S. *Thomæ a Sixto V.* pro feſto S. *Bonaventuræ.* & noviſſimè á *Benedicto* XIV. pro feſto S. *Leonis M.*

CONSECTARIUM.

Ad Eccleſiam ſpectat determinare antiquitatem, & ab ea etiam, ſi opus eſt, diſpenſare. Sufficit, ut declaret illos eſſe Patres, & uti tales, propter exhantlatos pro fide defendenda labores, haberi velit. Porrò ſecundùm morem antiquitas prærequiritur, eò quod Patres primorum ſæculorum magnis floruerint virtutibus. Aliunde Pater, ut vox ipſa ſonat antiquitatem importat, juxta illud Deut: 57. *Interroga Patrem*

tuum

tuum & annuntiabit tibi majores tuos, & dicent tibi.



ARTICULUS II.

Utrum consensus Patrum sit regula infallibilis fidei?

§ I.

Observanda aliqua præmittuntur.

De Authoritate SS. Patrum trifariam disputari solet. 1. De unius aut alterius proprio placito, quale videtur fuisse S. Augustini de opere sex dierum. 2. De communi plurium Sanctorum consensu, á quo tamen unus & alter Sanctorum desciverit. 3. De omnium unanimi concordiq; sententia. Rursus considerandum est: Sanctorum testimonia referri posse, vel ad Philosophiæ confirmanda dogmata, vel ad assertiones aut fidei, aut Theologiæ comprobandas.

Insuper & hoc bené observandum inter Doctores etiam Ecclesiæ esse duo disputationum genera. Alterum earum rerum quæ veré ad fidem spectant, doctrinamq; Catholicam; alterum earum, quæ citra jacturam pietatis ignorari, & ab

ab indoctis & etiam á doctis possint, quod nec fidei dogmata sint, nec ab iis deriventur.

Hæc autem duo genera non est facilè discernere, quia etsi nonnulla quæ alioquin per se quidem ad fidem pertinebant, ut Apostolis Prophetis & Evangelistis revelata, in dubium venire possint, antequam ab Ecclesia sint definita; sed id tamen per ignorantiam fit, qua videlicet excusantur, qui ea vertunt in quæstionem, quæ alias divinitus sunt tradita, ut vg. processionem Spiritus S. á Patre & Filio, tanquam ab uno principio ante Ecclesiæ definitionem, Græci quidem negare sine culpa potuêre, tametsi id Evangelium Apostoliq; tradidêre.

In primo ergo genere sunt, quæ Apostoli vel scriptô vel verbô Ecclesiæ tradiderunt, nec non illa, quæ indè certa connexione probantur existere. In secundo genere sunt, quæ neq; a Christo, neq; ab Apostolis accepimus, neq; ex iis certò colliguntur, quæ Christi & Apostolorum authoritate tenemus.

Hæc porro secundi generis sunt, vg. an

an: gratia qua justificamur, sit qualitas quædam animæ impressa, unde aliæ qualitates, virtutes nempe infusæ consequantur, de quibus inter Scholasticos disputatur; sed controversia Catholicorum cum Pelagianis de gratia ad credendum, sperandum amandum, & ad totam legem implendam non est de qualitatibus, sed de Dei auxilio gratuito & speciali, quod ad primum genus pertinet. Hæc ex *Melchiore Cano.* præmittenda duximus. Igitur.

§ II.

Resolvitur quæstio.

Non agimus hic de Patrum authoritate circa ea, quæ naturali lumine continentur, sed quæ ad sacras literas & doctrinam fidei pertinent. Igitur.

Dico: 1. Unius aut duorum Patrum authoritas, etiam in his, quæ ad sacras literas & fidei doctrinam pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum non potest.

Prob: SS. Patres spiritû humanô fuerunt locuti, qui errori obnoxius est, &

& in eo aliquando errârunt, quod ad fidem ſpectare poſtea demonſtratum eſt, quale eſt dogma de Millenario Chriſti regno de dilatione Viſionis beatæ ad diem judicii; de iis, qui ab hæreticis baptizati ſunt, rebaptizandis &c. Ergo. Nec tamen proindè Patres aut contemnendi ſunt, aut ſpernendi, nam ut optimè dixit *Canus* lib: 7. c. 3. de authoritate SS. *Ita deſpicere, & pro nihilo habere, impudentis eſt, ſuſcipere & omnino habere pro certo imprudentis.* Aliundè SS. Patres intelligunt ſe fallibiles eſſe, & errare poſſe ſingulatim ſumptos; aureum de ſe judicium præbuit S. Auguſt: libro de dono perſeverantiæ cap: 21. *Neminem, velim, ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus Opuſcula mea retractanda ſuſcepi.* Hinc modum, quo Patres legerit ipſe deſcribit Epiſt: 19. ad Hier: *Alios ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ita ſenſerunt ipſi, ſed quia mihi vel per Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod*

à vero non aberrent, persuadere potuerant. Eadem vox, idem sensus *Hieronymi* Epist: ad *Ctesiphontem. Aliter habendi sunt Apostoli, aliter reliqui Tractatores, illos semper verum dicere, istos in quibusdam ut homines errare contingit.*

Dico 2. Plurium Sanctorum authoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo præstare non valet.

Prob: Quia multi sæpè de aliquo dogmate convenêre SS. Patres, imo & major illorum pars, quod tamen non est de fide, quia refragantur cæteri; ergo. *Prob: ant:* Multi SS. Patres ut *Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Damascenus,* & alii communiter docent, mundum & ea, quæ continet, non simul, hoc est, non in instanti, sed sex dierum spatiô fuisse producta, tamen hoc fidei dogma non est, quia oppositum tenet. *S. Augustinus.* Multi pariter SS. Patres Moysen in hac vita existentem Dei essentiam non vidisse tenent, nec tamen hæc illorum sententia fidei dogma est, quia contradicit S. Aug: cum Paucis

aliis

aliis, & probabilis illius à multis judicatur opinio. Ergo.

Hic tamen notandum ex Melchiore *Cano*. Hæc equidem vera esse, sed tunc cùm unius aut paucorum sententiam Ecclesia non explosit, at si paucorum aut unius sententia fuerit ab Ecclesia rejecta; tunc aliorum authoritas prævalebit, ac indubium Theologo præbebit argumentum. Exempli gratiâ rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos, docuerunt quidam Affricani & Asiatici, quidam etiam *Melchisedech* non esse hominem sed Spiritum S. tradiderunt; at cum & istorum, & illorum sententia sit rejecta ab Ecclesia, ii solùm, qui oppositum sentiunt, sunt veritatis testes.

Dico 3. In expositione Sacrarum Literarum aut alicujus revelatæ veritatis traditione, communis omnium Sanctorum veterum intelligentia certissimum argumentum præstat Theologo ad Theologicas assertiones corroborandas.

Prob: 1. Non est possibile eos omnes simul errare, qui sunt Ecclesiæ dati, ut Ecclesiam ab errore præservarent,

alias illis errantibus erraret Ecclesia, quod est contra promissionem Christi Math: 16. *Et portæ non prævalebunt adversus eam;* atqui SS. Patres sunt ex iis, qui sunt Ecclesiæ dati, ut Ecclesiam ab errore præservarent; juxta illud Pauli ad Ephes 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec omnes occurramus in unitatem fidei --- Ut jam non simus parvuli, fluctuantes, & circumferamur omni ventô doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*, ergo.

Prob: 2. Hujus assertionis testes habemus ipsos Patres, qui in rebus fidei provocare consueverunt ad veterum traditionem, & arguere eos, qui ab ea discesserunt. Sic Irenæus lib: 3 adversus hær: cap: 3. probat doctrinam Apostolorum per Successiones Episcoporum ad nos pervenisse.. Cap: 2. Hæreticos arguens objurgat eos, quod præsumant plus sapere, quam Apostoli & eo-

eorum Successores. Clemens Alex: lib: 7. Strom: *Gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea quæ ex sua natura conveniunt sermonibus divinitùs inspiratis, tradita à Beatis Apostolis & Magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione, corrumpunt per alias traditiones, humanis doctrinis, resistentes Divinæ traditioni, ut hæresim constituant.* Apertius Origenes hom: 29. in Math: *Quoties autem hæretici Canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, & credit, videntur dicere. Ecce in Domibus est verbum veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* S. Athan: Epist: ad Affros, ubi vocem *homousion* qua Arianam hæresim jugulàrunt, dicit Nicænos Patres non temerè excogitâsse, sed à Patribus accepisse: *Episcopi non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea à Patribus testimonia conscripserunt.* Hieronymus in cap: 11. Daniel. *Imperitissimos vocat, qui Scripturæ sanctæ intelligentiam, absq; Dei gratia & doctrina Majorum sibi vel maximè vendicant.*

cant. S. Auguſt: lib: 2. contra Julianum argumenta Pelagianorum convellit authoritate Patrum *Irenæi*, *Cypriani*, *Reticii*, *Hilarii*, *Olimpii*, *Gregorii*, *Ambroſii*, *Innocentii*, *Joànnis*, *Baſilii*, *Hieronymi* quod non feciſſet, ſi argumentum ab omnium authoritate Patrum certum & firmum non exiſtimâſſet.

Hanc veritatem exemplô ſuo teſtata ſunt Concilia, & Pontifices ipſi, quoties enim aliquid circa fidem occurrit determinandum, ſingulari diligentiâ præcedentium Patrum monumenta ſcrutari conſueverunt, & ubi concordes illos invenerunt, ſecundùm eorum ſententias, definitiones protulerunt. De Concilio Nicæno mox dictum, Vocem *homouſion* Patribus antiquis acceptam referri à S. *Athanaſio*; atq; *Euſebius* Cæſarienſis ob eandem cauſam ſe voci dicit ſubſcripſiſſe, in Epiſt: quam refert *Theodoretus* lib: 1. Hiſt: cap: 12. *Quandoquidem nonnullos*, inquit Euſebius, *ex veteribus inſignes Epiſcopos & diſertos Scriptores, in explicanda Patris & Filii Divinitate hoc vocabulo* conſubſtantialis, *uſos eſse cognovimus*. In Concilio Epheſino paſſim, ma-

ximè

ximè Act: 1. ex relatis Patrum ſententiis *Nestorius* damnatus eſt. Patres Concilii Chalced: Act: 1. & 4. profitentur ſe regulam SS. Patrum amplecti; præſertim in allocutione ad *Marcianum* Imp: 3. p. Conc: c. 1. In Concilio CPolitano II. *Sequimur autem in omnibus SS. Patres & Doctores S. Eccleſiæ DEI, id est Athanaſium, Hilarium &c.* Quod repetitur in eodem Concilio Collat: 3. iiſdem fere verbis cum addito: *alios ſanctos & orthodoxos Patres, qui in Sancta DEI Eccleſia rectam fidem irreprehenſibiliter uſq; ad finem vitæ ſuæ prædicaverunt.* Nicæna Synodus II. contra Iconoclaſtas decretum edidit Act: 7. his verbis: *Sanctorum noſtrorum & Divinorum Patrum doctrinæ &c.* Et infra: *Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum.*

Merito igitur Concilium Tridentinum hiſce verbis veterum Conciliorum mentem ac ſuam exprimens; *ad còercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem*

tenu-

tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia... Aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat. Ita Sess: 4. Supponit ergo S. Mater Ecclesia infallibilem esse unanimem SS. Patrum consensum in explicanda Scriptura, ac proinde in discernenda fidei doctrina, in Scriptura vel Traditione contenta; ergo.

§. III.
Solvuntur Objectiones.

Objic: 1. S. August: negat tantam esse Patrum authoritatem, ut illis dicentibus adhaerere teneamur; ergò. *Prob. ant*: S. Doctor tum lib: 11. contra Faustum cap: 5. tum lib: 2. Contra Donatistas c. 3. & alibi soli Scripturae Canonicae infallibilem authoritatem tribuit, quae autem ab aliis scripta sunt, *non cum credendi necessitate*, sed cum *judicandi libertate* legenda sunt, liberum ibi habet lector, auditorvè judicium, quô vel approbet, quod placuerit, vel improbet, &c. ergò.

Resp: dist: prob: ant: Quae autem ab aliis seorsim spectatis &c. *conc.* simul in unum dogma conspirantibus, cum judicandi

candi libertate legenda ſunt, *nego. Similiter dist: conſeq:* Ponit ergò Auguſtinus differentiam inter Scriptores Sacros ſeu Canonicos & alios Doctores, quod cuilibet Sacro Scriptori ſeorſim & ſingillatim ſumpto cum neceſſitate credendum ſit, *In illa verò,* ait, *Canonica eminentia Sacrarum Literarum etiamſi unus Propheta, ſeu Apostolus, aut Evangelista aliquid in ſuis Literis poſuiſse ipſa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare, quod verum ſit.* Cuilibet autem S. Doctori, ſi unus & alter dicat, non ita credendum eſt, ut non liceat dubitare, quod verum ſit. Non tamen loquitur S. Auguſt: de SS. Doctoribus prout ſummo conſensû aliquod dogma tradunt, ut ab Eccleſia Catholica creditum; tunc enim traditionis teſtes ſunt, & cuſtodes, & fides eorum eſt fides Eccleſiæ, ut ſolidè S. Doctor probat lib: contra Epiſt: fundam. cap: 5. & lib: 1. contra Creſconium cap: 33. Hinc præ oculis ſemper habenda eſt regula *Vincentii* Lirin: in *Commonitorio* cap: 28. *Antiqua SS. Patrum conſenſio non in omnibus Divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum certò præcipue in fidei regula, magno*

nobis

nobis ſtudiô inveſtiganda eſt, & ſequenda.

Dices: Conſenſus Patrum eſt humanum teſtimonium, ſed nullum humanum teſtimonium poteſt facere fidem indubitatam in Divinis; ergò.

Reſp: 1. *dist: maj.* Conſenſus Patrum eſt teſtimonium humanum, & doctrina, quam proponunt univerſi, & in qua conſentiunt, non eſt humana, *conc:* doctrina eſt humana, *nego.* Licet ergò teſtimonium Patrum, etiam in dogmate fidei docendo, aut exponendo conſentientium, humanum ſit, dogma tamen quod ſummo conſensû docent, humanum non eſt, ſed Apoſtolicum & Divinum, non enim illud ſemper docuiſſet Eccleſia, niſi ab Apoſtolis accepiſſet, nec Apoſtoli tradidiſſent, niſi à Chriſto vel Spiritu S. edocti fuiſſent. Hinc.

2. *Dist. maj.* Conſenſus Patrum humanum eſt teſtimonium, quatenùs Patrum eſt, *conc.* quatenus teſtimonium eſt fidei Eccleſiæ, *nego.* Sicut enim regia diplomata regiam authoritatem non habent, prout à Miniſtris ſunt conſcripta, ſed ut mandata regia continent, & ut regio ſigillô ſunt obſignata; ita Pa-

trum

trum ſententiæ in ejusdem dogmatis aſſertionem, diverſis locis atq; temporibus conſentientium, illudq; ut dogma fidei proponentium, per ſe ſpectatæ teſtimonii humani limites, non excedunt, ſed ut continent doctrinam Eccleſiæ, & ut Eccleſiæ authoritate receptæ, ac veluti ſigillô obſignatæ, credendæ, ſunt, non Patrum ſed Apoſtolorum, atq; Chriſti doctrinam continere.

Adde ipſum SS. Patrum pro aliquo dogmate conſenſum unanimem à Spiritu S. procedere, ut innuit etiam Apoſtolus ad Epheſ. 4. Cum enim ibi tractent de rebus humanum captum excedentibus, non ſine protectione Spiritûs S. eaq; ſpeciali unanimis pro dogmate conſurgit conſenſus eorum.

Inſtabis: Teſtimonium Patrum non eſt ideo verum, quia ipſi dixerunt, ſed quia vel ratio ab illis adducta, vel Scriptura, quam referunt, perſuadet eſſe verum; ergo eorum teſtimonium non ſufficit per ſe ad fidem Divinam ingenerandam. *Ant: patet*: Alioquin teſtimonium Patrum à Divino non diſtaret; fidei enim teſtimonium immotum eſſe debet.

Reſp:

Resp: dist: conseq: Ergò eorum testimonium solitariè acceptum &c. *conc:* testimonium eorum consentiens, *subdist:* per se non sufficit à priori, & tanquam caussa fidei Divinæ, *conc:* non sufficit à posteriori & per modum signi, *nego.* Testimonium & consensus Patrum est tantùm signum & argumentum, quo colligimus, id, quod omnes SS. Patres, ut de fide proponunt esse verè de fide, seu esse doctrinam Ecclesiæ ab Apostolis traditam, & à Christo acceptam. Rursus, consensus Patrum traditionis index est & argumentum certissimum. Scriptura verò S. docet inesse traditioni Divini testimonii pondus, & in rebus Divinis esse supremæ authoritatis, ac demum non esse accipiendam ut Verbum hominum, sed Dei.

Oppones 1. Non est certum, an opera Patrum, quæ circumferuntur, & manibûs modò teruntur, revera ipsorum sint, multa enim opera quæ hujus vel illius esse credebantur, in dies ut spuria & supposititia modo respuuntur. 2. Sensus quoq; sæpius in eorum reperiuntur scriptis intricati, & implexi, ut vix ali-

aliquis ſenſus extrahi poſſit. Sic ait *Dallæus* olim Miniſter Pariſienſis.

Reſp: ad utrumq; Etſi dubium ſuboriri poſſit, vel de aliquo vg. libro, aut hoc vel illo ſenſu, hoc tamen dubium ſupra totam collectionem cadere non poteſt; quid enim à veritate magis alienum, quàm de iis Operibus dubium movere, quorum Catalogum texuit provida antiquitas, iiſq; ut genuina adſcripſit, quorum nomina præſeferunt? Si verum foret argumentum *Dallæi*, à fortiori dubitare deberet, num Orationes, Libri, Epiſtolæ, quæ nomine *Ciceronis* circumferuntur, genuini ſint ejus fætus? At de hoc nec ipſe, nec ejus gregales dubium moverunt. Adde ad Divinam providentiam hoc pertinere, ut quæ SS. Patres Eccleſiæ dedit Doctores, eorum opera omnia aut perire, aut adulterari non permittat, ſicut de S. Scripturæ Libris alibi dicetur. Quod ad ſenſum attinet. Non omnes ſenſus ſunt tales, quales ſupponit *Dallæus*, alii namq; abſq; omni obſcuritate mentem Scriptoris oſtendunt, proindè per hos explicandi ſunt intricati & implexi. Qua de cauſa

ſa

ſa tam obſcure quandoq; locuti ſunt SS. Patres dicetur articul: ſequ:

Objic: 2. Multa ab Eccleſia leguntur reprobata, quæ communis Patrum ſenſus docuit, ut neceſſaria ad ſalutem. Sic S. Auguſt: lib: de peccatorum meritis & remiſſionibus cap: 24. cenſet eſſe de neceſſitate ſalutis, ut parvuli baptizati ſumant corpus Chriſti, quod & modo Orientales iis exhibent ad hæc tempora. Idem Innocentius I. in ſuo ad PP. Milevitano Reſcripto docet; atqui tamen hoc nunquam credidit Eccleſia, ſed eſſe rem ad meram diſciplinam pertinentem tenuit; ergò.

Reſp: S. Auguſt: loqui de voto Euchariſtiæ, nuſquam de reali ſuſceptione patet ex his. Parvulos *nec vitam æternam poſſe habere præter corpus, cui ut incorporentur, Sacramento baptiſmatis imbuuntur.* Igitur ex S. Auguſt: dùm parvulus baptizatur, corpus Chriſti ſumit, ſaltem in fide & voto. Ita Trid: Seſs: 24. cap: 4. *Nulla neceſſitate ſalutis, ſed probabilem tantum ob cauſam, veteres parvulos uſû rationis carentes ad communionem ſuſcepiſse.* Hoc modo explicandus eſt Innocentius.

Ad

Ad Orientalium morem dico esse tantummodo de disciplina, quæ in diversis Ecclesiis, ut plurimum diversa est, à qua disciplina antea vigente, tandem abstinuit Ecclesia Latina eò quod parvuli non possint discernere corpus Christi, quam tamen dispositionem exigit Apostolus 1. Corinth: 11. Cæterum non dicimus unanimem Patrum consensum, esse inconcussam fidei regulam, nisi ipsius Ecclesiæ accedat declaratio, ut hoc dogma communi consensû traditum habeatur ut fidei articulus, quod debuisset *Dallæus* ante oculos habere.

Objic: 3. S. Thomas 1. p. q. 1. art: 8. ad 2. ait: *Utitur autem*, Theologia, *authoritatibus aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter.* Ergo.

Resp: Intelligendum esse de authoritate singulorum seorsim sumptorum.

Objic: 4. Difficile, imò impossibile explorando invenire omnium Patrum consensum; cùm multorum nos lateant opera, & non paucorum perierunt scripta; ergò.

Resp: Cum *Gammachæo* & aliis, ille omni-

omnium consensus non est mathematicè summendus, ita ut ne unius quidem desit, sed moraliter, nempe ut sit consensus omnium circiter, & ferè omnium, eo modô, quo res morales sumi debent, ita etiam *Petronius* Card: reponit in resp ons. ad *Jacobum* Britaniæ Regem. *Tunc unanimis Patrum consensus cumulatè probatus æstimari debet, cum singularum Nationum Eminentissimi, in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus, semper orthodoxis adhæsit, dissentiat.*

Objic: 5. Hæreticus non foret, qui negaret dogma aliquod, nondum ab Ecclesia definitum, quod probaret omnium consensus Patrum, ergò.

Resp: Non esset Hæreticus ex eo præcisè quod negaret dogma unanimi Patrum consensû firmatum, at foret talis ex consequenti, illativè & præsumptive quia talis præsumeret negare infallibilitatem Ecclesiæ, quæ est de fide, & in unanimi Patrum consensu elucet, tanquam in signo. Unde licet doctrina illa, quam unanimis Patrum consensus tenet esse de fide, sit de fide non est tamen de fide Catho-

lica,

lica, & ſub pæna hæreſis credenda, donec fuerit ſupremo Eccleſiæ judiciô ſinita & omnibus ad credendum propoſita. Unde *Ibas* Edeſsenus Epiſcopus, qui contra communem Patrum ſententiam in ſua Epiſtola ad Marim Perſam ſcripſit impugnando XII. Anathematiſmos S. *Cyrilli* contra Neſtorium non eſt traductus ut hæreticus à PP. Concilii Antiocheni in ejus cauſa habiti, quia dixit ſe ea ſcripſiſse ante pacem initam cum S. *Cyrillo*, quô tempore ſolùm Synodum Epheſinam agnovit verè legitimam fuiſse. Idem dic de *Theodoreto* Cyrenſi Epiſcopo. Ex his.

CONSECTARIUM I.

Etſi authoritas unius vel alterius ex Patribus, etiam in rebus ad fidem ſpectantibus, ſe ſola non faciat argumentum infallibile, ſpecialis tamen ratio habenda eſt, illorum Patrum, quos Deus poſuit, quovis ſæculo in Eccleſia, ut errores ac hæreſes eo tempore naſcentes eliderent, ſicut Arianis oppoſuit *Athanaſium*, *Hilarium*, & alios, Pelagianis, Donatiſtis, Manichæis S. *Au-*

guſtinum, Neſtorianis S. *Cyrillum*, Eutychianis S. *Leonem* M. & alios Doctores aliis hæreticis ſua providentiâ oppoſuit. Quapropter pro Divinitate Filii Dei contra Arianos, quales modo ſunt Sociniani, conſulendi erunt PP. *Athanaſius*, *Hilarius* & alii, ut *Baſilius*, *Gregorius* Nyſſenus & Nazianzenus, qui cauſam ex profeſso tractaverunt, & quorum doctrinam Eccleſia Catholica amplexa eſt, atq; horum authoritati magis deferendum, quam eorum, qui rem ſolùm obiter tetigerunt. Eadem ratione, quia S. *Auguſtinus*, ut ita dicam, prius ex profeſso gratiam Dei contra Pelagianos ſtrenuè propugnavit, ejus authoritas in cauſa gratiæ plurimi eſt facienda, quia quos Deus ſpecialiter elegit, ad alicujus erroris confutationem, ſpeciali lumine illuſtravit, ad Catholicam veritatem tuendam. Hinc S. Auguſtini doctrinam, maximè dum de gratia agitur, Sedes Apoſtolica ſummo pretiô ſemper habuit. Eam à detractoribus tutatus eſt *Cœleſtinus I. in Reſcripto ad Epiſcopos Galliæ*. *Hormiſdas* etiam Epiſt: ad Poſseſſorem ait: *De arbitrio tamen libero & gra-*

tia

tia DEI quid Romana (Catholica) *ſequatur & aſseveret Eccleſia, licet in variis libris Beati Augustini & maximè ad Hilarium & Proſperum poſsit cognóſci, tamen in ſcriniis Eccleſiasticis expreſsa Capitula continentur &c.* Unde Capitula à Sede Apoſtolica ad Concilium Arauſicanum II. transmiſsa annô 529. ſub *Felice* IV. & ab eo ſubſcripta, ac in Canones redacta, quæ gratiæ neceſsitatem concernunt ferè omnia ex Libris S. Auguſtini deſumpta ſunt. Meritò igitur *Clemens* XI. ſuo Brevi dato 28. Junii annô 1704. quod legitur apud P. *Serry* in Vindiciis S. Auguſtini, Joannis *Launoii* libellum *Traditionem* nuncupatum, quo S. Auguſtini nomen & authoritatem obſcurare ac elevare in iis, quæ gratiam ſpectant, conatus eſt, diris devovit, repertumq; flammis aboleri mandavit. Quem ſecutus *Benedictus XIII. Clemens XII. Benedictus XIV.* qui miris laudibus doctrinam S. *Augustini* & *Thomæ* circa præfata dogmata commendarunt.

CONSECTARIUM II.

Approbatio in genere, quâ per Ecclesiam firmantur SS. PP. & Doctorum Ecclesiæ scripta, non est definitio, sed permissio; non est definitio qua determinentur ut infallibilia, & cum obligatione sequendi ut rem fidei definitæ, sed qua solum recipiuntur, & legi permittuntur ut utilia, vera, Catholica, vel probabilia. Nam illa SS. PP. scripta, vel continent fidei dogmata, vel sunt de rebus ad fidem non spectantibus, vel quosdam nævos humano modo immixtos continent: si primum, ea approbat ut vera & Catholica; si secundum, ea solùm recipit, & permittit ut probabilia; si tertium, ea nec approbat, nec recipit, sed excipit, ut constat de multis à *Gelasio* Pont. exceptis in Concilio Rom. 70, Episcop: Cap. *S. Romana* dist: 15. Aut si non excipit, ideo non excipit, quia nondum satis constat, id, quod continent, contra fidem esse, & aliundè aliquid probabilitatis habet. Unde est, quod licet pugnantia interdum loquantur SS. Patres, & neget

unus

unus, quod alter affirmat; & utriusq; scripta approbet Ecclesia, non sequitur, quod pugnantia & contradictoria approbet, quia utriusq; approbat, quando approbat scripta, solum ut probabilia; duo autem probabilia ut talia, nec opposita sunt, nec contradictoria. Attamen in SS. PP. scriptis legendis duo periculosi scopuli permaximè vitandi sunt, nimirum, ne morosi eorum Censores simus, nec nimii assentatores. Legamus SS. Patres, Magistros nostros, cum reverentia, sed ut homines cum delectu & judicio, alioquin non Sanctorum religione sed sui ipsius amore legens capitur, & sub veterum nomine novas opinationes invehere conabimur; ait *Melchior Canus*.



ARTICULUS III.

Regulæ nonnullæ in legendis SS. Patribus observandæ.

I. UT Lector diligenter attendat, *quando* hoc est, quô sæculô scripserit ille, cujus scripta legit, S. Ec-

clesiæ Pater, hoc enim observato, deprehendet non in hæresim lapsum, quem ut hæreticum traducere solent, Patrum osores. Sic vg. *Papiam* & *Justinum Irenæum* etsi fabulosam & hæreticam hodie de Millenario Christi in terris regno, sententiam secutos, minime hæreticos fuisse comperiet, cùm illo tempore dùm ipsi vixerunt, nempe Papias initio Sæc. II. Justinus medio II. Jrenæus in fine II. sæculi, sententia illa non fuerit ut hæretica proscripta. Sic pariter *S. Cyprianus* hæreticus non fuit, docens errorem rebaptismi, nec S. Augustinus, quamvis animam ex traduce fieri censuit, & sic de aliis.

II. Lector observet scribentis ætatem, an videlicet juvenis esset, dùm scriberet, an in virili ætate, an senili? Experientiâ constat unum eundemq; de eadem re judicare aliter, ut juvenem, aliter maturius re considerata, ut Senem. Hujus rei testes sunt gravissimi duo Retractationum libri *S. Augustini* quos ante mortem scripsit, in quibus jam senex multa retractat, quæ junior incautè protulit; unde notum il-

lud

lud. V. Bellarmini: *Quam aliter ſapiat Auguſtinus Senex, quam Auguſtinus juvenis.*

III. Ut ad ſcribendi cauſam & occaſionem attendat, hoc eſt advertat, contra quos, & quâ occaſione ſcripſerint SS. Patres, ut genuinum illorum attingat ſenſum, sic *S. Hilarium* non erraſſe videbit, dum 10. libro de Trinitate Chriſtum Dominum omnis doloris, ſenſûs expertem fuiſſe, ac proinde nullum ſensiſſe dolorem aſſeruit; advertat S. Doctorem ſcribere contra Arianos, Chriſtum DEUM eſſe negantes, hinc intelliget Hilarium loqui de Chriſto non ratione humanitatis paſſibilis & mortalis, ſed ratione Divinitatis impaſſibilis. Generaliter dum SS. Patres aliquod falſum dogma impugnant, videntur in alteram partem erroneam deflectere, quod reipſa non eſt, sic *S. Dionyſius* Alexand: dûm Sabellium oppugnaret, accuſatus eſt, quod dixerit, Filium Dei creaturam, à qua erroris labe ſe purgat in Apologetica, ad *S. Dionyſium* Rom: Pont: Sic immeritò à multis *S. Cyrillus* Alexand: accuſatus

Apol-

Apollinarismi, in anathematismis contra Nestorium. Plura hujus rei exempla habes in Tract: de Ss. TRINITATE circa modos loquendi Patrum contra Arianos.

IV. Lector Advertat *quomodo?* An per modum concionantis, vel per modum Viri simpliciter loquentis doceant Patres; quia ut observat *Vincentius* Lirin: Verba à Ss. Patribus concionando prolata, non sunt semper in rigore intelligenda, sed aliquando ex zelo quodam & hyperbolicè dicta. Sic vg. dum *S. Chrysostomus* concionando hortatur populum ad assiduam S. Scripturæ lectionem, non est censendus voluisse, sicut perperam putant moderni Novatores, ut omnes indiscriminatim, indocti & instabiles, rudes & ignaræ mulierculæ Divinæ Scripturæ vacarent, sub pæna salutis. Alloquitur enim multitudinem theatris, scenis, spectaculis intentam, & Divinarum Scripturarum insciam, idq; ægro ferens animô, vehementi concionantis zelo raptus, ut illos ab illis averteret fabulis, cæterisq; malorum peri-

periculis, ad Divinam ſcripturam legendam hortatur omnes, legendam ſcilicet à doctis & peritis, audiendam verò à rudibus & indoctis; vel si legendam, adhibitis cautionibus; & ex debita licentia.

V. Si Lector dura vel jam antiquata Patrum dicta reperiat. 1. caveat, ne corrigat, nec mutet. 2. neq; etiam in uſum trahat. 3. benigne interpretetur, reverenterq; exponat. Non mutet dico, quia hoc eſt Patres docere, non interrogare; nec in uſum trahat, quia ad tollendum erroris periculum Eccleſia dicta hujuſmodi jam antiquata, non uſurpat, quamvis à S. Viris olim benè uſurpata. Sic vg. etſi ante ortam hæreſim Neſtorianam dicatur à Patribus Chriſtus *Homo Dominicus*, aut *Deifer*, *Templum Dei* non eſt modo, hæc uſurpanda locutio, in ſenſu quidem Ss. Patrum Catholica, ſed per fraudem ad tegendum errorem ſuſpecta uſurpata ab hæreticis, ne cum hæreticis loqui videamur. Similiter de aliis locutionibus, ut quando Euchariſtia dicitur figura Corporis Chriſti à *S. Baſilio*, hoc

non

non servit modernis Calvinistis, qui hunc loquendi modum usurpant, ad suum errorem defendendum, alio enim sensû locutus est *Basilius*, aliô loquuntur Sacramentarii.

VI. Si quid sit obscurum, vel fidei non satis congruum inveniat, in aliquo Patris textu, explicet per ea, quæ clarius dixit in alio loco, sic vg. si quis perperam credat *S. Chrysostomum* Hom: 14. in Joan: possibilitatem DEI visionis negare, dùm super illud Joannis: *DEUM nemo vidit unquam* ait: *Nam id: quod est DEUS non modo Prophetæ, non viderunt, sed neq; Angeli*, facile intelliget eum non de visione intuitiva, sed comprehensiva loqui, ex iis, quæ dicit in paranæsi ad Theodorum lapsum cap: 7. exponens illud Petri: *Bonum est nos hic esse*, ait: *Quid dicemus quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, neq; per ænigma, sed facie ad faciem* &c.

VII. In interpretandis SS. Patrum scriptis, non tam ad verba; quam ad sensum attendat Lector, ut docet *S. Hieronymus* Epist. 101. ad *Pammachium*.

VIII

VIII. Si duos aut plures Patres oppoſita ſentire videat, ita ut unus neget, quod alter affirmat, neutrum damnet, ſed Dei providentiam adoret, quæ eos inter ſe opponi forte ſinit, ut sic ex oppositarum opinionum conflictu eruatur & elucefcat veritas. Sic olim *Paulus* reſtitit *Petro*, *Polycarpus Aniceto*, *Cyprianus Stephano*, *Auguſtinus Hieronymo*, & multoties alibi Sanctus Sancto. Inſuper non incongruum erit, ad dignoſcendas in ſcriptis Veterum methaphoras, adnotare regulas. Quarum.

I. Cum æquè ſimplici ac methaphoricô ſermone res eadem facilê exprimi poteſt, locutiones simplices frequentius, methaphoricæ rariùs uſurpantur. Quippe cùm ad ea, quæ naturæ ac veritati magis accomodata ſunt, & conſona, ut plùrimum homines ferantur.

II. Prolixam orationem, quæ rem eandem similibus locutionibus ſæpius inculcat, methaphoricam eſſe nemo jure dixerit. Cum enim aliquo ſenſû falſa sit; alias ænigmatica, & ad fallendos

dos auditores vel lectores composita esset oratio. Cùm itaq; Patres diu in eis locutionibus perseverent, quibus Eucharistiam esse corpus Christi, vel orationes Ecclesiæ Fidelibus defunctis utiles esse ad levamen & solatium, vel dogma aliquod hujusmodi ex controversis inter Protestantes & Romanam Ecclesiam asserunt, & secundùm nos pronuntiant; cumq; eas locutiones urgeant & inculcent, illisq; multas quandoq; impleant paginas, absurdum est, & insulsum respondere, ut Protestantes respondent, Patres illis in locis methaphoricè locutos. Certè si sumatur in manus Homilia 24. S. Joannis Chrysostomi in Epist: 1. ad Corinth: & absq; partium studio legatur, evidens erit ipsum methaphoricè non loqui, cùm Eucharistiam corpus & sanguinem Christi tota fere Homiliâ vocat, eoq; sensû de illa loquitur, non raptim & obiter, sed ex proposito, data operâ, diu, prolixè, luculenter, ut Fideles ad Eucharistiam dignè suscipiendam adhortetur. Virum sanè suæ ætatis eloquentissimum tam prolixa & impor-

importuna methaphora orationem suam consultò obscurasse, ut auditores, lectoresq; suos falleret potius quam doceret, nemo sanæ mentis dixerit.

III. In probandis locutionibus methaphoricis Authores non laborant; cum enim propter seipsas in oratione non ponantur; sed simplicium vocum, & locutionum loco & vice, proprio in sensu falsæ sunt, & in alio duntaxat sensu â propria significatione remoto sunt veræ: adeoq; nemo probationem illarum affert secundùm sensum proprium proximumq; cujus nimis comperta falsitas est, quam ut eum verum esse quis probare velit. Itaq; si Patres assertiones de dogmatibus inter nos & Protestantes controversis suas probent, sicut vg. mutationem panis & vini, in corpus & sanguinem Christi probant ex aliis miraculis, quæ Deus in Veteri Novoq; Testamento operatus est, & præcipue ex verbis Christi dicentis: *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus qui pro vobis effundetur*: Argumentô est, illorum locutiones methaphoricas non esse.

IV.

IV. Methaphoræ dubitationis & admirationis anſam non præbent; quia Methaphoricas locutiones ad literam non eſſe intelligendas eſt exploratum. Sic si dicatur. Beniamin eſt lupus rapax, Chriſtus eſt Leo de Tribu Juda, ſeptem vaccæ erant ſeptem anni, Sanguis victimarum erat Teſtamentum & fædus; nemo dubitat, nemo miratur, quærit nemo, qua ratione hæc fieri poſſint. Fidem hæ propoſitiones ſuperare videntur nemini. Itaq; si Patres dubitandi, & obſtupeſcendi locum eſſe innuant, cum aliquod controverſorum inter nos & Proteſtantes dogmatum aſſerunt & docent, ut illud credimus, vg. si aſſerendo panem eſſe corpus Chriſti, admirationi locum eſſe teſtentur, & quærant; *Quomodo, quod video, corpus Chriſti eſt?* Si Fideles contra hujuſmodi dubia munire ſatagant, illiſq; perſuadere, ut verbo DEI (sicut par eſt) potius credant, quam ſenſibus: argumento eſt illos methaphorice his in locis locutos non eſſe.

V. In omni orationis genere methaphoræ non adhibentur. Sermo simplex, hiſtoricus, dogmaticus & familiaris metha-


thaphoras nescit. Igitur si Patres in expositione literali Scripturæ Sacræ, in familiaribus Homiliis, catecheticis Orationibus aliquod dogma eorum, quæ hodie inter nos & Protestantes controvertuntur, afferant, sicut S. Cyrillus Jerosolym. in Catechesibus, S. Gregorius Nyssenus in Oratione catechetica, S. Augustinus in lib. de Fide & Symb. in Sermonibus ad Competentes, & ad recens baptizatos, S. Ambrosius libro de Initiandis & de Sacram. & generatim Patres omnes cum Scripturæ sacræ loca, quibus hodiernæ controversiæ nituntur, simpliciter exponunt; constat eos methaphoricé non loqui.

VI. Ineptum esset uti methaphoris, dum sermo coram auditoribus habetur, à quibus intelligi illas non posse verisimile est: aut saltem iis in casibus exponendæ sunt. Nam lex societatis jubet verba nos adhibere, quibus mentem nostram aperiamus: lex charitatis imperat; ne quos docere volumus, eos verbis obscuris, & quorum sensum assequi non possint, ducamus in errorem. Quoties itaq; Patres de mysteriis religionis no-

nostræ ad Ethnicos scribunt; vel Catechumenis aut Neophytis coram loquuntur, qui figuratas de rebus sacris locutiones intelligere non possunt, utpotè locutionibus adeo à communi usu remotis non assueti, certum est ea, quæ de Christianæ religionis dogmatibus, vel Sacramentis dicunt non esse methaphoricè intelligenda; vg. hæc S. Justini verba in Apologia ad Antoninum Imperatorem methaphorico sensu accipere summæ vecordiæ est: *Non enim ut communem panem, neq; ut communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per Verbum DEI carofactus JESUS Christus Salvator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eumdem modum etiam eam alimoniam in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, unde Sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, Incarnati illius JESU carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Certe cum Ethnicis Imperatoribus exponere simpliciter vellet S. Justinus, quid esset Eucharistia, ineptum est fingere, quod methaphoricè locutus sit, & id unum significare in animo habuerit verbis laudatis panem

&

& vinum verbo DEI ſanctificata signum eſſe merum Corporis & Sanguinis Chriſti, vel figuram Corporis & Sanguinis Chriſti repletam & fæcundatam: Verba enim laudata tam inſolentem ſenſum, tamq; à nativa ſua significatione alienum, Ethnicorum Principum mentibus non ingenerâſſent.



DISSERTATIO VI.

De SPE



Nomine ſpei venit quandoq; in Scripturis ſacris bonum, quod ſperatur, juxta illud ad Titum 3. *Exſpectantes beatam ſpem*, id eſt bonum illud obtinendum poſt hanc vitam. Nonnunquam ille, à quo bonum illud exſpectamus, juxta illud Pſal. 30. *Tu es Domine ſpes mea*. Aliquando & magis propriè virtus, quâ aliquid à DEO exſpectamus. Igitur.

ARTICULUS I.

Quid eſt ſpes, quod ejus objectum?

Spes generaliter ſumpta *eſt motus appetitivæ partis in bonum futurum arduum, ſeu difficile, poſſibile tamen adeptu.* Dicitur *bonum*, quia proprié loquendo ſpes ſolum eſt de bono, & per hoc differt a timore, qui eſt de malo. *Futurum* non enim eſt ſpes de præſenti jam habito, per hoc differt á gaudio. *Arduum*, id eſt difficile adeptû, non enim quis dicitur ſperare, quod ſtatim eſt in ſua poteſtate, si velit, ut habeatur, per hoc differt à cupiditate vel desiderio, quod eſt de bono futuro simpliciter. Unde desiderium pertinet ad appetitum concupiſcibilem, ſpes ad iraſcibilem. *Poſſibile adeptu*, nemo enim ſperat id, quod adipiſci omnino non poteſt, & per hoc ſpes ſecernitur à deſperatione. At hic ſpecialiter de ſpe, quæ Theologica dicitur agimus. Porro ſpes Theologica, *eſt virtus divinitùs animo infuſa Theologica, per quam certa cum ſiducia æternæ vitæ bona auxiliô Divinô obtinenda exſpectamus.*

Vir-

Virtus divinitùs animo infusa, hoc est supernaturalis, quia sicut nullus in DEUM credere, sic nec in illum sperare potest, ut oportet, nisi adjutus auxiliô aliquô supernaturali. Unde S. Bernardus in Psal: 90. dicit: hæc Psalmistæ verba; *quoniam tu es Domine spes mea*, à nullo verè proferri posse, *nisi cui intus persuasum sit à Spiritu S. Theologica* quia DEUM immediatè respicit pro objecto primario & præcipuo. *Per quam certa cum fiducia* &c. hoc est æternam beatitudinem, & omnia alia quæcunq; bona salutaria, ad æternam beatitudinem consequendam necessaria & utilia, sive corporalia sive spiritualia sunt, quod constat ex iis, quæ Christus D. nos à DEO postulare, & proinde sperare docuit in Oratione Dominica; *Ea siquidem* ut loquitur S. August. cap. 114. Ench. *ad spem pertinent, quæ in Oratione Dominica continentur*, sed non ex æquo, nam beatitudo æterna primariô modô, alia autem, quæ ad illam conducunt, secundariô. Additur cum *fiducia certa*; spes enim omnipotentiâ & fidelitate DEI promittentis innititur. Unde Hebr. 6. vocat Apost. spem *an-*

choram animæ firmam ac tutam. Quamvis autem fiducia illa (*quod bene notandum contra modernos præsumptuosos Novatores*) quatenus DEUM respicit, certissima esse debeat, quia tamen ex parte nostræ cooperationis multi defectus accidere possunt, & reipsa sæpè accidunt, quibus Divinarum promissionum effectus impediatur, ideo monet Apost. ad Philipen. 2. *ut cum metu & tremore salutem* nostram operemur; *qui enim sperat* ait S. Aug. Serm. 15. ad Fratres in eremo, *& non timet, negligens est, qui autem timet, & non sperat, depressus est, & descendit in profundum quasi lapis*, de quo infra. Dicitur *auxiliô Divinô*, quamvis enim ex parte quoq; nostra ad assecutionem vitæ æternæ merita requirantur, quia tamen sine Divina gratia, quæ per Christi merita nobis confertur, nihil possumus & volumus, & in iis quæ possumus & volumus, longe potiores sunt partes gratiæ Divinæ, quam voluntatis humanæ, ideo *absit, ut Christianus in seipso vel confidat vel glorietur* inquit Conc. Trid. sess. 6. c. 16. *& non in Domino, cujus*

jus tanta eſt erga homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.

Adverte. Bona illa exſpectari & ſperari ab homine fideli, quia juxta communem S. Thomæ & aliorum Theologorum doctrinam, fides ſpem neceſſario antecedit, cùm nonniſi per fidem innoteſcat id, quod ſpes à DEO exſpectare debet.

Ex his intelligi poteſt, quodnam ſit objectum illius virtutis, ſive materiale, ſive formale. Primum enim continet ea omnia bona, quæ nobis promiſſa ſunt à DEO, qui eſt ſummum & præcipuum bonum nobis promiſſum. Alterum verò eſt ſumma DEI erga nos bonitas omnipotens, ac in promiſſis adimplendis fidelitas, ſive ut *S. Thomas* quæſt. unica de Spe art. 1. eſt omnipotentia auxilians, id eſt præbens aut offerens auxilia: *Spes adipiſcendi vitam æternam habet duo objecta, ſcilicet vitam æternam, quam quis ſperat, & auxilium Divinum à quo ſperat.* Porrò per auxilium Divinum, noli intelligere auxilium creatum, & in homine receptum, ſed ipſam omnipotentiam auxiliantem, quia objectum

virtutis Theologicæ, qualis est ſpes, debet eſſe aliquid Divinum & increatum.

Petes 1. An licitum sit ſpem in homine, aut alia creatura ponere?

Reſp. cum S. Thoma 2. 2. q. 17. art. 4. Quanquam in DEO ſolo ut cauſa principali totius boni ſpes collocanda sit; licitum tamen eſt in homine aliaq; creatura ſperare & confidere, tanquam cauſa ſecunda & inſtrumentali, per quam ſecundúm providentiæ Divinæ ordinem adjuvari poſſumus ad conſequendum aliquod bonum, quod ad ultimum & ſummum bonum ordinatur. Hoc modo Catholico ſalutamus B. V. MARIAM: *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM.* S. Bern.

Hinc ſequitur licitum eſſe etiam in propriis meritis aliquam ſpem ponere ex gratia DEI factis, ut causis inſtrumentalibus, quandoquidem ſunt media à DEO ad ſalutem ordinata, dummodo tota ſiducia refundatur ultimatè in DEUM ut gratiæ & meritorum Authorem, ut sic sit ſpes ordinata.

Petes 2. Utrum alteri ſperare ſalutem ſit actus ſpei? *Reſp.*

Resp: Suppoſitâ unione amoris, quô bonum alterius, quaſi ſuum reputat, poteſt ſperare alteri ſalutem æternam. Sicut enim eadem eſt virtus charitatis, qua quis diligit Deum, ſeipſum & proximum, ita eadem eſt virtus ſpei, quâ quis ſperat ſibi & alteri. Neq; ex hoc ſequitur, velle alteri bonum eſſe actum charitatis, non ſpei; Nam velle alteri bonum & charitatis & ſpei actus eſt, charitatis quidem, ut eſt bonum ſimpliciter, ſpei vero ut eſt arduum & difficile adeptû.



ARTICULUS II.

De ſubjecto ſpei.

Cùm virtus in ea reſideat potentia, quæ ejus attingit objectum, & illud habet pro fine, ut ait S. Thomas q. 18. art: 1. ſpes verò reſpicit bonum infinitum ut aliquando poſſidendum, ſequitur ſpem voluntati ineſſe, tanquam ſubjecto immediato, quod ſubjectum *quo* dici ſolet. Hoc præſuppoſito agimus hic de ſubjecto *quod* dicto.

Dico

Dico 1. Spes Theologica 1. non fuit in Christo inter hominês degente, 2. nec est in Beatis. 3. Non in damnatis. 4. Non in hæreticis.

Prob: 1. pars. Spes non fuit in Christo, quia Christus etiam protunc fuit Comprehensor, cum comprehensione autem sive, quod idem est, cum clara Dei visione stare non potest spes juxta illud Rom: 8. *Quod videt quis, quid sperat.* Hinc si quid speravit, non fuit beatitudo animæ, sed corporis solùm, juxta illud Hebr: 8. *Propositô sibi gaudiô... sustinuit crucem confusione contemptâ.* Quòcirca Christus beatitudinem corporis, nominis exaltationem, & alia similia non speravit spe Theologica, sed motû quodam affectivô, qui ad spem reduci potest. Hinc ait S. Thomas hic q. 18. art: 2. ad 1. *Christus etsi esset comprehensor, & per consequens beatus, quantum ad Divinam fruitionem; erat tamen simul viator, quantum ad passibilitatem naturæ, quam adhuc gerebat, & ideo gloriam impassibilitatis & immortalitatis sperare potuit, non tamen ita, quod haberet virtutem spei, quæ non respicit gloriam corporis sicut principale*

obje-

objectum, sed potius fruitionem Divinam.

Prob: 2. pars. Spes in Beatis non reperitur propter eandem rationem. *Quia ergo bonum arduum possibile non cadit sub ratione spei, nisi secundùm quod est futurum, ideo beatitudo cum jam non fuerit futura, sed præsens, non potest ibi esse virtus spei. Et ideo spes sicut & fides evacuatur in patria, & neutrum eorum in Beatis esse potest*, ait S. Thomas hic cit: quæst: art: 3.

Prob: 3. pars. Ex S. Thoma hic art: 3. Qui pænis æternis addicti sunt in peccatorum vindictam, nullam habent spem, sin minus eorum pænæ non forent æternæ; atqui est de fide damnatorum pænas esse æternas; ergò nulla in illis spes salutis affulget, maximè cum ex inferno nulla sit redemptio.

Prob: 4. pars. Neq; spes Theologica adjacet hæreticis; hæc enim ad fidem consequitur, cum ipsa fides ostendat bonum æternum & infinitum possidendum; sed deest fides Theologica in hæreticis; ergo & spes. Fides quippe est fundamentum spei, quô submotô corruat spes, cui superstruitur, oportet. Habent tamen spem aliquàm hæretici, si-

qui-

quidem gratiis sufficientibus non privantur, & possunt converti. Ista spes innixa Divino auxilio & motivo, reduci potest ad spem Theologicam.

Dico 2. Spes Theologica est in Fidelibus Viatoribus & animabus in purgatorio detentis.

Prob: 1. Spes Theologica est in justis omnibus, tam in Viatoribus, quam purgatorio conclusis, cùm sint in charitate, adeoq; filii, igitur & hæredes, & spem in jure filiationis fundatam habent. Aliunde in animabus purgantibus securitas obtinendæ beatitudinis non impedit exercitium spei, eò quod adhuc beatitudo absens est, & futura & ardua est, cùm solum post severam atrocemq; expiationem, ac pœnarum solutionem obtineri debeat.

2. Spes remanet in fidelibus peccatoribus. 1. Quia habent fidem, igitur & spem. 2. Peccatum mortale etsi immediatè gratiæ oppositum sit, non tamen extinguit spem, etsi eam sicut & fidem plurimum extenuet. 3. Injunguntur peccatori omnia mandata observanda, ad hoc autem requiritur spes, tenetur enim Chri-

Chriſtianus aliarum virtutum exercere actus, ut pænitentiæ, miſericordiæ &c. Sed hos actus ſecluſa ſpe, homo lapſus non poteſt elicere, ſicut nec graves ſuperare tentationes, quæ ſpe veniæ propelluntur; ergo.

Petes 1. Quid? ſi cui ſuæ damnationis fieret revelatio?

Reſp: Imo & talis in Deum, adhuc ſperare deberet, quamdiu enim homo viator eſt, etiamſi animam ageret, poſſet tamen pænitere de peccatis & ſperare in Deum, ut de bono legitur latrone. S. Thomas de ejuſmodi revelatione ſic loquitur q. 23. de Verit: a. 8. ad 2. *Si aliqui talis revelatio fieret, deberet intelligi non ſecundùm modum prophetiae, prædeſtinationis vel praeſcientiae, ſed per modum propheticae comminationis, quae intelligitur ſuppoſitâ conditione meritorum,* ſcilicet malorum.

Petes 2. Quam certitudinem habet ſpes?

Reſp: Ut jam dictum, ſpes Theologica ſecundùm ſe habet certitudinem abſolutam, reſpectû verò noſtri, ſolùm conditionatam. Primam part: S Thomas jam cit: q. 18. a. 4. ex profeſſo probat

bat authoritate Apost: 2. ad Tim: 1. *Scio cui credidi & certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Audis certitudinem spei omnipotentiæ Dei inniti; ergo ex hac parte certissima est. Altera S. D. ratio est; quod eadem est certitudo spei ac fidei, in ista quippe velut in radice fundatur. *Sic etiam*, ait, *spes certitudinaliter tendit in suum finem quasi participans certitudinem à fide, quae est in vi cognoscitiva.* Ulterius sic suadetur: Eadem est tendentia voluntatis in bonum, ac intellectûs, qui illud idem bonum, sub ratione veri respicit; *nihil enim volitum aut amatum, quin praecognitum;* sed intellectus fidei lumine irradiatus tendit in Deum ut verum; ergò & eodem modo voluntas spe instructa & accincta ad eundem uti possidendum inclinatur.

Altera pars pariter in Scriptura continetur & nobis inculcatur sæpius, videlicet spem ex parte nostra non habere certitudinem absolutam Eccles: 9. *Omnia in futurum servantur incerta* 1. Corinth 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Nam

Nam prout ſpes humanæ hæret voluntati, eam timor comitatur. Quapropter erigere animos, ut firmiter ſperent, debemus, Divinam ſpectantes miſericordiam, quæ non confundit ſperantes in ſe, at noſtræ conſcii infirmitatis timere debemus, ne ob latentem aliquam in ſinu cordis noſtri maculam indigni miſericordia ſimus. *Debet profectò, non ſolùm in ſpe eſſe ſecuritas, ſed etiam timor in converſatione, ut & illa certantes foveat, & iſte torpentes pungat.* Hinc S. Aug: lib: toto de Correp: & gratia adhortatur, ut flagellis & pænis corripiantur inquieti, & obdurati, ut ad meliorem redeant frugem.

Ratio Suffragatur. Vita æterna ea ſolùm conditione promittitur, ſi ſerventur mandata juxta illud Math: 19. *Si vis ad vitam igredi, ſerva mandata.* Hinc laudatus mox Auguſt: in Pſal: 99. hæc eloquitur: *Tam certus eſſe debes de requie, de ſelicitate, de æternitate, de immortalitate, ſi feceris præcepta DEI; quam certus eſſe de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum Diabolo, ſi contempſeris præcepta ejus.*

Dices

Dices cum præſumptuoſis: Spem etiam ex parte noſtra certiſſimam eſſe, nulla hypotheſi ſuppoſitâ clamat Eccleſiaſticus c. 2. *Qui timetis Dominum credite illi, & non evacuabitur merces veſtra.* Rurſus Pſalmiſta Pſal: 27. *In te ſperaverunt Patres noſtri, & non ſunt confuſi;* ergo, inferunt, omnem prædeſtinatum de ſua ſalute certiſſimum eſſe.

Reſp: diſt: Non evacuabitur merces, nec erit confuſio in Deum ſperantibus, ſi adſint bona opera, quæ ſupponuntur, *conc.* ſin minus, *nego ant:* & *conſeq.* Nam nemo etſi habere videatur opera bona ſcire poteſt, utrum amore an odio dignus ſit. Hinc Concil: Trid: adverſus obſtrepentes Lutheranos & Calviniſtas definivit neminem quantumvis juſtum quandiu viator eſt, habere phyſicam de ſua ſalute certitudinem. Seſſ: 6. can: 15. *Si quis dixerit hominem renatum, & juſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.* Merito ergò dixit S. Aug: lib: de Correp: & gratia cap: 13. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinato-*

rum

rum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio.

Petes 3. Qualis in peccatoribus spes, cum ipsi destituti sint charitate?

Resp: Esse spem informem, hoc est charitate non formatam, quæ etiam est vera virtus, etsi imperfecta, quia & peccator potest sperare Deum ejus auxiliô possidendum, imo tenetur ex præcepto: *Spera in DEO & ipse faciet* Psal: 36. *Spe salvi facti sumus* Rom: 8. *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se* 1. Joan: 3. Quod autem sit virtus imperfecta patet, quia non habet charitatem adjunctam. Nec tamen peccator sperat se obtenturum beatitudinem sine charitate; hoc enim foret damnabilis & perniciosa præsumptio, sed sperat saltem implicite consequi remissionem peccatorum, & ita charitatem obtinere, atq; per eam vitam consequi æternam. Quod Synodus Trid: sess: 6. cap: 6. sic explicat: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati* (peccatores) *Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEUM* - - -

Et

Et dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quô utiliter concutiuntur, ad considerandam DEI misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes DEUM per Christum sibi propitium fore.

Non modo eliciendi sunt spei actus ad donum justificationis virtute meritorum Christi assequendum, verùm etiam urget præceptum Divinum peculiare, quod spei actus absolutè, dato tempore, jubet, imperatq: Nam opinio contraria proscripta est ab Alexandro VII. in hac propositione: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.* Igitur.

Petes 4. Quô tempore urget hujus mandati observatio?

Resp: Cum peregrini simus in hac vita, alteram civitatem, nempe cælestem inquirentes, illam exspectare, illuc aspirare, sine intermissione deberemus, ut dicitur Oseæ 12. *Spera in DEO tuo semper*, nihilo tamen secius, hanc continuam actuum spei repetitionem præceptum non jubet, connitendum utiq; nobis

nobis eſt, ut Chriſto ſemper hæreat anima noſtra, illum credat, ſperet, ametq; At quia jugum ſuave eſt, hi continui actus liberæ ſunt perfectionis, non legis devincientis.

Communis & vera ſententia eſt, quæ ſub primo rationis ſplendentis dilucuto præceptum *ſpei* per ſe omnes obligare docet cum S. Thoma hic 2 2. q. 22. art: 1. Tunc enim homo permaximè debet Deum ut hæreditatem poſſidendam cupere, & ſperare, illumq; ut finem ultimum colere, & poſtea frequenter repeti ſpei actus debent, nec exercitium ejus longè differendum. Et ſicut ſub vitæ rationalis initium, ſic inſtante ejuſdem vitæ terminô *per ſe* obligat mandatum hoc. Pariter urgente deſperationis gravi periculô, actus ſpei, quô periculum illud declinetur, neceſſarius eſt.

Per accidens 1. Obligat præceptum iſtud, dum pænitentia peragenda eſt, neq; enim conteri quis de peccatis ſuis valet, niſi remittenda ſibi peccata á Divina miſericordia confidat. 2. Cum actus ſpei neceſſarius eſt, ad vincendas

Rr ten-

tentationes contra alias virtutes, tunc præceptum per accidens obligat. 3. Quando urgent præcepta dilectionis Dei & Orationis, quæ impleri non possunt absq; gloriæ Divinæ confidentia. Et ideo tanta est inter ejusmodi præcepta conjunctio, ut cum unum impletur, alterum quoq; observetur. Hoc autem discrimen inter obligationem *per se* & obligationem *per accidens*. Nam quando præceptum obligat *per se* illius omissio peccatum peculiare est; secus si solum per accidens obligat. Quapropter, qui pænitendi præceptum violat, peccat contra virtutem pænitentiæ, non contra virtutem spei.



ARTICULUS III.

De timore spei dote.

Spes inter duo incedit extrema, nimirum desperationem & præsumptionem; Primi extremi, defectus in eo situs est, quod aliquis existimet graviora esse sua peccata, quam ut veniam obtinere queat juxta illud Ephes. 4.

Qui

Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ. Præsumptio verò in eo posita est, quod quis credat, tametsi non sit solicitus de mediis assumendis, habiturum vitam æternam. At spes etiam quibusdam gaudet dotibus, quibus ad salutem via sternitur, inter cæteras eminet timor.

§ I.

Quadruplex timor explicatur.

Timor in amplo significatu definiri solet *fuga mali ardui futuri, quod non potest facilè vitari*, ex S. Thoma 1. 2. q. 42. art. 3. Dicitur *fuga mali ardui*, eò quòd parva mala timorem non incutiant; & additur *futuri*, nempè proximè imminentis. *Quod non potest facile vitari*; nam si facilè vitari potest, injicere non valet viro forti timorem. Hinc facile colligis 1. quod timor duplex spectat objectum, nempe ipsum malum, quod refugit, & causam, quæ malum minatur, estq; infligere parata; sicut spes itidem duplex respicit objectum, videlicet bonum arduum, quod assequi confidit, & auxilium, vi cujus illud rè assequatur.

2. Deum objectum esse timoris non quátenus bonus est, sed quatenus malum infligere potest. Quarè non solùm malum pænæ, sed ipse Deus, qui pænam imponere valet a timore inspicitur. Hac ratione peccatum non est timoris objectum, quod facile vitari possit, utpotè nostræ subjectum voluntati; accedit quod malum, quod timor refugit, terribile est, ut ait S. *Thomas* hic 144. a. 2. quod autem terribile est à causa superiori proficiscitur, causa autem peccati intra nos est.

Celebris ergo partitio est timoris *in filialem, initialem, servilem* & *mundanum.* Partitionis hujus S. D. hanc assignat rationem. Si homo a Deo propter malum, quod timet recedit, *mundanus* timor appellatur; quippe tum magis mundus, quam Deus diligitur. Ideo enim quis a Deo recedit, ejusq; mandata infringit, nè malum, videlicet jacturam bonorum temporalium subeat. Si homo ad Deum convertitur formidine pænæ sibi infligendæ, *servilis* timor dicitur. Postremo si ad Deum accedimus culpæ horrore perciti & Divinæ majestatis reveren-

rentiâ excitati *filialis* timor nuncupatur. Filiorum ſiquidem eſt Patris offenſam perhorreſcere, eamq; ob hanc rationem cavere. Lex vetus, timore, veluti primario cardine vertebatur, Lex Evangelica amoris & dilectionis fædus eſt: *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater)* Rom: 8. Deniq; ſi ob utrumq; malum, culpæ ſcilicet, & pænæ Deo jungimur, vocatur timor *initialis* qui medium locum, ſervilem inter & filialem tenet. Incipientium enim & imperfectorum proprius eſt, viamq; aperit ad filialem, qui perfectis in ſanctitate animabus convenit.

Timor initialis & filialis præciſè non differunt, ſed ſolùm tanquam imperfectum & perfectum diſtinguuntur. Timor filialis non timet culpam ut pænam, ſicut timor ſervilis, ſed eam timet, prout inducit ſeparationem a Deo amato. Neq; hanc ſeparationem ut pænam ſpectat, ſed præciſe ut ſejungit ab amato amantem. Hanc rem explicat Angelicus hic q. 19. a. 5. ad 2. ubi notat diſtinctionem ſervilis timoris a filiali ſpecifi-

cam, ex diversa utriusq; habitudine ad Deum. De timore vero initiali & filiali habet sic art: 9. *Timor initialis hoc modò se habet ad filialem, sicut charitas imperfecta ad perfectam.*

De timore *mundano*. Hic quæstio non est, hujusmodi enim timor, turpis, cujus radix est mundanus amor; amor autem mundi, mundo innititur tanquam fini ultimo; *Timor mundanus*, ait S. Thomas loco cit: art: 3. *est, qui procedit ab amore mundano, tanquam à mala radice, & propter hoc ipse timor mundanus, semper est malus.* Filialem & initialem bonum & Sanctum esse nullus dubitat, de solo igitur servili agendum.

§ II.

An timor servilis sit salutaris?

Negant Lutherani, & asserunt: illum homines magis peccatores efficere. Sed Catholicam doctrinam Trid: Sess: 6. can: 8. sancivit, & susius Sess: 14. cap: 4. explicavit, quam circa finem Sæc: XVII. labefactare ausi sunt quidam Theologi, quarum unam supra triginta propositiones anathemate confixit Alexander VII. ex quibus XIV.

hæc eſt: *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* 15. iſtà: *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ DEI propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.* Sed notio clara timoris ſervilis exhibenda eſt.

Timor ergo ſervilis horret culpam formidine pænæ, ut dixi. Porro id duobus modis contingere poteſt; ſiquis horret culpam, & ab ea abſtinet ob pænam tantum, ita ut affectum reipſa conditionatum habeat perpetrandi culpam, pænâ ſublata, hic timor mundanus eſt, turpis & malus, ut dictum. Qui culpam deteſtatur horrore pænæ, abſq; ullo alio reſpectu, ita ut hanc pænam ſpectet ut finem proximum ſua natura referibilem in finem ultimum, quem tamen finem ultimum, homo timens nec poſitivè includit in ſui amoris actu, neq; excludit, ſed præſcindit, & pænam reſpicit, ut objectum immediatum præciſè & abſolutè conſideratum, qui inquam ſic timet, timorem habet ſervilem, & hic bonus eſt & ſupernaturalis.

Dico: Timor, quô ſe aliquis ad DEUM convertit metû pænæ eſt ſalutaris.

Prob:

Prob: 1. Ille timor ſalutaris eſt, qui expellit peccatum, quô parimus Spiritum ſalutis, quem Chriſtus commendat; atqui talis eſt timor ſervilis; ergo. *Prob: min:* Timor ſervilis expellit peccatum juxtà illud Eccl: 1. *Timor Domini expellit peccatum;* illò parimus ſpiritum ſalutis ſecundùm illud Iſaiæ 26. *Concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus Spiritum.* 70. legunt: *Timore tuo Domine concepimus & peperimus Spiritum ſalutis:* Chriſtus ipſe ſervilem timorem commendat. Math: 20. *Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam;* ergo.

Prob: 2. ex Patribus. SS. Patres timorem ſervilem ſalutarem dicunt; ergo. *Prob: Ant:* S. Aug: in Pſal 127. diſertè pronuntiat: *Ille timor nondum caſtus præſentiam Domini, & pœnas timet. Timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum, non timet, ne perdat amplexus illius pulcherrimi Sponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt & iſte timor, utilis eſt.* S. Baſil: Hom: in Pſal: 32. *Jam* ait, *quando timor Domini initium eſt ſapientiæ, qui terrena ſapiunt, pertimo-*

timorem erudiuntur, timor enim quasi quidam introductorius necessario ad pietatem condiscendam assumitur. Similia habent alii. Hinc Concilium Trid: adversus Protestantes decernit sess: 6. can: 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam DEI, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Et Sess: 14. cap: 4. *Illam verò contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae & paenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum DEI esse, & Spiritûs S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis, quô paenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.*

Prob: 3. Ratione 1. Timor servilis refugit malum pænæ æternæ sive gehennæ, sed fugere gehennam bonum est, sicut bonum est desiderare beatitudinem, quæ est summum bonum contrarium malo inferni; ergo. 2. Deus vult, ut homo ipsi serviat mercedis moti-

motivô juxta illud Math: 6. *Beati pauperes spiritû quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et illud Psal: 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem;* ergo & pænæ motivô tametsi mercenario homo Deo inhærere potest, cùm in utroq; actu commodi proprii sit motivum; ergò.

Objic: 1. Timor pænæ in eo, qui est in peccato mortali, malus est, quia oritur ex amore boni proprii, quod peccator sicut ultimum finem spectat; Bonum siquidem proprium est finis ultimus ipsius peccatoris, ad quem omnia ordinat; ergò. *Probatio implicita patet:* hæc quippè est, finis ultimi prærogativa, quod omnia in ipsum referantur.

Resp: 1. Hoc argumentum multum probare, evincit enim omnia opera peccatoris peccata esse, quoniam peccator omnia ex amore sui operatur, ejusq; bonum est illi finis ultimus. Porro omnia peccatoris opera esse peccata hæresis est damnata â Concil: Trid: & à pluribus Pontificibus. *Pio V. Gregorio XIII.* & *Alexandro VII.*

Resp: 2. dist: implicitam prob: ad

quem

quem omnia ordinat habitualiter, *conc:* actualiter, *nego*. Spectat itaq; peccator habitualiter bonum proprium, tanquam ultimum finem, sed non semper agit propter hunc finem actualiter, hoc enim bonum proprium non exercet rationem ultimi finis actualis, respectû cujusq; operis ipsius peccatoris, sed quandoq; finis ultimi, quandoq; finis intermedii. Bonum proprium, quod suaptè naturâ honestum est, nullam malitiam præfert respectû operis honesti, & suo genere boni, nec fungitur officio ultimi finis, sed solum intermedii, quia opus morale honestum non affingit huic bono proprio aliquam privationem, quæ impediat ulteriorem ordinationem, ut facit peccatum, sed contra, illud respicit præcisè & absolutè acceptum, & juxta hanc considerationem in Deum referri potest. Nec.

Inferas: Peccatorem habere taliter duos fines ultimos contrarios. Nam.

Resp: nego sequ: Sed peccator bonum proprium habitualiter respicit tanquam finem ultimum, in quem omnia opera mala actû dirigit *privativé*, sistendo

co nempè in bono proprio, & excludendo quemcunq; alium ultimum finem; opera vero honeſta dirigit, in eundem finem præciſive, & abſolute abſq; ulla privatione, ſed ut referibilem, ſi ita loqui fas eſt, in DEUM.

Dices: Gloſſa ſuper cap: 1. ad Rom: ex S. Aug: in Enchir: cap: 121. ait: *Qui timore aliquid facit, etſi bonum ſit, quod facit, non tamen, benè facit;* ergo.

Reſp: S. Thomas hic q. 19. ad 4. Verbum illud Aug: intelligendum eſſe de eo, qui facit aliquid timore ſervili, inquantum eſt ſervilis, ut ſcilicet non amet juſtitiam, ſed pænam timeat.

Inſtabis: Ille timor malus eſt, quô pæna magis ad pænitendum movet, quam culpa, ſeu horror & diſplicentia ejus; ſed qui timore ſervili agitur ad pænitendum, magis movetur pænâ quàm culpâ; ergo.

Reſp: diſt: maj: Si peccator hanc comparationem inſtituat, ut foret paratus peccare, niſi DEUS pænam comminaretur, *conc:* Talis enim timor ſerviliter ſervilis. Si ab ea abſtrahat comparatione, *nego maj:* Porro peccator gehennæ metû concuſſus ad DEUM converti-

vertitur. A pæna quidem vitanda primum fit motus, tunc recedit a peccato, ut Deo adhæreat, sed non gradum sistit, in mera pænæ apprehensione & timore. Hinc discrimen ut jam dictum, latum est inter timorem mundanum & servilem; quia mundanus sistit in pæna & non facit adhærere Deo, econtra verò alter; ultra quippe progreditur peccator, qui eo movetur scopô, ut ad Deum se convertat.

Objic. 2. Timor servilis incompossibilis est cum charitate, juxta illud 1. Joan: 4. *Timor non est in charitate;* ergo.

Resp. ad textum. Timor filialis non est in charitate, *nego.* servilis *subdist.* in charitate perfecta, *conc.* imperfecta & initiali, qualis est charitas, qua aliquis diligit DEUM propter se, & juxta Trid. totius justitiæ fontem, *nego.* Angelicus Doctor hic q: 19. art. 6. solutionem his verbis proponit: *Dicendum, quod timor servilis ex amore sui causatur, quia est timor pœnæ, quæ est detrimentum proprii boni; unde hoc modo timor pœnæ potest stare cum charitate, sicut & amor sui, ejusdem enim rationis est quod homo cupiat bonum*

suum,

ſuum, *&* *quod timeat eô privari.* Fit conſequens timorem mundanum quidem oppoſitum eſſe charitati, nuſquam verò ſervilem, quippe qui charitati imperfectæ annexus præparet etiam ad perfectum DEI amorem. Hic.

Nota. Patres nonnunquam impugnant timorem ſervilem, ut malum, ſed intelligendi ſunt conformiter ad dicta, de timore ſerviliter ſervili & mundano; timor enim pænæ non habens relationem ad DEUM eſt malus, ſecus verò, qui dicitur timor Domini adeoq; initium ſapientiæ.

Petes 1. Utrum timor ſervilis & filialis ſint idem in ſubſtantia?

Reſp. negative. Quia habent diverſa objecta ſive motiva. Objectum enim timoris ſervilis eſt malum pænæ, objectum timoris filialis malum culpæ, unde ſpecie differunt. Hinc timor ſervilis creſcente charitate minuitur, filialis autem augetur; timor ſervilis in Patria locum non habet, cum Sancti ſint ſecuri de perpetuitate ſuæ felicitatis; filialis remanet in Patria, non quidem quantum ad actum, quod timeant beati ſeparatio-

tionem a DEO, ſed quantum ad actum qui eſt revereri DEUM. Ille autem actus reverentiæ tunc fit, quando homo ex consideratione Majeſtatis Divinæ, contremiſcit, & in propriam resilit parvitatem, quô timore concuſſus S. Petrus dixit: *Exi a me Domine.*

Petes 2. Quinam timor donum eſt Spiritus S.?

Reſp. 1. Timor ſervilis hanc prærogativam non habet, quanquam perfectio sit a Spiritu S. infuſa, ut ait hic Angelicus D. q. 19. art. 9. *Timor ſervilis non eſt numerandus inter ſeptem dona Spiritus S.* Rationem dat. Quod timor ille annexam poteſt habere voluntatem peccandi, dona autem Spiritûs S. cum tali voluntate ſtare nequeunt.

Reſp. 2. Timor ergo filialis & caſtus propriè donum eſt Spiritûs S. sicut & timor initialis, qui non diſtinguitur, nisi tanquam imperfectum, a perfecto, a timore filiali. *Unde relinquitur quòd timor DEI, qui numeratur inter ſeptem dona Spiritûs S. eſt timor filialis ſive caſtus.* ibidem S.D.

Petes 3. Daturne timoris præceptum?

Reſp. affirm. Cum Angelico D. hic q.

22. a. 2. ubi primum affert textum S. Scripturæ, præceptum illud oſtendentem, nam dicitur Deut. 10. *Et nunc Iſraël quid Dominus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum DEUM tuum.*



ARTICULUS IV.

De vitiis ſpei oppoſitis.

Duo ſunt, ut jam ſupra innui, virtuti ſpei contraria, *deſperatio* & *præſumptio*. Porrò deſperatio definiri hoc modô ſolet: *Eſt voluntas efficax abjiciendi ſalutem æternam, ex Divina miſericordia conſequendam.* Quæ definitio conſtare potest ex contraria virtute ſpei, quæ motus animi eſt in bonum arduum, ſeu beatitudinem Divino auxiliô obtinendam. In oppoſito ergo motu non aſſequendi hanc felicitatem sita deſperatio eſt. Duplici autem ratione ad deſperandum duci quis ſolet. 1. quod DEUM impotentem judicet ad conferendam beatitudinem. 2. quod judicat ſe capacem amplius non eſſe obtinendi æternum præmium, ob criminum multitudinem & cordis duritiam. Execrabile & peri-

cu-

culosissimum est hoc peccatum: *Nam si desperaverit lapsus, in die angustiæ minuetur fortitudo sua.* Prov. 24.

Petes 1. Estne semper hæresi conjuncta desperatio?

Resp. Ut plurimum conjungitur, quando scilicet peccator ideò desperat, quod judicium format, quo judicat, DEUM non posse illum salvare, eidemq; illius crimina condonare. Et tunc duplex est peccatum, hæresis & desperatio. Sejuncta est ab hæresi desperatio, quando peccator, absq; præfato judicio desperat, non quia judicet DEUM ipsum salvare non posse, sed quia conveniens sibi existimat desperare, ut liberius, nulloq; intus conscientiæ morsu pungente vitiis & voluptatibus indulgere valeat. Sic vg. qui judicaret furtum licere, hæreticus esset, qui vero furatur, quia furtum sibi commodum ac congruum judicat, ut communiter evenit, peccat, sed ab hæresi immunis est.

Petes 2. An licite desperaret ille, cui facta foret de propria damnatione revelatio?

Contensonius fortiter affirmat hominem in illa hypothesi sperare posse & debe-

re, alii negant. Sed de hac quæſtione jam ſupra dictum ex S. *Thoma* hujuſmodi revelationes interpretandas eſſe, ut comminatorias.

Alterum vitium quod ſpei opponitur eſt præſumptio, quæ à S. Thoma hic q. 21. a. 2. deſinitur: *Inordinata confidentia in Divina miſericordia.* Præſumptio grave peccatum eſt, & ſi gravius deſperatio, ut inquit S. *Thomas* ibidem. *Quoniam magis proprium eſt Deo miſereri & parcere, quam punire propter ejus infinitam bonitatem.* Porro peccatum præſumptionis committitur, dum quis gloriam aſſequi confidit sine ulla cooperatione, sine meritis ac laboriosis operibus, quod attenta DEI providentiâ, ejuſq; legibus conſtitutis fieri non poteſt. Peccatum quoq; præſumptionis contingit, dum quis ſub ſpe veniæ obtinendæ in peccato perſeverat

Advertendum tamen ex S. *Thomâ* non peccare peccato præſumptionis illum, qui peccaret ſub ſpe veniæ obtinendæ, & cum propoſito abſtinendi a peccato & de eodem pænitendi: *Hoc,* inquit, *non eſt præſumptionis, ſed peccatum diminuit,*

it, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. Peccant ergo, qui in peccato persistunt spe veniæ decepti; sed propositum abstinendi a peccato, & peragendæ pænitentiæ, multum malitiæ demit, & non est propriè peccatum præsumptionis. Non negandum tamen plures hujusmodi quoq; criminis præsumptionis reos esse vere, simulq; hæreseos lue infici, quippè vix contingere potest, aut saltem raró accidit, ut quis præsumptionis propriè dictæ peccatum committat absq; hæresi, quod Confessariis perpendendum est seriò.

DISSERTATIO VII.

De CHARITATE.

Ultimum inter virtutes Theologicas locum occupat charitas, quia illarum finis est & meta; hæc omnium meritorum principium & forma, hæc est, in qua consistunt lex & Prophetæ totiusq; legis observantia, consortium aliarum virtutum non solum,

non excludens, ſed ſovens, valorem & pretioſitatem eisdem conſerens. Igitur.



ARTICULUS I.

Natura Charitatis Theologicæ explicatur.

Antequam charitatis Theologicæ natura explanetur varia hujus nominis *Charitas* acceptio præ oculis habenda eſt. Charitas idem eſt ac amor. Porro amor generatim ſumptus, eſt motus voluntatis in bonum. Triplex amor diſtingui ſolet. *Concupiſcentiæ*, *benevolentiæ*, *amicitiæ*. Nam 1. nobis bonum quodam congruum optamus. 2. bonum proximo facimus, aut desideramus. 3. mutuo amamur.

Iſtius amoris amicitiæ tres veluti ſpecies aſſignat Angelicus hic q. 23. art. 5. nempe *utilis*, *delectabilis* & *honeſti*. Amicitia utilis illorum eſt, qui ob utilitatem ſeſe diligunt. Altera eorum, qui ob voluptatem, quam ex amore capiunt, ſe diligunt. Tertia eorum qui amicis bona volunt amicitiæ sive ipſorum amico-

rum

rum causâ. Hæc tertia vera amicitia eſt, duó priores similitudinem & quidem languidam amicitiæ præferunt, quippè non amant aliquem per ſe, ſed ſecùndum quod utilitatem aut commoditatem adfert.

Amicitia porro definiri ſolet: *mutua benevolentia in quadam communicatione conſiſtens.* Conditiones ad veram amicitiam requisitæ ſunt. 1. Ut amor non sit concupiſcentiæ, quô ut dictum, aliquis amatur propter noſtrum commodum, ſed sit amor benevolentiæ, quô alteri bonum volumus. 2. Ut sit mutuus amor, hinc si quis non redamatur ab eo, quem amat, amans non amicus dicitur. Hinc D. Thomas ait: quod DEUS amicus peccatorum dicitur, quatenus amans, ſecus ut amatus. 3. Ut amor iſte ſuper aliqua honeſta bonorum communicatione fundetur, quia amicis omnia ſunt communia. Sub his conditionibus continetur, quod mutuus amor non lateat, quod sit animorum unitas, ſecretorumq; communicatio, & quod alter alterius voluntatem faciat.

Amor benevolentiæ erga DEUM,

alius actualis, alius habitualis. Item alius naturalis, quô Deus ut author naturæ diligitur; alius supernaturalis, quô ut gratiæ & gloriæ author amatur. Deniq; amor Dei alius est affectivus, qui animam afficit, & in corde dulciter fervet, alius effectivus, qui foras erumpit & bona operatur. Hic etiam efficax appellari solet, ut distinguatur ab amore inefficaci, qui languidum desiderium & velleitas simplex nuncupari solet. Alius remissus, alius intensus; deniq; alius est appretiativus, qui præfert DEUM omnibus creaturis; alius intensivus, qui non solum DEUM super omnia amat, verum etiam quandam sensibilem teneritudinem, fervoremq; inducit in animam.

Tandem ante oculos habendum, tria hæc, amorem, dilectionem & charitatem ita distingui, ut amor latius pateat, quam dilectio, & dilectio quam charitas. Amor quippe tam in bono, quam in malo sensu accipitur. *Erunt homines seipsos amantes* 2. ad Timot: 3. utiq; malo amore. Idem de dilectione: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* Psal: 10.

At

At amor non ſolum rationalis, ſed etiam ſenſibilis appetitûs partus eſſe poteſt; dilectio verò ſolius rationalis. Charitas ſolum in bono ſenſu accipitur à Theologis, reſidetq; in appetitu rationali. Hinc.

Definitio charitatis Theologicæ pro habitu acceptæ hæc eſt: *Virtus Divinitus infuſa, quâ DEUS propter ſe & proximus propter DEUM diligitur.* Primæ voces indicant charitatem ſupernaturalem eſſe. Additur *quâ Deus propter ſe diligitur,* Charitas enim Deum amat, ut Deus eſt, Deus autem ut Deus propter ſe, & a ſe eſt, ac ſuper omnia alia à ſe amabilis. Diligit ergo charitas Deum propter ſe & ſuper omnia. Per particulam *propter ſe*, differt charitas à ſpe; ſpes ènim diligit Deum ſuper omnia, ſed in Deo non ſiſtit, ſed Deum ſibi propitium, largitorem & clementem deſiderat. Additur *proximus propter Deum*, in hac particula *proximus* primo nos, deinde omnes creaturæ rationales capaces æternæ gloriæ intelliguntur. Ex his facile colligitur, circa quod tanquam objectum charitas verſetur. Primarium enim

enim DEUS eſt; Secundarium proximus propter DEUM diligendus. Hinc ait S. Aug: lib: 1. de doct: Chriſtiana cap: 23. *Cum quatuor ſint diligenda, unum quod ſupra nos eſt, alterum quod nos ſumus, tertium quod juxta nos eſt, quartum quod infra nos eſt; de ſecundo & quarto nulla præcepta danda erant.* Objectum quod ſupra nos eſt, DEUS eſt ſolus. Quod nos ſumus, eſt perſona noſtra animâ & corpore conflata, de hoc non erat dandum præceptum, *quia nemo unquam carnem ſuam odio habuit* Epheſ. 5. Subdit Aug: ibidem cap: 24. *Modus ergo præcipiendus eſt homini, id eſt, quomodo ſe diligat, ut proſit ſibi.* Quod juxta nos eſt, eſt omnis rationalis creatura æternæ beatitudinis capax, etiam Angelus, etiam homo, iſq; infidelis. Quod infra nos eſt, ſunt res omnes naturâ & ſtatû inferiores, de quo quoq; præceptum dandum non erat, quia creaturæ irrationales capaces non ſunt beatitudinis. Poſſunt tamen aliquo modô diligi, quatenus in DEI gloriam referuntur.

Hic tamen nota. Amor quô quis ſeipſum diligit, charitatis quidem eſt, ſed non amicitiæ, quæ niſi inter duos haberi

beri poteſt, at benevolentiæ. Quemadmodum nec creaturæ irrationales, nec Dæmones amore amicitiæ amari poſſunt, ſed amore charitatis ſeu benevolentiæ, quatenus illarum rerum conſervationem ad Dei gloriam permanere avemus, ait S. Thomas hic q. 25. art. 11.

Motivum autem ſive objectum formale charitatis eſſe Divinam bonitatem per ſe amabilem ex dictis ſequitur. Hac ſiquidem ratione charitas à duabus aliis virtutibus Theologicis diſtinguitur, quibus perfectior eſt, quidquid dicant Lutherani, qui cum nos juſtificari per fidem dicant, volunt eam ſaltem in eſſe moris aliis virtutibus præcellere. At obſtat illis illud Apoſtoli 1. Corinth: 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.*



ARTICULUS II.

De dotibus Theologicæ charitatis.

Cum charitas, ut dictum, omnium aliarum virtutum vinculum meta & compendium ſit, ſicut ergo cæteris præeminet, ita præ cæteris nobilioribus gaudet dotibus prærogativiſq; Igitur.

Pri-

Prima charitatis Theologicæ dos est. amicitia DEUM inter & homines, quippe charitas *infinitus thesaurus est hominibus, quô qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI.* Sap: 11. Hinc David Psalm: 138. nimis honoratos dicit amicos DEI. Ipse Christus Joan: 13. protestatur. *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Si vis*, ait S. Hier: in cap: 7. Michææ, *verâ amicitiâ delectari, esto amicus DEI, sicut Moyses, qui loquebatur DEO, sicut amicus ad amicum, esto amicus ut Apostoli, ad quos Salvator ait, jam non dicam vos servos sed amicos.* At

Dices. Scelesti quandoq; à DEO amici appellantur uti Matt: 26. Christus proditorem appellavit: *Amice ad quid venisti:*

Resp: Hæc non officiunt, sed prosunt. Licet enim homines perversi non sint amici ut amantes, sunt tamen amici ut amati, quatenus DEUS benevolentiam suam erga impios ostendit, significatq; se illos, non ut impios & rebelles, sed ut redemptionis pignora diligére.

Prærogativæ amicitiæ sunt mutua benevolentia, bonorum communicatio. His verò mirum in modum charitas fulget.

get. Deum nos amamus ipsius pellecti bonitate, de ejusdem gaudemus perfectionibus, illi gloriam honorem &c. optamus, cor, animam, omniaq; nostra in sacrificium illi litamus. Vicissim ille infinito nos prosequitur amore: *Ego diligentes me diligo* Prov: 8. *Qui diliget me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Joan: 14. Sua verò infinita bona non tam communicat, quam effundit & prodigit, si ita loqui fas est. Gratiam nobis confert, quâ suæ nos efficit naturæ consortes. Charitatem infundit, quæ valorem æterni præmii operibus nostris instillat, nosq; ineffabilis gloriæ, quâ ipse vivit & gaudet participes reddit. Et quasi hæc parva forent, clamat: *Deliciæ meae esse cum filiis hominum*, sed nedum cum istis esse cupit, verum etiam mansionem se apud eos facturum promittit, *ad eum* ait, *veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et ne quid deesset, Deus humanam naturam unione hypostaticâ sibi copulavit, & ad Divinitatis fastigium evexit; & ut quandam æqualitatem nos inter & seipsum constitueret, suam ad nos Majestatem inclinavit, nostramq; vili-

vilitatem ad ſuæ naturæ participationem exaltavit.

Secunda dos & prærogativa charitatis eſt, ut ſit animæ vita, ſicut corporis vita anima eſt. *Sicut anima est vita corporis, ſic animae vita est DEUS, ſicut exſpirat corpus, cum animam emittit, ita exſpirat anima, cum DEUM amittit. DEUS amiſsus mors animae, anima amiſsa mors corporis* ait S. Aug: Serm: 5. de verbis Dom: Amor caducorum vita cordis non eſt, quia caducus eſt. Solus amor vitæ æternæ felicitas & vita cordis eſt.

Tertia prærogativa, quod ſit donum à Deo infuſum, nullis noſtris antecedentibus meritis, nullaq; noſtra naturali capacitate ſpectata. Quoniam ut ait S. *Thomas* Charitas amicitia cum Deo eſt, ſuper æternæ beatitudinis communicationem fundata, hæc autem communicatio gratuita eſt, proinde & charitas, quæ infunditur cordibus noſtris per Spiritum S. qui datur nobis.

Quarta prærogativa eſt valor, quem cæteris operibus tribuit. Habent utiq; cæteræ virtutes ex proprio objecto ſuam honeſtatem, & bonitatem, verum ut

vitæ

vitæ æternæ coronâ dignæ ſunt, ſigillo charitatis obſignatas eſſe oportet.



ARTICULUS III.

De proprietatibus Charitatis.

In variis quæſtionibus de his momentis diſcurrit S. *Thomas*, Nos brevitati ſtudentes, quoniam alia jam præc. articulo præocupata ſunt, hic agemus de augmento, diminutione & amiſſione charitatis. Suppono habitum charitatis non acquiri noſtris actibus, ſed à Deo infundi, ut jam art: præc: dictum, eſt enim ſupernaturalis. Attamen cum ex actibus charitatis infuſæ generetur aliquis habitus dilectionis, ut docet Angelicus q. 17. de Verit: a. 1. ad 4. Dicendum hunc habitum ex actibus charitatis generatum, non eſſe charitatem, quâ ſumus Dei amici & Filii adoptivi, ſed habitum diverſæ ſpeciei, ex actibus præſatis ortum, ideoq; acquiſitum, aliquô modò ſupernaturalem, nempe ex actibus ſupernaturalibus ortum.

§. I.

§ I.

De augmento charitatis.

Dico 1. Charitas viæ poteſt augeri ſine termino. Sic Conc: Vienn: contra Begardos & Beguinas, qui hæretici dicebant, hominem poſſe quemdam charitatis terminum attingere, ultra quem progredi non poſſit. At contra illos pugnant manifeſta ſcripturarum teſtimonia, jam illud Prov: 4. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſq; ad perfectum diem.* Jam Apoc. ult. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc* Epheſ. *In charitate creſcamus.* Ad Philip: 1. *Oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet*, atqui hæc falſa forent ſi charitas terminum præfixum haberet in via, quomodo enim charitas magis ac magis abundare poſſet, in termino fixo exiſtens. Hinc meritò dixit S. Aug: Tract: 5. in Epiſt: Joan: *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Et Conc: Trid: Seſs. 6. cap: 10. *Hoc juſtitiæ incrementum petit Eccleſia cum orat: da nobis fidei ſpei & charitatis augmentum.*

Dico 2. Charitas non augetur extenſive, ſed intenſive tantùm. Quia etiam

mini-

minima charitas extendit se ad omnia, quæ sunt ex charitate diligenda.

Dico 3. Charitas non augetur intensive per additionem charitatis ad charitatem, hoc enim esset charitatem multiplicari, non augeri, sed per majorem radicationem in subjecto, sive majorem inhæsionem.

Petes. Utrum charitas in hac vita possit esse perfecta?

Resp. Affirm. quod sic probat S. Thomas q. 24. a. 8. *Quod quidem*, ait, *contingit tripliciter uno modô sic, quod totum cor hominis, actualiter semper feratur in DEUM, & hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actû cogitare de DEO & moveri dilectione ad ipsum. Alio modô ut homo studium suum deputet ad vacandum DEO & rebus Divinis, prætermissis aliis, nisi quantùm necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista perfectio charitatis possibilis, quæ est in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ita, quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quod nihil cogitet vel velit, quod Di-*

vinæ

vinæ dilectioni in contrarium ſit, & hæc perfectio eſt communis omnibus charitatem habentibus. Hæc omnia intellige de perfectione ex parte diligentis, nam cum Deus infinito amore diligibilis ſit, quæ creâtura hunc gradum attingere poterit, ut perfectè omnino diligatur.

Ibidem art: 9. diſtinguit triplicem charitatis gradum, nempe incipientium, proficientium & perfectorum. *Nam 1. quidem* ait, *incumbit ſtudium homini principale ad recedendum à peccato, & reſiſtendum concupiſcentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas eſt nutrienda vel fovenda ne corrumpatur. 2. Studium ſuccedit, ut homo principaliter tendat ad hoc quod in bono proficiat. Et hoc ſtudium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. 3. Autem ſtudium, ut homo principaliter ad hoc intendat, ut DEO inhæreat, & eô fruatur, & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolvi & eſſe cum Chriſto.*

§. II.

§ II.

De deminutione & amissione charitatis.

Dico 1. Charitas habitualis non potest diminui directe. Quia nulla potest assignari hujus directæ diminutionis causa. Sed tantum indirectè, in quantum per peccata venialia minuitur ejus fervor, id est impeditur per peccata venialia ejus applicatio ad ordinandum in finem ultimum materiam, circa quam peccata venialia versantur. Tandem quia peccata venialia disponunt ad mortale, quô charitas destruitur.

Dico 2. Charitas potest amitti. Contra Pseudo-Mysticos in Conc: Vienn: & Calvinum in Trid: damnatum Sess. 6. can: 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neq; gratiam amittere atq; adeo eum, qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum . . . anathema sit.* Id manifeste habetur Ezech. 18. *Cum averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem morietur in eis.* Sed de hoc mox plura in art: sequ.

ARTICULUS IV.

Utrum in hac vita detur status amoris puri?

Nomine amoris puri intelligitur amor, quô Deus mere diligitur propter se, seclusâ relatione, & ad timorem pænæ, & ad præmium æternæ beatitudinis assequendum. Hujusmodi dari amorem transitorium ultro fatentur Theologi, sed habitualem per modum statûs ita, ut tota vita interior in eo sita sit, admittere nefas est, hæc enim est sententia *Quietistarum*, quam renovare labente prætèrito immediatè sæculo, conatus est *Michaël Molinos*.

§. I.

Synopsis historica recentiorum Quietistarum.

Michaël de Molinos natione Hispanus, in Arragonia natus, maximus hypocrita sub specioso devotionis obtentu multorum sibi conciliavit animos. Sic Divinarum humanarumq;. contemptor nefandam disseminavit doctrinam ad suscitanda insulsa & phanatica *Gnosticorum*, *Carpocratianorum*, *Enthusiastarum* somnia, dudum ab Ecclesia repressa & proscri-

pta,

pta, ad renovandos impios ſimul & turpes *Beguardorum* ac *Beguinarum* atq; *Dulcinistarum* errores, & ad confixam & ſepultam ab inferis revocandam *Illuminatorum* Sectam. Hic, teſte *Joanne Pacichelli*, tum vivente, viginti & duobus annis, quibus Romæ degebat ſtabiliendæ Quietiſtarum hæreſi, quam ipſe commentus eſt, ſedulam navavit operam. Propriam annihilationem, qua media Deo uniri poſſit anima & quieſcere minime ſolicita de his, quæ corpori obveniunt ſummopere inculcabat. Hinc inferebat, nullum animæ actum præmiô vel pænâ dignum eſſe, quod annihilatis animæ potentiis nulla eſſet cooperatio.

Ajebat hos ſolos cenſendos eſſe perfectos in vita ſpirituali & vere Myſticos qui per unum actum ſolummodo non revocatum, Deo ſemel oblati, & totaliter uniti, reſignati atq; relicti, reliquos omnes, ut ſuperfluos ſuſpendunt actus, & velut exanimes permanendo, nihil operando, neq; petendo, nec de beneficiis Deo gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, ſed ſilendo

& mere passive se habendo, in absoluta permanent indifferentia de omnibus, etiam de pæna, vel de præmio, de cœlo vel inferno, salute vel damnatione. Hinc nefanda flagitia, quæ peccata esse negabat, suam traxêre originem. Et hic est status ille habitualis, & immobilis, ad quem cum semel Viri spirituales pervenissent, ajebat, peccare amplius non poterant, nec mandatis aliquibus ligari &c. dictitabat.

Sexaginta & octo propositiones ex ejusdem *Molinos* scriptis collectas damnavit Innocentius XI. ejusdem jussû opera flammis addicta fuêre. Ipse verò captus, cum annô 1687. in Templo Minervitano palinodiam suorum errorum cecinisset, ad perpetuos carceres, damnatus obiit Romæ 1692. Fertur illum pænitentiam serio egisse annum ætatis 60. agentem.

Innocentius XII. annô 1699. 23. propositiones damnavit, quarum plures ad præsentem controversiam pertinent, sufficit unam commemorare quæ sic habet: *Datur status habitualis amoris DEI, qui est charitas pura, & sine admixtione motivi proprii interesse. Neq; timor pænarum, neq;*

desi-

desiderium remunerationis habent amplius in eo partem. Non amatur amplius DEUS propter meritum, neq; perfectionem neq; propter felicitatem in eo amando inveniendam.

§. II.

Resolvitur quæstio.

Duo sunt propositionum, de quibus modo dictum, erronea principia, ita conjuncta, ut unum alterum consequatur. Primum est, cui falsa & commentitia Divini amoris idea superstruitur. Contendebant siquidem damnatarum propositionum authores, desiderium felicitatis nostræ, ac æternæ mercedis exspectationem puritati & perfectioni Divini amoris officere. Eam puritatem huic amori (quem proinde non interessatum appellabant) ita propriam asserebant, ut quemcunq; respectum ad nostram felicitatem excluderent. Hinc inferebant (quod est alterum principium) statum illum animæ indifferentis ad æterna supplicia, tum ad felicitatem beatam. Quæ duo principia ordinem Divinæ providentiæ pervertunt, animum truncum efficiunt, ac insensibilem

ſtatuam, de medio induſtriam, vigilantiam, bona opera, merita hominis, deniq; gratiam & naturam tollunt. Ergo.

Dico. Non datur in hac vita ſtatus habitualis puri amoris.

Prob: Ille ſtatus non datur qui repugnat oraculis ſacræ Scripturæ, ſenſui communi SS. Patrum, Conciliis Eccleſiæ ac decretis eorundem, quiq; jam eſt olim damnatus, rectæq; rationi eſt contrarius atqui ſtatus habitualis amoris puri repugnat 1. Oraculis Scripturæ, 2. communi ſenſui SS. Patrum, 3. Conciliis ac decretis Eccleſiæ. 4. Jam olim eſt damnatus, 5. rectæ rationi contrarius. Ergo.

Prob: min: quo ad 1. p: Deus ipſe 1. Math: 6. jubet & præcipit: *Quærite primum Regnum DEI*, quod nempe amore quæritur, amore invenitur, amore poſſidetur, atqui ſi amor iſte imperfectionis cujuſdam labe aſperſus foret, certò primum illud ſalvator noſter quærere non præciperet. 2. Deus vix unquam ſui amorem nobis præcipit & noſtræ felicitatis non recordetur, primum & maximum mandatum promulgat: *Diligas Domi-*

Dominum Deum tuum Math: 22. non Deum absolute diligere juberis, sed Deum tuum, si tuum ergo illum possidendi spem te habere oportet. Si Deus ipse nostrum se constituit, si est regnum nostrum, corona nostra, merces nostra, felicitas & gaudium nostrum, quomodo erit imperfectus amor noster, si Deum possidere desiderat? 3. Christus cum nos Deum petendi normam edocuit, commonefecit quotidie petere Regnum Dei: *adveniat Regnum tuum*, atqui hæc precandi forma non solis imperfectis in schola Christi, sed etiam summis ut vg. Apostolis præscripta; qui anhelantes ad illam beatitudinem dicebant, cum Propheta Psal: 72. *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* Item Psal: 26. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* Psal: 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Psal: 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem. Haec est charitas ejus, ut mandata ejus custodiamus.* 1. Joan: 5. Apostolus, qui continuo anhelabat ad Christum dicens;

cupio

cupio dissolvi & esse cum Christo, nos monet ut tanquam peregrinos nos existimemus, qui *non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Hebr. 13.

Prob: minor quo ad 2 p. Status præfatus repugnat sensui communi Patrum: una vox Patrum est, salutis nostræ præcipuas partes esse, desiderare Deum, ipsumq; summo affectû spei & amoris expetere. Sic *Clemens* Alex: lib: 11. Stromatum ait: *Unum oportere expetere, per quem facta sunt omnia, & qui iis, qui digni sunt, promissa tribuit.* Greg: Nyssenus Epist. 57. *Præ omnibus rebus Deum optemus, solum, inquam, perenne illud bonum & nostrum.* S. Aug: Tract: 40. in Joan: exclamans exoptat: *O! si cor esset qualitercunq; suspirans in illam ineffabilem gloriam!* Similia alii habent.

Prob: 3. *p.* Concil: Carthag: annô 418. can 8. inter Canones Concilii Milevit. definit: *Placuit, ut quæcunq; verba ipsa Dominicæ orationis, ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra; ita volunt a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur; anathemà sit.* Hunc pariter statum condemnavit Concilium

Vienn:

Vienn: in Beguardis. Hinc Concilium Trid: sess: 6. cap: 11. insigne hujus reì dat documentum, cum cap: 16. hæc habet: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem, atq; ideo bene operantibus usq; in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum fideliter promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* En quam è diametro hæc sint opposita systemati *Molinosii*, qui propugnat hominem instatu puri amoris constitutum non debere se reflectere ad suos defectus nec precari *dimitte nobis* nec curare virtutes, adeoq; neq; exercitium laboriosum mandatorum, multô minus se in mortificatione exercere, & nusquam præmii motivô agendum esse Hinc probata manet 4. pars.

Prob: 5. *pars.* Status præfatus rectæ rationi est contrarius, ut patet inspicienti propositiones *Molinosii* damnatas. Nam renovando in cinere sepultos errores Gnosticorum, inducunt in Epicureismum, siquidem fornicatio & alia

ob-

obſcena & horrenda in illis continentur, quæ tamen infelicis ſyſtematis Author peccata non eſſe definit.

Restat hic aliquas ſaltem propoſitiones Molinoſii afferre ad judicium comparativum cum S. Scripturæ textibus, ut ad oculum pateat ſyſtema impium eſſe, ac nedum rationi verum veritatibus fidei contrarium, ex qua comparatione hucuſq; dicta confirmabuntur. Ergo.

Propoſitio 1. Molinoſii: *Annihilandæ, & prorſus deſtruendæ ſunt potentiæ animæ, & hoc eſt vita interior.* Hæc aſſertio opponitur textui imò Evangelico Math: 25. ubi ſervus otioſus & inutilis in tenebras exteriores conjici jubetur, eò quod ſciens voluntatem Domini, negotiari noluerit, ſed in terram pecuniam Domini ſibi concreditam abſconderit. 2dò, vitæ Chriſti, qui ſemper perſeveravit in amando, gratias agendo &c.

Propoſitio 2. Velle active operari eſt offendere Deum, qui ſe ſolô vult cuncta operari. Hoc præterquam opponitur Apoſtolo ad Philip: 2. ubi jubet, ut *cum*

metu

metu & tremore nostram salutem operemur, aliisq; Evangelicis & Apostolicis sententiis, insuper proscriptum est a Trid: sess: 6. cap: 11. tum can: 8. ubi proscribuntur Lutherani contendentes liberum hominis arbitrium mere passive se habere, & à Concilio Arausicano can: 9. *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atq; nobiscum ut operemur, operatur*

Prop: 3. *Vota emissa ad aliquid faciendum sunt perfectionis impedimenta*. Hæc Molinosiana assertio pugnat cum Psalmo 70. *Vovete & reddite Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*. Pugnat etiam cum Consiliis Evangelicis & operibus supererogatoriis in scriptura comendatis; nam ut ait S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 4. 5. & 6. Actio ex voto facta nobilior & eminentior quâcunq; alterâ, eò quod per votum anima non solum fructus, scilicet opera bona, sed & arborem hoc est seipsam in odorem suavitatis Deo offerat, & consecret.

Prop: 4. *Activitas naturalis est inimica gratiæ, & sicut Dei operationem sic & ve-*

ram

ram perfectionem præpedit, quâ Deus vult solus sine nobis agere. Eſt contra clariſſima Scripturæ loca, in quibus jubemur operari, mandata Dei cuſtodire, in præceptis ejus ambulare, qui dicit: ſine me nihil poteſtis facere, quod & Paulus 1. Corinth: 15. manifeſte teſtatur: *Non ego autem ſed gratia Dei mecum.*

Prop: 5. *Vita interior ea est, in qua nec lumen, nec amor, nec reſignatio dignoſcitur, neq; verò neceſſe eſt Deum cognoſcere.* Pugnat cum Oratione Dominica Math: *6.* tradita.

Prop: 6. *Anima non debet cogitare aut de præmio aut de ſupplicio.* Cur ergo Propheta Pſal: 118. orat: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui?* Cur ipſa veritas Joan: 17. dicit: *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant, te ſolum Deum verum* &c. Cur Apoſt: ad Colos: 3. monet: ut *quaeramus quae ſurſum ſunt?* Cur S. Aug: orat: *Domine da quod jubes, & jube quod vis - - - ut veniamus ad te, fac nos beatos de te?* Hinc idem S. D. Tract: 4. in Epiſt: 1. Joannis ait: *Tota vita Chriſtiani, boni de-*

desiderium est. Quod autem desideras nondum vides, sed desiderando capax efficeris, ut cum venerit, quod videas, implearis.

Prop: 7. *Anima non debet recordari sui, Dei, & cujuscunq; rei, & in vita interiori omnis reflexio nocet.* Est contra illud ad Theff: 5. *Ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum ipso vivamus*, & illud Gen: 17. *Ambula coram me & esto perfectus*, & alia. Insuper hæc sicut & 6. assertio ex consequenti docet: Abraham credentium Patrem, Moysem mitissimum, Davidem, Virum secundum cor Dei, extra statum vitæ interioris & spiritualis perfectionis fuisse, nec suæ gratiæ fideliter respondisse, quia in *Deum remuneratorem aspiciebant*, quia ejus mandata implebant *propter retributionem*. Alias Molinosii propositiones, vide apud *Natalem* Hist: sæc: XIII. & XIV. Diss: 15. ubi eas refellit.

§ III.

Objectiones solvuntur.

Objic: 1. Praxis docet. Viros verè spirituales & perfectos nihil desiderare, nihil petere à Deo nisi ut vo-

voluntas ejus fiat, respectû verò cæterorum omnium bonorum penitus indifferentes esse, etiam respectû beatitudinis æternæ, ergo illis in statu amoris puri & intimæ rationis unione standum est.

Resp: 1. nego ant. Oratio enim Dominica, quam Math: 6. Christus Discipulis aliisq; perfectis tradidit, plures alias petitiones complectitur. Spirituales quidem viri (est 2. Resp:) & perfecti, seu ad perfectionem omni studiô contendentes bona temporalia non desiderant, non petunt à Deo, nec mala temporalia deprecantur, nisi sub conditione beneplaciti ejus, & quatenus ad salutem suam, vel suorum aliquatenus utilia esse possunt; indifferenter respectu hujus vitæ mortalis omnium eventuum desideria sua ac petitiones dirigunt, ac moderantur secundum sacratissimam illam regulam, quam Christus orans nobis tradidit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Spiritualia verò & æterna bona, ut Dei gratiam, virtutes beatitudinem æternam absolutè desiderant, ac petunt à

Deo,

Deo, quantumvis nescio, ad quem perfectionis gradum sunt evecti, & orant cum Ecclesia: *Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum, & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Ipsis persuasum est, sed secundùm sermonem Domini, nostram in hac vita beatitudinem esse, desiderium vehemens & efficax justitiæ. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Math: 5.

Sanctos indifferentes fuisse respectû beatitudinis æternæ illiusq; desiderium & petitionem perfectioni repugnare, non modò figmentum est, sed error verbo Divino contrarius, ut jam dictum. An hæc indifferentia stare potest cum illo Dividis Psal: 26. *Unam petii à Domino hanc requiram* &c. - - - *Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram* - - - *Credo videre bona Domini* - - - *Exspecta Dominum viriliter age.* Hanc indifferentiam respectû cælestis & æternæ beatitudinis damnat Christus apud Lucam. *Verumtamen, ait, quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus* - - - *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.*

Hinc

Hinc ait S. Aug: Epist: ad Probum. *Propter adipiscendam vitam, ipsa vera vita* (Christus) *nos orare docuit. Vult exerceri in orationibus desiderium nostrum, quô possimus capere, quod præparat dare.*

Dices: Desiderium mercedis statui perfectionis & amoris puri repugnat, siquidem purus amor Deum diligit propter bonitatem ejus infinitam, ergo.

Resp: Statui perfectionis & amoris puri repugnare desiderium mercedis temporalis, & à Deo distinctæ, *quod bene notandum*, non desiderium mercedis æternæ perficientis & beatificantis, quæ Deus est. Amorem castum sive purum, solum desiderium, ex intuitu mercedis temporalis, non mercedis æternæ, quæ Deus est, excludere, jam dicta probant, atq; docet idem S. Aug: Serm: 19. de verbis Apost: sive 179. *Amor castus in te esse debet, quô amore desideres videre non cœlum & terram - - - non fulgores nitoresq; gemmarum, sed desidera videre DEUM tuum, amare DEUM tuum, quia dictum est: Dilectissimi, filii DEI sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quia cum apparue-*

rit.

rit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Ecce propter quam viſionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum, S. Aug: ſequitur fidelis Diſcipulus S. Thomas in 3. lib: Sent: diſt: 26. q. 11. a. 1. ad 5. *facere aliquid propter aliquod commodum temporale facit actum mercenarium, non autem facere propter remunerationem æternam.* Item Diſt: 29. q. 1. a. 4. 1. 2. q. 114. a. 4. 2. 2. q. 23. a. 1. & q. 26. a. 13.

Inſtabis: S. Bernardus negat purum eſſe amorem filii, qui de hæreditate cogitat, ſive qui Patrem amat propter hæreditatem. Sic enim Serm: 83. in Cantica ait: *Amant filii, ſed de hæreditate cogitant, ſuſpectus eſt mihi amor, cui aliud quid adipiſci ſpes ſuffragari videtur --- Purus amor mercenarius non eſt.*

Reſp: S. Bernardum loqui in hypotheſi, quod hæreditas ſit aliud à viſione & amore Patris, qualis eſt temporalis & terrena, non ex hypotheſi, quod hæreditas ſit viſio & amor Patris, qualis eſt cæleſtis & æterna. *Dominus pars hæreditatis meæ* ait David Pſal: 15. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te*

Deum solum verum Joan: 17. Ipse S. Bern: se explicat Serm: 8. de diversis: *Nunquid enim mercenarium eum, quis æstimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamq; toto affectû appetit & exspectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii Propheta testatur.* Cum dederit, *inquit*, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris.

Replicabis: Deum castè non diligit, qui propter se diligit, non propter ipsum, ait S. Bern: & hic talis non potest obedire Prophetæ, qui ait: *Confitemini Domino quoniam bonus.* Confitetur quidem, quia fortasse *bonus est sibi, non autem quoniam bonus est in se.* Quamobrem noverit illud in se dirigi ab eodem Propheta opprobrium: *Confitebimur tibi, cum benefeceris ei. Est qui confitetur Domino, quoniam potens est, & est qui confitetur, quoniam sibi bonus est, & item, qui confitetur quoniam simpliciter bonus. Primus Servus est, & timet sibi, secundus mercenarius & cupit sibi, tertius filius, & defert Patri. Itaq; & qui timet, & qui cupit, uterq; pro se agunt, sola quæ in filio est charitas, non quærit quæ*

ſua ſunt: ergo intuitus proprii commodi & mercedis cum amore caſto & puro cohærere non poteſt.

Reſp: Intuitum mercedis temporalis & à Deo diſtinctæ non cohærere quidem cum amore caſto & puro, ſed intuitum & deſiderium mercedis æternæ, quæ Deus eſt cum amore caſto optimè cohærere, & ab illo proficiſci. Deum enim ideo ſpectat & deſiderat ut bonum ſuum, quia ſummum bonum eſt, & finis ultimus omnis creaturæ intellectualis, & hoc nomine expetendus. Cæterum ille ſolus convincitur non caſtè diligere, *qui magis aut certè ſolum diligit* bonum quatenus *ſuum* & illud ad ſe reffert, non ſe ad illud, eoq; vult uti, non frui. Qui autem Deum diligit & cupit, ut finem ultimum, ut ſuum & omnis creaturæ intellectualis beatificum bonum, eoq; vult frui, id eſt, *ei amore inhærere propter ipſum* ut loquitur S. Aug: ſeipſum ad Deum refert, non Deum ad ſe, neq; diligit magis, quatenus bonum ſuum eſt, quàm quatenus ſimpliciter bonus eſt, Quare non eſt *amor privatus* de quo Bern:

ait: quippe *qui mutat interdum vultum vel actum, affectum nunquam.* Filius igitur cupiens hæreditatem Patris, Deum ut summum suum & omnis creaturæ intellectualis bonum desiderans, ut eum sine fine diligat, eoq; fruatur, mercenarius non est, neq; desiderium illud est cupiditatis, sed charitatis. Et qui flagrat hoc desideriô, illi non convenit S. Bernardi sententia: *Facit & mercenarius opus DEI, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate cognoscitur.*

Castus certè & purus amor est, quô Deus colitur & amatur propter mercedem, quæ est ipse, quâ Deus amatur ut beatitudo nostra, castum etiam desiderium quo desideratur ut objectum Theologicæ spei, adeoq; ut nobis bonus. Unde S. Aug: in Psal: 55. *Nos ergo DEUM amemus Fratres purè & caste. Non est castum cor, si DEUM ad mercedem colit. Quid ergo? Mercedem de DEI cultu non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum DEUM, quem colimus, ipse nobis merces erit.*

Insistes. Cassianus Collat. 11. c. 1. mercenariam spei cupiditatem definit: *in qua tam bonitas largientis, quam præmium*

um

um retributionis expetitur, ergo profectus non desiderat præmium retributionis.

Resp: Perfectos non desiderare magis præmium retributionis, quam bonitatem largientis, quod perversum esset, sed præmium retributionis desiderant, quod est ipsa bonitas largientis; hoc enim Christianæ spei castum desiderium est, non mercenaria spei cupiditas. Hoc desiderio æstuans precatur homo Christianus: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum.* Cum Christianæ professionis finis sit regnum cœlorum, tantum abest, ut illius desiderium sit imperfectorum, alias David vir secundùm cor Dei horum numero veniret, qui Psal: 41. & alibi Deum desiderat, nimiaq; siti ad eum fertur.

Urgebis. Desiderium beatitudinis quatenus bonum nostrum nunquam est sine proprii amoris admixtione qui Dei æmulationem provocat, ergo non est sine cupiditate, igitur cum amore puro cohærere non potest.

Resp: Falsa niti suppositione primam propositionem. Amor enim proprius,

qui DEI æmulationem provocat, ille est, cujus impulsû beatitudinem nostram extra DEUM quærimus. Sed beatitudinem nostram in solo DEO quærere & desiderare casti amoris, & ordinatæ charitatis actus est. DEUM gratis, & purè castèq diligit, qui illum colit propter æterna bona, ut passim inculcat S. August: *Exigitur ergo a te,* (*ait*) *ut & tu eum gratis colas, non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna.* In Psalm: 43. Ita colere DEUM perfectorum est. Unde ad Abraham ait DEUS Genes: 15. & 17. *Ego merces tua magna nimis.* - - - - *Ambula coram me & esto perfectus.* Si DEI ut boni nostri & beatitudinis nostræ desiderium, cupiditatem vocare placeat, non admodum contendam de verbo; sed cupiditatem dicam ordinatam, cupiditatem perfectæ charitati non repugnantem, sicut nec ei repugnat timor castus. *Nunquam erit charitas sine timore, sed casto, nunquam sine cupiditate, sed ordinata.* S. Bernard: Tract: de dilig: DEO c: 14.

Fatendum tamen est, si regnum cælorum carnaliter cogitetur velut aliud

quid

quid a Deo, quô felices æternum ſimus, ſic regnum cælorum non deſiderari ſine amoris proprii aliqua labe, neq; hujuſmodi deſiderium ad amorem caſtum & purum, ſed ad ſpem mercenariam pertinere. Hinc S. Aug: in Pſalm: 43. ait: *Ipſa æterna, vide, ne aliter cogites, & cogitando æterna carnaliter, nihilominus DEUM gratis non colas. Quid enim? Si ideo colis DEUM, quia dat tibi fundum; nonne eum culturus es, quia tollit tibi fundum? Sed forte tu dicis: Ideo eum colo, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam mentem geris; amore enim caſto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro ſaeculo, quae hic neceſſe eſt, ut relinquas, mutare vis voluptatem carnalem non amputare.*

Dices. Majoris perfectionis eſt citra ſpem mercedis Deo ſervire, ergo animæ quæ ad vitæ ſpiritualis & puri amoris ſtatum pervenerunt, beatitudinem non deſiderant, neq; a Deo petunt, ſed in ſancta indifferentia ſunt conſtitutæ, & in Dei voluntate placidiſſimè conquieſcunt, non ut Jſräélitæ, ſed ut Chriſti diſcipuli.

Reſp:

Resp: Imperfectionis esse Deo servire spe mercedis temporalis, sicut illi carnales Israelitæ serviebant; perfectioni tamen non repugnare intuitum mercedis æternæ, quæ Deus est, Deiq; amor & perpetua fruitio: nec maioris esse perfectionis citra spem huiusmodi mercedis Deo servire; alioquin spei Christianæ exinanitio ad statum perfectionis pertineret vel necessaria esset, quod vel cogitare & absurdum & impium; pertinaciter verò defendere hæreticum est: *Bonum, quod propriè & principaliter sperare debemus* (inquit Angelicus) *est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti DEI adiuvantis. Nam infinitae virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vitae aeternae - - - - Non enim minus aliquid ab eo sperandum est, quam sit ipse, cum non sit maior ejus bonitas, perquam bona creaturae communicat, quam ejus essentia. Et ideo proprium & principale objectum spei est beatitudo æterna.* Hic q. 17. a. 2. Nemo sane Catholicus consideratè dixerit, imperfectionis esse Deum desiderare, utq; regnum Dei nobis veniat, quod ven-

venturum eſt omnibus Sanctis, quibus dicetur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Nunquid verò deſiderare iſtud Chriſtus non docuit, cum juſſit omnibus fidelibus, etiam ipſis Apoſtolis, ut orarent ſic: *Pater noſter qui es in cœlis - - - Adveniat regnum tuum?* Nunquid Eccleſia in perſona imperfectorum ſolùm canit: *Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari. Salvum fac populum tuum &c?* Si quis id dixerit, dicam illi, quod Pelagiò & Cæleſtio in materia gratiæ Auguſtinus: *Exerce contra Oratores Eccleſiae diſputationes tuas.* Cum itaq; *legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi,* omninò concludendum eſt deſiderium & intuitum æternæ mercedis, quæ Deus eſt, ut videndus in ſe, & amandus ſine fine, amoris perfectioni hac in vita non repugnare, nequè â perfecta contemplatione excludi; imò vitæ contemplativæ ita proprium eſſe, ut ſine ſancto illo deſiderio contemplatio hujus vitæ mera ſit illuſio, ut docet S Gregorius M. Hom. 14. in Ezechielem. Cæterum contemplationis actum in hac vita continuum non eſſe, docet ibidem

S.

S. Gregorius neq; tamen á perfectione vitæ interioris excidere juſtos, qui á contemplatione ad labores & actiones bonorum operum revocantur; imò id aliquando eſſe melius, quidquid dicant Quietiſtæ, indubium eſt.

Dices 2. Animæ, quæ ad ſtatum ſanctæ indifferentiæ pervenerunt, nulla amplius eliciunt deſideria ſalutis æternæ, ergò nihil petentes in DEO requieſcunt. *Prob*: *Ant*: Iſtud eſt diſcrimen inter ſtatum reſignationis juſtorum & ſtatum Sanctæ indifferentiæ, quod in primo deſideria mercenaria ſalutis æternæ DEI voluntati ſubmittuntur; in altero verò nullum ſit penitus mercenarium deſiderium, ſed generale duntaxat deſiderium eorum quæ DEUS vult, quô fit, ut anima ſacrificium ſuæ ſalutis DEO offerat exemplô S. Pauli, qui de ſe ipſo ſcribit. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro Fratribus meis Rom* 9. ergo.

Reſp: 1. Sanctam indifferentiam ad eventus duntaxat hujus vitæ, ad proſpera, & adverſa, vitam et mortem, & ad ſolatia ſenſibilia; nuſquám autem ad

æter-

æternam ſalutem, & media ad illam conducentia pertinere. Ut enim ait S. Bernard: Serm: 80. in Cant: *Eò anima magna eſt, quò capax aeternorum, eò recta, quò appetens ſupernorum.* Hinc.

Reſp: 2. Deſiderium fruitionis Dei mercenarium nemo abſq; errore dixerit. Generale deſiderium omnium, quibus etiam, & reprobationis, & aliorum, & ſuæ & peccati permiſſiva decreta continentur, ſancta indifferentia non admittit. Illud namq; deſiderium cum ſpe Chriſtiana conſiſtere non poteſt. Hinc.

Reſp: 3. Fruſtra novi erroris patroni præſidium quærunt in exemplo, & verbis S. Pauli. *Optabam enim ego &c.* Duobus namq; modis à Patribus hic locus explicatur, quorum neuter deſperato Quietiſtarum figmento favet. *S. Hieronymus* anathematis nomine mortem corporis, & temporalem intelligit, quam Apoſtolus pro ſalute Iſràëlitarum ſubire optaverat, non reprobationem, & damnationem æternam Epiſt: 151. ad Algaſiam q. 9. Hanc explicationem diſcere potuit S. *Hieronymus* á S. Gregorio Nazian: qui ſe ut anathema Deo devo-

devovebat, ad Macedonianorum converſionem procurandam. Orat: 44.

Altera interpretatio eſt S. *Chryſoſtomi, Theodoreti. S. Thomae,* quæ hypotheſim impoſſibilem ſpectat, & deſiderium conditionatum non abſolutum. Optarem eſſe Anathema à Chriſto prò fratribus meis, *ſi modo fieri poſſet.* Si per Dei legem & juſtitiam id liceret. Sic verba non abſimilia Moyſis Deo pro populo ſupplicantis S. *Auguſt:* intellexit. q. 147. in Exodum. *Dele me de libro vitae. Securus hoc dicit, ut in conſequentibus ratiocinatio concludatur, id eſt, quia DEUS non deleret Moyſem de librò ſuo, populo peccatum illud remitteret.*

Objicies 2. Eſt poſſibilis puri amoris actus, quô Deus ab anima Sancta propter ſuam bonitatem, ſine ullo ad beatitudinem, & mercedem æternam reſpectu diligatur; ſed hi actus repeti poſſunt, ut ex illis naſcatur, habitus; ergo.

Reſp: ad Min: Poſſunt repeti, ſed non ſemper ex repetitis actibus naſcitur habitus, ſed quandoq; tantum perficitur. Ad ſummum actus amoris puri producit (ſi ita loqui fas eſt) habitum charita-

ritatis in peccatore pænitente; illum auget, & perficit in justo; sed in eo novum habitum non producit, cùm charitas unius sit speciei. Neq; ad habitualem puri amoris statum animam evehunt quidam puri amoris actus raptim eliciti, cúm habitualis ille status proprius sit Beatorum, non viatorum, in quibus semper carnalis concupiscentiæ aliquid superest expugnandum. *Nam caro in terram cogit, mens sursum tendit, rapitur amore, sed tardatur pondere, de hac re scriptura ita loquitur. Sap:* 9. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam; & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Si ergo caro in terram vergens onus est animae, & sarcina praegravans praevolantem; quantum quisq; delectatur superiori vita sua, tantum deponit de sarcina sua.* Quamdiu caro non habet *statum proprium* cælestis *beatitudinis; quamdiu* non sumus *aequales Angelis DEI,* in nobis *caro concupiscit adversus spiritum.* Ait S. August: lib: de utilit. Iejunii. Adeoq; in nemine est habitualis puri amoris status secundum legem ordinariam, quamvis sit perfecta charitas

ritas, qualis in via poteſt haberi, *foras*, quidem *mitens timorem* non tamen ſpem & deſiderium mercedis æternæ, quæ Deus eſt, ſed Deum diligens, ut ſummum & beatiſſimum bonum noſtrum. Quam amabilitatis rationem nec ipſa Beatorum charitas excludit. DEUM enim ut bonum ſuum, ut beatitudinem ſuam, ut mercedem ſuam etiam æternam diligunt; quorum tamen amorem mercenarium Catholicus nullus dixerit.

CONSECTARIUM.

Homo, in quocunq; ſtatu conditus fuiſſet; DEUM amare ſuper omnia debuiſſet. Si in puro naturæ ſtatu conditus fuiſſet, abſq; ullo ad ſupernaturalem beatitudinem ordine illum diligere debuiſſet amore naturali ut naturæ Authorem, ut creatorem, conſervatoremq; ſuum, omniſq; boni in illo ordine Largitorem, ut ſuæ beatitudinis naturalis objectum, ultimumq; in eo ſtatu finem. Sed cum DEUS *magna & pretioſa* (2. Petri 4.) *promiſſa donaverit, ut per hæc efficiamur Divinæ conſortes naturæ;*

ræ; cum dederit, ut per suam gratiam *filii DEI nominemur* & *Simus* 1. Joan 3. & consequenter *hæredes Dei cohæredes autem Christi Rom.* 8. castus, purus, & perfectus illius amor non excludit pro hoc statu à motivo, seu incitamento eum diligendi, bona, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, & quæ in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit diligentibus se.* 1. *Cor* 2. Non excludit intuitum *hæreditatis incorruptibilis, & incontaminatæ conservatæ in cælis filiis DEI*. Hunc esse puræ benevolentiæ amorem qui negaverit, Scripturæ Sacræ, Traditioni, & Theologorum Principibus contradicit. Diversi *gradus charitatis* ait Angelicus hic q. 24. a. 9. *distinguuntur secundum diversa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum à peccato & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent, & hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est fovenda, vel nutrienda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, quod homo principaliter intendat ad hoc ut in bono proficiat, & hoc studium perti-*

net

net ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut DEO inhæreat, & eô fruatur, & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi & esse cum Christo. Charitas igitur perfectorum in hac vita tantum abest, ut beatitudinis cælestis, æternæq; mercedis, quæ DEUS est, DEIq; fruitio desiderium excludat, vel beatitudinem suam, ac salutem æternam, ut Somniani, Quietistæ, sacrificio absoluto devoveant perfecti, ut e contra perfectio charitatis ferventius in ipsis desiderium excitet, Deo fruendi, æternumq; vivendi cum Christo.

Hunc velut *Authorem fidei & consumatorem, in quo nos DEUS omni benedictione spirituali in cælestibus benedixit.* Justi in omni statu recipiunt etiam in ferventibus contemplationis initiis, & extremis probationibus, fidei explicitæ actus in ipsum elicere tenentur, ac recogitare eum, qui talem pro ipsis & pro omnibus hominibus, *sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem Hæbr: 12.* sed & desolationem extremam â Deo in

parte

parte inferiori animæ ſanctæ, *ut ne fatigentur animis ſuis deficientes.* In illo deſolationis interiori ſtatu ſe promiſſionum Divinarum ſpe ſolari debent, & ſecundum ſuperiorem animæ partem gaudere, non quidem ſenſibili gaudio, quo ad probationem fidei, amoriſq; ſui tunc à Deo privantur, ſed illo, quod à charitate inſeparabile eſt, & S. Spiritûs fructus; *communicantes Chriſti paſſionibus gaudete* 1. Petri 4. *ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Qui contrarium docent, Quietiſtæ, & Spurii Myſtici, omnemq; Chriſti JESU intuitum, & conſiderationem diſtinctam ac reflexam ab initiis ferventis contemplationis, & ab extremarum probationum ſtatu eliminant, nonne dicere videntur: Exinanite, exinanite uſq; ad fundamentum in ea? pſal. 136. Illud utiq; fundamentum, de quo Apoſtolus ait. 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JESUS.* In quos proinde (Quietiſtas) optime quadrat illud S. Hilarii in locum laudatum Pſalmi dictum. *Omne igitur Religionis initium, omne fundamentum ſpei no-*

ſtræ evacuare tentant, ne qua ſpes boni alicui relinquatur. Fundamento enim ſidei quod eſt Chriſtus eruto, & everſo: ne ipſius quidem ædificandæ per pœnitentiam veniæ conſolatio relinquetur.

Hinc aſſerere cogitationem de Chriſto JESU & ejus myſteriis, omnemq; erga ipſa devotionem à contemplatione excludi, hæreticum jure cenſetur, ut patet ex articulis Molinosi damnatis ab Innocentio XI. quorum unus numero 21. *In oratione opus eſt manere in ſide obſcura & univerſali, cum quiete & oblivione cujuſcunq; cogitationis particularis, & diſtinctionis attributorum DEI, ac Trinitatis, & ſic in DEI præſentia manere ad illum adorandum & amandum, eiq; inſerviendum, ſed abſq; productione actuum, quia DEUS in his ſibi non complacet*

Et num. 35. Non convenit animabus hujus vitæ internæ, quod faciunt operationes etiam virtuoſas ex propria electione & activitate, alias non eſſent mortuæ, nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, & Humanitatem Chriſti; quia cum iſta ſenſibilia ſint objecta, talis eſt amor erga illa.

At

At cum idem contemplationis, quod fidei eſt objectum, DEUS ſcilicet, divina attributa, Chriſtus, & omnia ejus myſteria, ſermones, geſta, miracula, beneficia, paſſiones imò & Divini quilibet effectus, ſaltem minus præcipuum, errant miſeri homines, alioſq; in errores inducunt.



ARTICULUS V.

De Charitate erga Proximum.

§ I.

De præceptis Charitatis erga proximum.

Quid nomine proximi intelligatur, ſupra eſt dictum, nempe eſſe homines ſupernaturalis beatitudinis capaces, sive juſti sint, sive injuſti, fideles aut infideles amici, vel inimici, reprobi, aut prædeſtinati. Duo ſunt charitatis præcepta; primum & maximum, quo diligimus DEUM; alterum quo amamus proximum. Hæc duo graviſſima præcepta ſæpius in Scripturis inculcantur: *Diliges Dominum Deum tuum .... Hoc eſt maximum*

& primum mandatum. Secundum autem simile huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis lex pendet & Prophetæ. Math. 22. Item Joan. 13. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Hanc dilectionem veluti characterem atq; insignem Christianæ professionis notam assignat ibidem. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* De fide ergo est dari præceptum diligendi proximum. Præceptum hoc naturale est, quatenus naturalem amorem imperat; tali namq; amore proximum diligere tenemur, prout nobis similis in natura est, cognitus, vicinus, &c. Præcepto autem Divino eum diligere adstringimur amore supernaturali & charitatis.

Petes 1. Præceptum illud obligatne, ut peculiaribus actibus internis proximum diligamus?

Resp. Affirm: Contraria namq; sententia proscripta est in his duabus propositionibus. 1. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. 2. Præcepto proximum diligendi satisfa-

facere possumus per solos actus externos. Opera exteriora mortua sunt ad vitam æternam nisi charitate vivificentur; *si Charitatem non habuero, nihil mihi prodest*, ait Apost: *Noli attendere quid floret foris, sed quæ radix est interna* ait S. Aug. Tract. 8. in Epist: Joannis. Porro hic actus, quo diligere jubemur proximum debet esse actus distinctus, ab actu amoris; quo DEUM diligimus, quoniam duo sunt præcepta distincta, quorum alterum DEI, alterum proximi amorem jubet; ergo duobus actibus distinctis hæc præcepta implenda sunt. Quamvis proximum propter Deum diligere debeamus, ut advertit *Sylvius*. 1. propter Deum ut causam formalem talis dilectionis. 2. propter Deum, ut causam moventem. 3. propter Deum ut causam finalem, ideoq; cum diligimus super omnia Deum, ex toto nempe corde, hoc ipso virtualiter diligamus proximum, nihilo tamen secius distinctum præceptum primo simile nobis imponit, proximum diligendi. Ergo.

Petes 2. Obligatne perse hoc præceptum ad proximi dilectionem?

Resp. Si sermo sit de proximo in communi, certum est, nos teneri actu interno, & formali & per se proximum diligere, ut in terminis docet S. Thomas hic q. 25. a. 8. Si verò sit de proximo in particulari, convenit inter Theologos amandum esse necessitate tantúm urgente, vg. sublevandæ illius inopiæ, aut odii deponendi, dissidii componendi &c.

Petes 3. Præceptum istud, quo jubemur per se proximum in communi amore interno & formali prosequi, quam frequenter obligat?

Resp. Cum S. Scripturæ tanto fervore tanta verborum emphasi, & efficacia, charitatis suadent, & imperant exercitium, ut continuam nobis charitatem præcipere videantur, tam frequenter actus amoris nobis repetendi sunt, ut moralis quædam charitatis flamma continuata, in nostris præcordiis ardeat.

Petes 4. Quoties præceptum istud obligat per accidens?

Resp. 1. Dum gravis odii tentatio animum pulsat: 2. Dum adstringimur proximo periclitanti succurrere, aut ip-

sum

ſum neceſſitate quacunq; preſſum levare; lex quippè charitatis abſq; actu interno impleri nequit. 3. Dum gravis injuria, sive in bonis famæ, sive in bonis animæ, vel corporis proximo infertur. 4. Dum proximus in extrema neceſſitate positus, noſtro eget consilio, auxilio ſpirituali, aut temporali. In hac neceſſitate adſtringimur monere incautum, imminentia pericula pateſacere, ſacramenta miniſtrare, feras proximi bona devaſtantes abigere &c.

Petes 5. Quid ſignificat præceptum urgere ad proximi dilectionem in particulari, quantùm ad promptitudinem animi?

Reſp: Omnes cum S. Thoma docent nos paratum animum habere debere ad diligendum quemcunq; in ſingulari, ſi neceſſitas occurreret. Porro hæc promptitudo in eo conſiſtit, quod animus noſter re ipſa charitate ardeat erga proximum ſuum in communi. Ab hac communitate neminem excludit charitas vera. Experimentum habere vis, an inſit tibi charitas erga proximum tuum in communi? Vide promptuſ-

ptusne sis in occasione vel oblatæ, vel acceptæ injuriæ ad diligendum Fratrem tuum in singulari. Qui ergo amare recusat hos aut illos occasione data, proximum reipsa non diligit; quoniam promptitudo animi ad diligendos Fratres singulos, effectus est charitatis in communi. Charitas illa in animo imprimit hanc dispositionem, inclinationem, & præparationem; relinquit in sinu cordis ignis scintillas, quæ occasione oblata continuo accenduntur.

§ II.

Regulae servandae in dilectione proximi.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ut particula illa *sicut teipsum* perspicuè explicetur, S. Thomæ verba hic transcribenda sunt, qui q. 44. a. 4. ait. *Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur* sicut teipsum, *quod non est intelligendum, quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi aequaliter diligat, sed similiter sibi. Et hoc tripliciter: Primo quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum diligere debet, ut sic sit dilectio proximi*

ximi sancta. Secundo ex parte regulae dilectionis, ut scilicet non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut & suae voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi justa. Tertio ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel dilectionem, sed *ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult sibi bonum; ut sic dilectio proximi sit vera.* Ex hac doctrina nonnullæ regulæ fluunt in proximi dilectione servandæ.

Regula 1. Proximus à nobis diligendus est amore affectivo & effectivo; qui ex corde puro & conscientia non ficta proficiscens, proximo bona cupit, & hic amor est affectivus, ac pro viribus & circumstantiis bona confert; hic est effectivus simul. *Per bona,* autem hic intelligo vera & Divina. Amor quippe noster mutuus illius, quo Christus nos dilexit, amoris imago & similitudo esse debet; *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan: 13. Non ideo autem nos Christus dilexit, ut dignitatibus, titu-

lisq;

lisq; nos ornaret, ut divitias terrenas nobis conquireret, & similibus, quæ mundi sunt, nos satiaret; sed ut amicos Dei, suiq; viva membra nos constitueret, ut Sancti, Deiq; amatores essemus. Igitur amandus proximus, ut Deo vivat, ut filius Dei sit, atq; Dei filiorum hæreditatem in cælo assequatur. Hæc amoris affectivi officia erga ipsum sunt. Amore autem effectivo, impedimenta & obstacula, quæ ipsius remorantur salutis negotium, auferenda sunt. Opem, auxilio aut opere, aut consilio, quibus in salutis via ipsum adjuvemus, quantum in nobis est, ipsi convenit à nobis suppeditari.

Regula 2. Fraternæ dilectionis characteres Divinè explanat, & nobis ante oculos ponit Apostolus 1. Cor: 13. Charitas 1. *patiens est* in perferendis proximi defectibus, moribus nostris dissimilibus & sæpè pugnantibus. 2. *Benigna est* in conversatione illius, inq; illius curandà salute. 3. *Non æmulatur* neq; apertè neq; occultè nec per cuniculos, sive proximi merita silendo, sive illius virtuti aut detrahendo, aut

sub-

ſubtiliter labes & umbras aſpergendo, ejuſq; proſperitati nullo modo invidet. 4. *Non agit perperam*, id eſt perverſè contra aliquem. Nullus enim injuſtè agit contrà illum, quem diligit sicut ſeipſum, ait S. *Thomas* in hunc locum, juxta illud Iſaiæ 1. *Quieſcite agere perversè*, v. g. fraudes intentando. 5. *Non inflatur*, oſtendit, ait S. Thomas, quomodò charitas facit vitare mala, quibus aliquis deordinatur in ſeipſo. v. g. ob dotes ſivè corporis, ſivè animæ, ſivè divitias, ſivè nobilitatem, animiq; magnitudinem. 6. *Non eſt ambitioſa*, ut in proximum arroganter dominetur. 7. *Non quærit, quæ ſua ſunt*, ſed hæc poſthabet, ut proximo egenti ſuccurrat, ut ejus neceſſitatem levet. 8. *Non irritatur*, injuriis laceſſita, ut vindictam ſumat, aut quidpiam mali rependat. 9. *Non cogitat malum*, ſed ſalva veritate, omnia in bonam partem interpretatur; quia ut ait S. Thomas, *charitas non permitit hominem per varias ſuſpiciones & temeraria judicia cogitare malum de proximo.* Ideò 10. ſubditur: *Non gaudet ſuper iniquitate*, ſed

pec-

peccata deteſtatur; quia congaudet veritati. 11. *Omnia ſuffert*, abſq; turbatione, ſuffert omnes defectus proximi, omniaq; adverſa, ut vitam aſſequatur æternam. 12. *Omnia credit* ob authoritatem Dei revelantis. 13. *Omnia ſuſtinet*, ob deſiderium æternæ felicitatis; 14. *Omnia ſperat*, quæ promittuntur à Deo innixa Omnipotentiæ Divinæ auxilianti.

Regula 3. Præcipua officia charitatis fraternæ deſcribit Apoſtolus cap: 6. ad Gal: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Ut pacis vinculo & Chriſto & nobiſcum agglutinemur, ſola charitas, quæ propter Chriſtum omnia ſuffert, hanc cordium conjunctionem inducere, & conſervare valet. *Nunc verò cum in hac vita, id eſt, in hac via ſumus, onera inviceni noſtra portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere, pervenire poſſimus.* ait S. Aug: lib: 83. Quæſt: 71. Hinc & Apoſtolus de ſe dicit: *Omnia omnibus factus ſum ut omnes lucrifacerem.*

Regula 4. Certum indicium eſt nos diligere Deum, ſi diligamus proximum.

Tibi

Tibi & mihi illudere vales, dicens, te amare Deum. Si dixeris te amare Deum falsitatis te revincere non possum, aliter, quam ostendendo, te diligere Deum non posse, cum proximum tuum aut odio habes, aut ut oportet, non diligis. Si ergò cupis noscere, an verus Dei sis amator, qualem te esse ipsum nomen *Christianus*, jubet & præcipit; vide, qualis tuus amor sit erga proximum; sicq; ex illius mensura aut defectu, istius mensuram aut defectum accipies, & videbis; cum duo hæc mandata sic conjuncta sint, ut unum sine altero stare nequeat. Aurea sanè S. August: assertio in Epist: ad Galatas numero 45. *Cum ergo in duobus præceptis dilectionis Dei & proximi perfecta sit charitas; cur Apostolus solum proximi dilectionem commemoret? Nisi quia in dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere dum iniquè cum hominibus agunt. - - - - Unde & Joannes dicit:* Qui non diligit Fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomo-

modò poteſt diligere? *Mentiebantur enim quidam dilectionem Dei ſe habere, & de odio fraterno eam non habere convincebantur, de quo judicare in quotidiana vita, & moribus facile eſt.*

CONSECTARIUM.

In id ergo omni ſtudio incumbe, ut amor tuus in proximum ſit ſincerus, fervens, fæcundus, & conſtans, modò in auxilio vel conſilio egenti ferendis, modò in ejus defectibus diſſimulandis, qui diſſimulari poſſunt, quod benè notandum; modo in ejus erratis placidè corrigendis. Et hic in proximum genuinus amor moraliter certum faciet te amore quoq; Dei flagrare; cum amor in proximum ſit fructus amoris in Deum. Ex his quoq; facilè colligis, quam verùm ſit à dilectione Dei & proximi univerſam pendere legem & Prophetas. Si enim ſincerè diligis Deum illius mandata ſervas; hoc enim indicium Divinæ dilectionis in Evangelicis & Apoſtolicis ſcriptis exaratum ſæpiſſimè legimus. Si proximum revera amas, omnia officia æquitatis, beneficientiæ, ho-

hoſpitalitatis, juſtitiæ erga ipſum exerces. Ea quippe ei præſtas, quæ ab aliis tibi rependi velles; & quid tibi fieri nolles, neutiquam illi facies. Quoniam ergo tu nunquam decipi in contractibus, opprimi in foro, derelinqui in anguſtiis, calumniari, traduci, aut aliquod damnum ſubire, fraudibus circumveniri, dolo capi, aut quid ſimile pati vis; nihil quoq; hujusmodi proximo inferre audebis, quoties illum Chriſti charitate dilexeris. Ea menſura metieris fratrem tuum, qua ipſe remetiendus eſſe cupis.

§ III.

Ordo in charitate ſervandus.

Imprimis præ oculis habenda eſt diviſio amoris; alius dicitur innatus ſeu neceſſarius, qualis eſt amor beatitudinis in communi; alius liber, & eligens; alius naturalis, alius ſupernaturalis; alius Dei, alius creaturarum; alius fruens, alius utens, alius concupiſcentiæ, alius amicitiæ. Amor concupiſcentiæ quandoq; preſſè, interdum latiùs accipitur. Preſſius accipitur pro ap-

appetitione bonorum temporalium & ſenſibilium, quæ bona ab Evangeliſta in tres ſpecies ſecantur, nempè honorum, divitiarum, & voluptatum ſenſibilium. Latiùs accipitur concupiſcentiæ amor prout appetit bona, quæ conducunt ad felicitatem tum animæ tum corporis.

Nunc ordo, qui in amore ſervari debet, exponendus. Primus autem ordo, quem in amando ſervare debemus eſt ipſiusmet amoris ordo. Si enim à S. Auguſtino quæras, quid ſit bonus amor? Reſpondet, quod ſit ordo amoris, ſeu amor ordinatus. Et ſi petas in quo ſitus eſt hic ordo? Reſponſionem exhibet lib: 19. de Civit: Dei cap: 13. *Eſt parium diſpariumq; rerum ſua cuiq; loca tribuens diſpoſitio.* Unicuiq; diligibili ſuum tribue locum; ſi ſuperioris ſubſellii ſit, ſuperior illi in corde tuo locus concedendus; ſi inferioris, inferior. Quiſq; ſecundum menſuram ſuæ bonitatis diligi debet. Menſura dilectionis amantis eſt menſura bonitatis, quæ in re amata reperitur. Porro quàm ejuſmodi ordo amabilis ſit, inde innoteſcit, quod illum juſtitia pax & decor

comi-

comitantur. Quæ enim major juſtitia, quam ſuum cuiq; tribuere? Quid magis decorum, quam parium diſpariumq; ordinata rerum diſpoſitio? In hac mirabili rerum harmonia pax, concordia, & tranquilitas tùm univerſi hujus oculis pervii, tum Divinarum gratiarum ſplendent.

Duplex diſtinguitur ordo, alter amandi, alter ſubveniendi, ut docet Auguſtinus Epiſt: 148. *Charitas quae tanquam nutrix fovet filios ſuos, non ordine amandi, ſed ordine ſubveniendi infirmiores fortioribus anteponit.* Ordo amandi ex objecti dignitate, ordo ſubveniendi ex egeſtate perſonæ, quæ ope noſtra indiget, arceſſitur. Uterq; ordo ſub præcepto cadit, ut docet S. Thomas hic quæſt: 44. a 8 & ex ſe eſt manifeſtum: quia objecta diligenda non ſunt æqualis bonitatis, & amabilitatis, proindè ordo ſervandus in eorum dilectione.

Porro ut quamdam perſpicuam ideam formare valeas tùm perſonarum, tùm bonorum, quæ ordine ſervato nobis diligenda ſunt, primò perſonas, deinde bona oculis ſubjicio. Inter perſonas pri-

mum omnium Dominium Deum tuum diligere debes. 2. Temetipſum. 3. homines. 4. homines ſanctiores & Dei donis fulgentes, minus ſanctis præferre debes; juſtos peccatoribus; ſuperiores inferioribus, parentes uxori & filiis. In bonis; ſpiritualia ſeu ſupernaturalia, nempè gloria, beatitudo, gratia, merita primum locum occupant. Secundum bona naturalia, quæ corpus ſpectant, ut vita, integritas membrorum, ſanitas & ſimilia. Tertium bona exteriora, ut honor, fama, bona fortunæ. Tandem bonum commune antecellere bonum privatum debet. Hæc quantum ad amorem appretiationis. Quo ad amorem attinet ſubventionis, ordo aliquando præpoſterus ſervandus eſt. *Attamen in bene ordinata actione, ſæpè aut etiam ſemper ordo oppoſitus invenitur; Nam & circa proximi curam, & plus urgemur & pluries occupamur, & infirmioribus Fratribus diligentiori aſſiduitate aſſiſtimus; & paci terræ magis, quam cœli gloriæ jure humanitatis & ipſa neceſſitate intendimus. . . . . Nam & vera in hoc eſt charitas, ut qui indiget amplius, accipiat prius; & rursùs in eo cara eſt veritas, ſi ordinem*

nem

nem tenemus affectu, quàm illa ratione. Sic S. Bernardus Serm: in Cantica. Hæc ut clarius pateant, breviter diſtinctis quæſtiunculis ſunt explicanda.

Petes 1. An quiſq; ſe ipſum magis quam proximum diligere debet?

Reſp: Cum amor erga ſe ipſum regula ſit amoris in proximum; & juxtà illud Eccleſ. 14: *Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit?* concludit S. Thomas hic art: 26. art: 4. vel minimum nobis peccatum committendum non eſſe, ut à peccato proximum liberemus. Quid enim nobis prodeſſet totius mundi & omnium hominum lucrum, ſi anima noſtra detrimentum ſubiret.

Petes 2. Teneturnè homo propriam vitam corporalem magis diligere, quàm vitam corporalem proximi?

Reſp: Affirmativè, ut enim S. Aug: lib: de mendacio cap: 6. ait: *Si quis pro alterius temporali vita ipſam ſuam temporalem perdat, non eſt jam illum diligere ſicut ſe ipſum, ſed plus diligere quam ſe ipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit.* Propinquior eſt enim homo ſibi ipſi præ omnibus aliis. Hæc tamen intelligenda

 ſunt

ſunt ſervatis ſervandis, nempè ſi comparatio fiat inter privatos. Nam nemo dubitat exponendam eſſe vitam temporalem ob bonum commune Reipublicæ, ob vitam Principis, ac alterius perſonæ ad commune bonum cuſtodiendum neceſſariæ. Ea etiam de cauſa licitum eſt propriam vitam periculo proximo mortis exponere, pro vita privata proximi, qui ad promovendam Dei gloriam aptior ſit. Idem dicendum, ſi vitam tuam exponeres ad ſervandam vitam Patris, Domini, intimi amici, & Benefactoris; â quibus maxima beneficia recepiſti. Item miniſtrando non modo ſpiritualia, verum etiam temporalia peſte infectis; hujuſmodi enim exempla plura reperies in Hiſtoria Eccleſiaſtica; & favere videtur id, quod dicitur Joannis 15. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Vide S. Thom: in 3. diſt: 29. a. 5. ad 3. Hinc colliges: Si abſoluta comparatio fiat vitæ cum vita, nunquam eſt licitum vitam propriam pro alterius vita amittere. Si verò ratio movens non ſit alterius vitæ abſoluta præſervatio, ſed virtutis, honeſtatis aut amicitiæ amor;

amor,

amor, dico, non carnalis, sed charitatis, tunc licitum eſt alteri ſervandæ vitæ modos & inſtrumenta, cum periculo amittendi propriam, miniſtrare. Hinc etiam licitum non eſt pro amici honore, fama, boniſq; vitam mortis periculo exponere; quoniam honor, fama, bonaq; temporalia inferioris, vita humana ſuperioris ordinis eſt. Perturbatur ergo charitatis ordo, ſi hæc pro illis prodigatur. Quare cum periculo vitæ (niſi aliud adſit motivum) non teneris ſuccurrere proximo in extrema neceſſitate conſtituto. Pro Reipublicæ vero, communitatis & Principis conſervatione non modo licet, ſed etiam urget præceptum periculo mortis, propriam objicere vitam, & bona exponere. Quare milites in loco ſibi deſtinato cum vitæ periculo conſiſtere tenentur.

Petes 3. Tenemurnè cum vitæ periculo & bonorum temporalium jactura ſuccurrere extremæ neceſſitati ſpirituali proximi?

Nota: Extrema ſpiritualis neceſſitas ea eſt, in qua homo conſtitutus æternum, niſi adjuvetur, periturus eſt. Gravis, à qua liberare ſe quidem valet, ſed non

nisi cum magna difficultate. Communis, in qua sine gravi difficultate, absq; alterius ope, immunis evadere quis potest. Exemplo illustratur: Moritur infans inter peste infectos derelictus sine baptismate, nisi cum tuæ vitæ periculo baptismatis gratiam ei conferas. Adultus peccati mortalis reus, & eliciendæ contritionis ignarus, damnandus est, nisi te mortis periculo objicias, ut illum instruas. In gravi etiam necessitate constituti peccatores inveteratis habitibus gravati, qui copia laborantes Confessarij difficilè elicere possunt actum contritionis. Tandem, qui in communibus peccandi periculis reperiuntur, in communi necessitate considerantur.

Resp: Affirm: ex illo 1. Joan: 3. *Sicut Christus animam suam posuit pro nobis*, (Utiq; extremè laborantibus) *& nos debemus animam pro fratribus ponere*. August: lib: de mendacio cap: 6. *Temporalem vitam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*. Vide S. Thomam hic q. 26. a. 5. Si autem tua vita sit necessaria bono communi Ecclesiæ vel Reipublicæ; tunc ordo charitatis ser-

van-

vandus est, salus communis præferenda est unius privati saluti.

Si autem spiritualis necessitas proximi gravis tantum fuerit, & sit persona privata, tum vitam tuam præferre ejus necessitati debes, dummodo ex officio non tenearis, quod bene notandum; quia persona tuâ ope egens se ipsam à gravi necessitate liberare valet. Econtra si communis foret necessitas, ut tempore pestis, aut devastationis hostilis, si nullus adsit, qui sacramenta ministret, cum periculo vitæ etiam id facere debes, quoniam tunc periculum grave commune fideles manet. Ex his sequitur, si in gravi necessitate omnes devinciuntur titulo charitatis, in eadem & charitatis, & justitiæ titulo tenentur ad id Pastores, & omnes, qui ex officio præsunt; tunc enim contractus justitiæ populum inter & Pastores initus potissimum urget. Hæc quidem de jactura temporali, quam quis pati tenetur, ut proximorum animabus suppetias ferat. At de jactura spirituali aliter loquendum. Hinc.

1. Ut saluti spirituali proximorum con-

consulas, non debes te probabili, rèvera tali, periculo exponere. Nam periculum probabile peccandi, peccatum probabiliter inducit; nunquam est licitum perpetrare aliquod vel leve peccatum, ob totius universi lucrum. Dixi *revera tali;* nam si probabilior & major sit perseverantiæ tuæ spes, tunc subire forti animo periculum poteris, precibus, & spe Divini auxilii munitus.

2. Nec ad horam velle privationem gratiæ seu charitatis ob aliorum salutem licitum est. Quia nobis prius & potius, quam aliis Divinæ amicitiæ bonum desiderare & velle debemus; alioquin magis alios, quam nos ipsos diligeremus, qui diligendi modus est inordinatus amor. Insuper ad hoc conatus nostros semper conferre debemus, ne gratiâ Divina excidamus. Hinc.

3. A fortiori illicitum omnino est, velle in perpetuum carere beatitudine ob salutem proximorum; quia, ut dictum, talis voluntas est contra ordinem charitatis. Licitum vero est velle ad tempus dilationem beatitudinis ob proximorum salutem. Id enim suadet exem-

exemplum Pauli ad Philip: 1. *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo; permanere autem in carne propter vos.* Vide S. Thomam in Commentariis, ubi inter alia dicit: *Id est necessaria vita mea propter vestram utilitatem.*

Petes 4. Qui sunt in dilectione præferendi?

Resp: S. Thomas hic q. 22. a. 6. Cum principium dilectionis sit Deus, aut ipse diligens; *necesse est, quod secundum propinquitatem majorem ad alterum istorum principiorum major sit dilectionis affectus.* Ille ergo proximus, qui alterutri horum principiorum, nempe Deo & tibi propinquior est, cæteris paribus præferendus est.

Hic adverte: quod obligatio servandi hunc ordinem prælationis tunc sit gravis, quando urget extrema necessitas succurrendi alterutri proximorum. Si enim aut levis, aut gravis tantùm est necessitas, turbatio ordinis non erit mortalis absolutè loquendo; spectandæ enim sunt circumstantiæ. Primum igitur succurrendum est Patri & Matri

æqua-

æquali necessitate urgente; quia parentes sunt nobis magis conjuncti. Pater præferendus Matri, quod sit nobilius principium. Primum ergo omnium parentibus succurrere debes in pari necessitate, quia debitum contractum cum illis præcedit quodlibet debitum posterius. Sub alia tamen consideratione uxores & filii præferendi parentibus, ait Angelicus art: 9. & 11. Uxor quantùm ad amorem intensivum & cohabitationem, cùm sit una caro cum marito, omnibus præferenda est; quæ prælatio non impedit priorem ordinem respectu parentum. Filij etiam comparatè ad Patrem diligentem præferendi sunt parentibus. *Alio modo*, ait, S. Thomas, *comparatur ordo dilectionis ex parte ipsius diligentis; & sic magis diligitur, quod est conjunctius, & secundum hoc filius est magis diligendus quam Pater.* Parentes ergo & filios præferre debes amicis, benefactoribus, magistris & aliis, ob conjunctionem naturalem & primam. Fratres absolutè præferendi sunt cæteris minus propinquis, affines postponendi sunt consanguineis.

§. IV.

§. IV.

De inimicorum dilectione.

Petes 1. An dabatur in veteri lege præceptum diligendi inimicos?

Resp: Affirm: Quia hoc præceptum includebatur in præcepto de diligendo proximo; quia inimicus proximus eſt. Undè Eccleſ. 10. legimus: *Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ.* Aliunde omnem vindictam ſibi Deus reſervavit. *Mea ultio eſt, & ego retribuam.* Deut 32.

Nonnulli quidam cum Maldonato contrarium defendunt ex illo potiſſimum Math: 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis; diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros &c.* Divus Thomas omnium Patrum voce exponit locum hunc Math: in 3. Diſt: 31. q. 1. a. 1. ad 2. *In veteri lege etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, ſicut patet per authoritatem. Unde quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non eſt ex lege ſumptum; quia nuſquam hoc in litera invenitur; ſed eſt additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo, quod præcipiebatur dilectio proximi*

con-

concludebant, quod inimici erant odiendi. Hoc repetit 1. 2. q. 107. a. 2.

Petes 2. Quid imponit præceptum hoc ut affirmans eſt, quid vetat ut negans?

Reſp: primo modo jubet tum interiorem dilectionem, tum exteriorem beneficentiam, juxta naturam præcepti affirmativi, obligantis ſemper, ſed non pro ſemper. Quatenus negativum eſt, ſemper & pro ſemper urget, ita ut nunquam liceat vel ad momentum odio habere inimicum. Vi hujus præcepti tenemur omnem vindictæ affectum deponere, offenſam ex corde remittere, nullum inimico malum velle.

Porro affectus, quô inimicum diligere debemus ſitus eſt in amore univerſali, quo proximum diligere tenemur propter Deum, ab hoc ſiquidem univerſali amore in proximum excludere inimicos non poſſumus, ut docet S. Thom: hic q. 25. art: 8. Ubi duo ſtatuit: primum in amore generali erga proximum includendos eſſe inimicos; alterum, neceſſariam eſſe animi diſpoſitionem & promptitudinem ad peculiarem inimici dilectionem, neceſſitate urgente.

Hinc

Hinc 1. Illicitum eſt excludere inimicos á generali dilectione vg. oratione facta pro aliqua communitate ex mera liberalitate, nulla quippe ratio excludendi eos ſubeſſe poteſt, niſi inimicitia.


2. Illicitum eſt ſigna generalia benevolentiæ inimicis denegare; quod autem ſigna ſpecialia attinet; talia *inimicis exhibere non eſt de neceſſitate præcepti, niſi ſecundum praeparationem animi, ut ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis, ſecundum illud* Prov: 25. *Si eſurierit inimicus tuus, cibà illum, ſi ſitit, da illi potum; ait* S. Thom: cit: q. a. 9.

Petes 3. Licitumne aliquando inimicum non ſalutare?

Reſp: Odji causâ nunquam licitum eſt. Licet verò 1. ob delicti punitionem, ſi is, qui ſalutationem negat, authoritate polleat vindicandi injuriam, ut ſunt Superiores, Judices. 2. Dum charitas erga inimicum hoc ſuadere videtur, ut ſi vg. ex tali negatione ſperetur inimici emendatio. 3. Cum certè prævidetur ejuſmodi officia accipienda eſſe in ſigna vilipendi. Aliquando non

licet

licet modo, sed oportet etiam talia negare officia, ne si exhibeantur, conniventiæ suspiciones præbeantur, juxta Joan: Epist: 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ei Ave dixeritis. Qui enim dicit illi Ave communicat operibus ejus malignis.* Quod de Hæreticis intelligitur, applicari verò, magna tamen moderatione potest aliis, qui Hæreticis simillimi sunt. Hæc tamen officiorum communium omissio aut suspenssio illicita esset; si oportuna ad lucrum spirituale inimicorum agnosceretur.



ARTICULUS VI.

De Correctione fraterna.

Correctio fraterna definitur á S. Thoma hic q. 33. a. 1. quod sit *spiritualis eleemosina à charitate dimanans, qua quis secreta admonitione malum proximi, quatenus illi noxium est, removere studet.* Correctio duplex est, altera fraterna, quam descripsi, altera judicialis, quæ actus justitiæ est, bonumq; justitiæ spectat. Hæc

ab

ab iis solum præstari potest, qui publicâ authoritate præditi sunt; illa omnibus communis est: *Et mandavit illis unicuiq; de proximo suo.* Eccles: cap: 17.

Petes 2. Quæ sunt conditiones, ut præceptum fraternæ correctionis urgeat & obliget?

Resp: Plures sunt, ad quatuor commodè revocari possunt. 1. Gravis peccati notitia, moraliter certa, non dubia, aut probabilis. Quod tamen intellige, nisi periculum gravis damni immineret, & cum peccatum in malum proximi vergeret, essetq; emendationis spes; tum sola probabilis dubitatio sufficeret ad delinquentis emendationem faciendam. Dixi *gravis peccati notitia*, intellige mortalis, vel etiam venialis, quando illud viam aperit ad mortale, vel etiam si venialia habitualia essent. Etiam peccatum mortale ex ignorantia sive vincibili, sivè invincibili commissum, vi hujus præcepti corripiendum est, quia hujusmodi homines illuminandi & edocendi sunt.

2. Conditio, ut spes habeatur emendatio-

datio-

dationis, ſaltem probabilis, ſi non certa; illa enim difficulter haberi poteſt.

3. Ut ſit temporis & perſonæ oportunitas. Quare ſæpe poteſt & debet correctio differri, dum expenſis circumſtantiis exiſtimatur proximo futura ſalubrior alio tempore. Quia finis correctionis fraternæ eſt ſalus ſpiritualis proximi.

4. Ut commodè præſtari valeat.

Petes 2. Utrum tam juſti, quam peccatores corrigere debeant proximum delinquentem.

Reſp: Affirm. Quia quiſq; poteſt peccatum dimittere, aut officium reſignare, ſi eſt Prælatus, aut etiam humiliter peccatum ſuum recognoſcens, alium monere rogando, & tunc magnum facere poteſt profectum.

Petes 3. Utrum Prælati Eccleſiaſtici peccent ſubditos corripientes, dum ipſi ſunt peccati labe polluti?

Reſp: Communior ſententia negat; niſi forte adſit ſcandalum, vel aliqua alia circumſtantia. Idem judicium de Concionatoribus; quamvis enim Divinæ veritatis explicatio ex officio potiſ-

ſimum

ſimum peracta, actio ſacra ſit, tamen non ejuſdem ſanctitatis eſt ac Sacramenta, quorum adminiſtratio in peccato mortali facta, ſacrilegio miniſtrum inficit. Tamen cum Cajetano & alijs, multi talem concionatorem peccati mortalis reum faciunt.

Petes 4. Tenenturné ſubditi ſuos Superiores corrigere.

Reſp: Affirmat: S. Thomas. Correctio enim cùm ſit actus charitatis, ad eos omnes ſe extendit, quos charitate proſequi debemus; ſed præcepto charitatis tenemur Superiores diligere; ergo, Peculiares tamen conditiones hanc ſubditorum in Superiores correctionem comitari ſolent, ut virtutis actus evadat; *ut ſcilicet non cum protervia, & duritia, ſed cum manſuetudine, & reverentia corrigantur. Unde Apoſt: dicit* 1. *ad Tim.* 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem.* Hæc S. Thomas.

Petes 5. Qui ſunt Superiores, qui ad correctionem ſpeciali jure tenentur.

Reſp; Prælati ſubditos, Parentes filios: domini famulos, mariti uxores, tutores pupillos, Parochus oves, Confeſſarij pæniten-

nitentes &c. corrigere peculiari jure adſtringuntur.

Petes 6. Hæc major ſuperiorum obligatio efficit ne, ut in mores ſubditorum inquirere debeant?

Reſp. Duplicem correctionem Prælati peragere tenentur, unam judicialem, alteram fraternam; debito inquirendi in ſubditorum vitam, moreſq; obſtringi Superiores, cùm pro tribunali corripere ſubditos velint, nullus dubitat; hoc enim munus eorum exigit. Quare ſi ſe ipſis id peragere nequeant, exploratorum operâ uti poſſunt, & ſæpius debent. Sicut enim Paſtor canes alit, ut ad gregis cuſtodiam latrent, ſic Paſtorem ſpiritualem ſuos habere ſpeculatores convenit. Verùm in id omni ſtudio incumbere Prælati debent, ut ad officium iſtud viros prudentiâ, zelô & charitate præditos ſeligant, odiô & invidentiâ omnino vacuos. Ad hanc itidem diligentiam adhibendam tenentur vi præcepti correctionis fratarnæ. Hæc S. Thomas tradit hic q. 33. art. 2. ad 4.

Exe-

Executio tamen eorum, ut fatear, non levi juncta est difficultati, videlicet, cui viæ inhærere, quibus regulis Prælati uti debeant, ne ad alterutrum extremorum aut oscitantiæ, aut severioris diligentiæ declinent. Varias quidem regulas varii assignant; verum nisi ipsi sint peculiari acumine & dexteritate præditi, nisi juges preces Deo fundant pro grege commisso, cætera vix prosunt.

Prima regula. Cum Prælatus ipse lustrare loca valet, in quibus delinquere subditi solent, non debet aliorum uti ministerio. Ejus quippè præsentia multum roboris habet & efficaciæ ad continendos,atq;in ordinem redigendos subditos. Prælatorum aspectus, ob quamdam intimam dignitati majestatem, vimq; occultam, tali rubore & timore subditos perfundit, ut facillimè se contineant, vitentq; delinquendi occasiones.

Secunda, ut in exploratores eos minime mittant, qui naturali levitate, & curiositate ad aliena scrutanda crimina feruntur; sed viros graves, beneq; moratos ad id muneris eligant.

Tertiò; Summopere cavendum eſt Prælatis, nê nimium moroſi & ſuſpicioſi ſint; nihil quippe gravius ſubditis, quàm ſuperior tetricus, & diffidens, qui ob leviſſimas conjecturas citiſſimè malum ſuſpicatur. Si tamen Prælatus nimium eſt remiſſus, nullus dubitat, illum hoc modo obſervantiam plurimùm relaxare; illud curet, quod dicitur: medium tenuêre beati.

Petes 7. Qui eſt ordo in correctione fraterna ſervandus.

Reſp: Ordo hic præſcribitur Math: 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium ſtet omne verbum.* Quod *ſi non audierit eos dic Eccleſiae. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Tria hic ſervanda præcipiuntur. 1. Ut ſecretò frater corrigatur; 2. Ut ſi ſecreta admonitio inutilis foret, unus & alter adhibeatur teſtis; 3. Ut is Superiori denuntietur, qui nihil ex ſecreta correctione profecit. Si Superiorum judi-

cium

cium neglexerit, tunc pænarum ſeveritate plectatur, & veluti membrum reciſum á corpore, inſtar Ethnici & Publicani tibi ſit. Hunc verò ordinem, non rem conſilji eſſe, ſed præcepti clare docet S. Thomas hic q. 33. a. 7. Ubi oſtendit, quam ſit jurè naturali conſentaneus ordo, quem in fraterna correctione peragenda, ſervandum Chriſtus jubet. Nam 1. ordo iſte ſalutem æternam, quæ bonum ſupremum eſt, ſpectat; 2. famam peccantis cuſtodit, quæ eſt bonum ordinis inferioris; 3. quod ſi hæc in totum ſervari nequeat, ſaltem quo ad fieri poteſt, parcè lædatur. 4. Non advocentur teſtes, ſi proſit privatá admonitio. 5. Si teſtes adhibendi fuerint, non vocentur duo, ſi unus ſufficiat.

Hinc tamen advertas cum præceptum ordinis iſtius affirmans sit, quod quemadmodum cætera præcepta ejuſdem generis, pro ſemper non obligat, ſed juxta circumſtantiarum diversitatem obligationem imponit. Spectandum itaq; criminum genus, & peccantium indoles. Si peccatum publicum fuerit

& notorium, aut damnum tertio inferens, aut communitati noxium, ordine prætermiſſo superiori referendum eſt si præsertim nulla sit ex occulta admonitione concipienda fructûs fiducia, propter peccantis contumacem pravitatem, pariter ordinis servandi non urget præceptum.

Porro ut S. Thomas q. cit. a. 8. ad 3. advertit: *Teſtes poſſunt adduci propter tria. Uno modo ad oſtendendum, quod hoc ſit peccatum, de quo quis arguitur, ut Hieronymus dicit: Secundo ad convincendum de actu, ſi actus iteratur, ut Auguſtinus dicit in Regula. Tertio modo ad teſtificandum, quod frater admonens fecit, quod in ſe fuit, ut Chryſoſtomus dicit.* Et vi hujus delationis nequid quidem juridice procedere Superior, increpare tamen reum poteſt, ut sic pænarum ſaltem metu in ordinem redigat.

CONSECTARIUM.

Sola peccata occulta, quæ cedunt in damnum peccantis, præcepto correctionis ſubjacent. Secus alia, quæ aut ſunt notoria notorietate sive *Juris*, sive *fa-*

facti sive *formæ*; aut quæ vergunt in damnum tertii, Reipublicæ, Communitatis. Porrò quæ vergunt in damnum tertii, ſunt vg. furta, adulteria, injuſtitiæ, contumeliæ, calumniæ & similia. Quæ Reipublicæ vel temporale vel ſpirituale reſpiciunt, ſunt, monetæ adulteratio, civitatis proditio, homicidia frequentia, literarum falsificatio, doctrinæ hæreticæ, falſæ, erroneæ, laxæ diſſeminatio; conſpiratio adverſus Superiores, tranquillitatis & pacis perturbatio &c. & alia, quæ à Perſonis ſpiritualibus cum ſæcularium ſcandalo perpetrantur. Audiamus S. Thomam cit q. 33. art. 7. *Quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel ſpirituale; puta, ſi aliquis occultè tractet, quomodo civitas tradatur hoſtibus; vel ſi hæreticus privatim homines è fide avertat. Et quia ille, qui ſic occultè peccat, non ſolum in ſe peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur.* Quoniam crimen vg. hæresis bonum commune ſuâ naturâ inficit, ac deſtruit. Porrò bonum commune privato præferendum eſt, proinde ne-

neglectâ secretâ correctione, referendum est judici crimen illud. Ad quid? & quem in finem? Non quidem ut puniat delinquentem, sed ut malum imminens bono publico caveat, nempe; *ut hujusmodi nocumentum impediatur*. Quippè Judex hac denuntiatione habita, inquirere in delinquentem valet, ejusq; vitam & mores observare. Accedit præceptum *Alexandri* VII. qui pecculiari Bullâ datâ 1660. *Licet alias &c.* jubet hæresis crimen, tametsi occultum deferri statim S. inquisitionis Tribunali, omissâ correctione fraternâ. Hic tamen advertas, quod facilius spes concipi potest, profuturam secretam correctionem, cum de peccatis agitur, quæ non adversus bonum commune, sed in damnum privatæ personæ cedunt. Idcirco servanda est in his regula correctionis fraternæ. Hinc validiora futuræ emendationis argumenta haberi debent, quam cum correctio fieri debet de peccato, quod in damnum cedit peccantis; semper enim innocens reo præferendus est, commune bonum particulari. At addendum, nec additi pænitebit, nimiam credulita-

tatem, nimium custodiendæ famæ reorum zelum, & ipsi nocenti, & ipsi reo, ne quid plus dicam, persæpe nocere.



ARTICULUS VII.

De Vitiis charitati oppositis.

Vitia charitati opposita ad decem reducit S. Thomas hic q. 34. & seq; 1. est *odium* DEI, & proximi, quod dilectioni contrariatur. 2. *acedia*, quæ pugnat cum gaudio, quod de bono Divino percipitur. 3. *invidia*, quæ gaudio de bono proximi opponitur. 4. *discordia*, quæ cum charitatis affectu pugnat 5. *contentio*. 6. *schisma*. 7. *bellum*; 8. *rixa*. 9. *seditio*, quæ exteriorem pacem opere perturbat, 10. *scandalum*, quod charitatis beneficium impedit.

§ I.

De odio DEI & proximi.

Odium DEI generaliter primò accipitur, quod in omni peccato mor-

mortali includitur, ex eo, quod omnis graviter peccans à DEO deſciſcit, & ad creaturam ſe convertit; at odium sic sumptum ſpeciale vitium non eſt, nec peculiarem malitiam includit, ab ea diſtinctam, quæ in peccatis residet. Secundo peculiare & expreſſum, ſeu, ut ajunt formale, quod ſpecialem graviſsimamq; malitiam præfert, Divinæq; dilectioni directè opponitur; & *eſt averſio a DEO, qua voluntas illum deteſtatur, prout peccata prohibet, pœnaſq; infligit.* Voluntas quippè id deteſtatur, quod sibi repugnat; & quia DEUS abſolute inſpectus; vel ut eſt bonorum cauſa, voluntati non opponitur; nequit hac ratione illum odio habere; quia vero, prout prohibet vitia, pænaſq; infligit, pravæ voluntati infeſtus apprehenditur, ideo ſub hac consideratione à malignis odio habetur. Hoc odium formale duplex, unum abominationis, alterum inimicitiæ; illud rectè DEI naturam aggreditur, illam deſtruere cupiens, si poſſet; hoc malum illi optat. Hoc peccatum omnium ſcelerum graviſſimum parvitatem materiæ non admittit, nisi forte im-

imperfecta deliberatio crimen minuere valet. Immane flagitium optare DEO ne sit, aut aliqua perfectione careat, aut de ejus offensa gaudere.

Odium proximi est *expressa malevolentia, qua illi malum optamus.* Peccatum sanè ex se mortale; *cum omnis, qui odit fratrem suum homicida est. 1. Joan 3*, fieri tamen veniale potest aut materiæ parvitate, aut imperfecta deliberatione, si aut animo non deliberato, aut levissimum malum proximo exoptes. Lætitia de malis proximi nostri ex odio adversus illum proficiscitur. Ex his.

CONSECTARIUM.

1. Nunquam licere ob commodum & utilitatem propriam privatamq; malum aliquod proximo optare; hoc enim meritò damnatum est ab Innocentio XI. in propositionibus 13. 14. 15. Etsi licitum sit gaudere de alicujus infirmitate, aut alia temporali ærumna, ut ad meliorem frugem redigatur, quia ordo charitatis præfert bonum spirituale temporali; Summa tamen vigilantia in his desideriis, quamvis inefficaci-

bus,

bus, opus eſt, ne ſub ſpecie boni ſpiritualis, aut communis, lateat privatæ vindictæ cupiditas. 2. Qui animo deliberato grave malum proximo imprecatur, grave crimen perpetrat, vg. si quis dicat, *infernus te devoret*, *mors te comprehendat* & similia. Qui has & similes cantilenas uſurpant, iræ impetum in excuſationem adhibere ſolent, verum hi peccatis peccata accumulant. Quod quandoq; ira rationem prævenire valeat; nullus dubitat, ſed & indubium eſt, quod iræ aſſentiri animo deliberato peccatum sit. Porrò tunc animo deliberato conſentientes homines cenſentur & ſunt, cum non illico iram cohibent, ſed repetitis actibus in eadem perſiſtunt, & in imprecationes frequenter labuntur. Neq; à gravi crimine ſemper excuſantur, quod non animo diſpositi sint, ut malum, quod imprecantur, eveniat; sicut pleriq; dicere ſolent, præſertim parentes, cùm libris maledicunt, ſed quod, ut iræ obſequantur, talia proferunt; peccant siquidem eo ipſo, quod deliberatè iræ conſentiunt. Dolent utiq; deferveſcente ira ſe talia protuliſſe, & hallucinantur ſe

non

non peccasse, propterea quod passi ne expleta, peccati sentiunt stimulos, quos habere nollent. Duo spectanda sunt, ut maledictionis gravitas deprehendatur; 1. damni magnitudo, quod sibi vel alteri quisq; imprecatur. 2. animi deliberatus assensus, ut docet S. *Thomas* hic 22. q. 76. a. 3. Videndum ergo qua animi deliberatione, quo scandalo, qua contumelia, quod mali genus proximo optetur. Hæc omnia spectanda sunt, ut maledictorum iniquitas expendatur. Quid autem dicendum sit de maledictionis genere, quæ in ipsas creaturas irrationales à multis contorqueri solet; hæc scribit Angelicus laudata q. a. 2. *Maledicere autem rebus irrationalibus, inquantum sunt creaturæ DEI, est peccatum blasphemiæ, maledicere autem eis, secundum se consideratis, est otiosum & vanum, & per consequens illicitum.*

§ 2.

De Acedia.

Petes. Quid sit acedia? *Resp. Est tristitia deliberata de bono spirituali, quod ad nos pertinet.* Dicitur *delibèrata*, ut se-

ſecernatur à tædio illo, quo affici ſolent vel pii homines, aut ob naturalem corporis habitudinem, aut ob dæmonis tentationem, DEIq; permiſſionem, cui si resiſtent, ferent cum tentatione proventum. *Quod ad nos pertinet;* quià cum triſtamur de bonis Divinis, prout DEI ſunt vg. de illius Majeſtate, ſanctificatione &c. odio DEI potius, quam acediâ peccamus. Si vero quempiam tædet Divinorum bonorum, quatenus nobis communia ſunt, ut si quis triſtitiâ afficiatur, quod sit filius DEI, æternæ gloriæ capax, Sanctorumq; concivis, is propriè acediâ delinquit. At si quis triſtatur de cæteris virtutibus, vg. de jejunio, paupertate, caſtitate & aliis, non peccat acediâ preſſè acceptâ, ſed generatim ſumptâ, quæ ad illius peccati ſpeciem revocatur, cujus eſſet omiſsio, nempè illius boni aut virtutis, quæ diſplicet. Vitium hoc mortale aut veniale eſt, ex diversitate materiæ, quæ triſtitiam parit. Acedia pugnat cum virtute charitatis, ejuſq; præcepto, de quo Apoſt. ad Philip. 4. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Paucis

rem

rem enucleat S. Thomas hic q. 35. a. 2. *Triſtitia*, ait, *qua quis triſtatur de bono ſpirituali, quod eſt in actibus ſingularum virtutum, non pertinet ad aliquod vitium ſpeciale, ſed ad omnia vitia. Sed triſtari de bono Divino, de quo charitas gaudet, pertinet ad ſpeciale vitium, quod acedia vocatur.*

CONSECTARIUM.

Acediam eſſe vitium capitale, prout definit S. Thomas q. cit. art. 4. quia ſex parit filias, quæ ſunt 1. *deſperatio*, qua quis diffidit de æterna beatitudine, ut ſibi impoſſibili; 2. *malitia*, qua DEI bona contemnuntur. 3. *Rancor* ſeu indignatio in eos, qui nos ad ſpiritualia & Divina bona hortantur. 4. *Puſillanimitas*, qua quis animum deſpondet, refugitq; ea exequi, quæ ad ſalutem, ducunt. 5. *Torpor*, qui languor quidam eſt adverſus præceptorum obſervantiam. 6. *Evagatio mentis* ad illicita, ad quæ nimium ſe diffundit. Vide S. *Thomam* loc. cit. ad 2.

§. III.

De vitio Invidiæ.

Invidia *eſt triſtitia de bono alieno apprehenſo,*

ſo, ac ſi eſset malum proprium, & propriæ gloriæ & excellentiæ infeſtum. Triſtitia dicitur, quia licet circa bonum verſetur, illud tamen ut malum ipſius invidentis apprehendit, quod inde ſuam decreſcere excellentiam cenſeat. *Additur de bono alieno*, quia triſtitia de bono proprio ut malo exiſtimato, non invidia eſt, ſed acedia nuncupatur. *Quatenus infeſtum eſt propriæ gloriæ*, quia triſtitia ob aliam rationem concepta non invidia, ſed vel odium, vel indignatio, aut quidpiam aliud eſt. Duplex invidiæ ſpecies. Altera, quæ triſtatur de bonis humanis proximi, nimirum de divitiis, dignitatibus, & ſimilibus, quæq; invidia humana nuncupatur. Altera, quæ triſtatur de bonis gratiæ alterius, vocaturq; invidia fraternæ gratiæ. Hæc, ait *Angelicus* hac parte q. 36. a. 4. ad 2. *ponitur peccatum in Spiritum ſanctum, quia per hanc invidentiam homo quodammodo invidet Spiritui S. qui in ſuis operibus glorificatur.*

CONSECTARIUM.

Invidia ſuâ naturâ eſt peccatum mortale; veniale effici poteſt, vel indelibe-

ratio-

ratione consensûs, vel materiæ parvitate. Est simul capitale peccatum, ut *Angelicus* mox laudata q. a. 4. docet quoniam ex illa alia proficiscuntur vitia, nimirum *odium*, *susurratio*, *detractio*, *exultatio in proximi calamitatibus*, & *afflictio in rebus prosperis*.

§. IV
De Discordia, Contentione & Schismate.

Petes 1. Quid est discordia?

Resp: *Est voluntatum dissensio à bono Divino & proximi, in quo convenire debent.* Opponitur concordiæ, quæ corda & voluntates simul unit. Est suo genere peccatum mortale, quare Spiritus S. Prov. 6. detestatur *eum, qui seminat inter fratres discordias*. Vide S. Thomam q. 37. a. 1.

Petes 2. Quid sit contentio? *Resp*: *Est verborum altercatio ad impugnandam veritatem*. Seu ut eam definit *Angelicus* q. 38. a. 1. Contentio *est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris*. Subdit vero: *Si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, sic contentio est laudabilis.*

CONSECTARIUM,

At acrimonia nunquam in perſonas, ſed in errores tota ſemper ſit, eo duntaxat fine, ut ſurdæ aures vellicentur paululum, & à ſopore excitentur; ac potiſſimum ut error magis magiſq; contemnatur. Summâ prudentiâ, ſummâ parſimoniâ opus eſt in hujus remedii uſu, ne limites ſatis anguſtos tranſiliamus. In ſcribendo potius, quam dicendo eſſe debet illius uſus; in mutua diſputatione & collocutione verba mitiſſima ſint, eorumq; prolatio temperata. In ſcripto uſus frequentior; ejuſmodi enim ſtylo ſalibus aſperſo uſi ſunt Patres Sancti, præſertim S. Hieronymus; ejus inter ſcribendum ſtylus purus & terſus eſt, & teſte Eraſmo lib: 5. Epiſt: 19. cum ipſo Cicerone certare videtur. Inter diſputandum fuit vehementis ac præſervidi ingenii, ſuoſq; adverſarios præſertim hæreticos acriter exagitavit, & Plautino ſale defricuit. Hinc Vigilantium, cujus impia dogmata, à modernis Sectariis reſuſcitata, impugnavit, appellat, *Dormitantium*, *Dœmoniacum*, *Cauponem*,

nem, Calaguritanum, Mutum Quintianum, virum libidini fræna permittentem, furiosum, Samaritanum, Judæum, Sacrilegum, Magistrum cerebrosum. &c. Quas in speciem acriores objurgationes S. Hieronymo non ira expressit, sed zelus pro Dei gloria, & fidei integritate justissime accensus. Unde ipse S. Doctor Epist: 53. ad Riparium ait: *fatebor tibi dolorem meum, sacrilegium tantum Vigilantii patienter audire non possum. Non est crudelitas pro DEO pietas.* Ejusmodi salibus abundat etiam S. Chrysostomi aureum os, in sermonibus ad populum; leguntur etiam apud Augustinum & Bernardum.

Petes 3. Quid est Schisma?

Resp: Est ab unitate Ecclesiæ deliberata separatio. Separatur autem quis ab Ecclesia, dum aut ejus membris communicare renuit, aut debitam Capiti obedientiam præstare recusat. Ex hoc.

CONSECTARIUM.

Non omnis quidem inobediens est schismaticus, ut patet, omnis tamen Schismaticus est inobediens. Schismaticus enim præter inobedientiam, contuma-

macem addit rebellionem, quâ ab Ecclesiæ communione recedit. Hinc etiam sequitur, quod omnis Hæreticus est Schismaticus; non tamen omnis Schismaticus eo ipso est Hæreticus; cum re ipsa consistere possit schisma absq; hæresi, ut contigit Sæculo XV. quando occasione trium Pontificum maximum schisma diu duravit. Porrò Schisma purum charitati & obedientiæ oppositum esset, si quis crederet unam sanctam Ecclesiam Catholicam sub visibili Capite Rom: Pontifice constitutam, omnesq: articulos fidei ab eadem propositos; superba tamen rebelliq; voluntate, nollet Papæ subesse, ejusq; obedire mandatis. Si vero primatum aut potestatem Summi Pontificis insuper negaret, hæreticus simul esset. Paucis: quamvis schisma & hæresis duo sint crimina distincta, & absolutè sejungi queant, vix tamen, ac ne vix quidem verum schisma reipsa sine aliqua hæresi reperitur, ut notat *Angelicus* hic q. 39. A. 1. ad 3. *Cæterum nullum Schisma est, quod non sibi aliquam hæresim confingat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Plura de gravissimo hoc scelere

ere scindente Ecclesiæ unitatem legatur Angelicus tota laudata quæstione 39.

§ V.
De Bello.

Cum bellum sit *conflictus multorum contra multos extraneos, vi & armis jussu Principium peractus. Conflictus multorum contra multos,* dicitur, ut secernatur à duello; & à rixa, quæ est pugna paucorum contra paucos. *Contra multos extraneos*, ut distinguatur à seditione, quæ fit inter homines ejusdem regni aut Provinciæ, invito Principe. Bellum aliud est *defensivum*, aliud *offensivum*, utrumq; servatis debitis conditionibus justum est, quidquid dicat cum Manichæis Lutherus, qui bellum adversus Turcas damnavit. Constat ex infinitis penè locis S. Scripturæ; absq; ulla reprehensione, imo jussu Dei bellarunt multi, quorum prælia narrant S. Paginæ veteris Testamenti, ut *Abrahami, Moysis, Josue, Judicum, Regum, Machabæorum.*

Petes: 1. Quæ requiruntur conditiones ad belli justitiam necessariæ?

Resp: *Angelicus* hac parte q. 40. tres assignat: Primo quidem requiritur *authoritas Principis cujus mandato bellum est gerendum. - - - Secundo requiritur causa justa ut scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. - - - Tertio requiritur, ut intentio bellantium sit recta, qua scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur*. Vi hujus ultimæ conditionis interdicta in bello est sævitia, crudelitas, fraus, religionis irreverentia, & alia hujusmodi.

Petes 2. Quæ notitia de belli justitia necessaria militibus est, ut parere Regi præcipienti bellum valeant?

Resp: Duo militum genera distinguenda sunt; alterum subditorum Regis bellantis, alterum alienigenarum. Milites alienigenæ antequam Regis exteri militiæ nomen dent, belli justitiam perspectam habere debent; isti enim cum liberi sint, nullo obediendi prætextu excusari valent; neq; executores sententiæ Regis sunt dicendi, sed potius ipsi

ipſi ſententiam ferunt, bellumq; indicunt, cum partes Regis bellatoris ſpontè ſuſcipiunt. Hi ergo rei evadunt omnium malorum, quæ bellum conſequuntur, obnoxii, nisi de juſtitia belli certi ſint. Milites autem ſubditi Regis bellum inferentis ut ſint immunes à culpa, ſatis eſt, ut ipſis bellum probabile appareat; probabile verò illis eſt, quoties non conſtat de injuſtitia. Præſumere quippe iſti debent proprium Regem non niſi juſta bella gerere. Executores hi ſunt ſententiæ à Rege latæ; illorum ergo minime intereſt ſententiam in examen revocare, alioquin univerſa imperandi & regendi fundamenta ſubmoverentur.

§ VI.

De Rixa, Seditione & Duello.

Hæc tria magnam cum bello vicinitatem habent; quarè *Angelicus* rixam definiens, eam appellat bellum privatum, *quod inter privatas perſonas agitur, non ex aliqua publica authoritate, ſed magis ex inordinata voluntate; & ideo*

rixa

rixa semper importat peccatum, intellige respectu aggressoris, nam in eo, qui se defendit, nullum erit, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Rixa filia iræ est, ait *Angelicus* q. 41. a. 2.

Seditio *est tumultus ad pugnam unius partis Reipublicæ contra aliam*. Si sit contra principem, est rebellio à pura seditione sejuncta. Rebellio quippè subjectionem & obedientiam Principi debitam excutit omnem; seditio verò servatâ Principi obedientiâ contra Ministros & principatus partem arma stringit.

Duellum est pugna singularis ab utraq; parte ex condicto acceptata, loco & tempore assignato cum periculo occisionis, aut gravis vulneris. Ex eo, quod pugna sit singularis à bello distinguitur; duellum est singulare certamen præsertim inter duos. *Dicitur ex condicto*, id est, mutuo inito pactô ad pugnam tali loco, & tempore ineundam. Non est duellum, si tempus tantum, aut locus solum, non assignato tempore pugnæ, indicatur. Quare pugnæ subita irâ ortæ, tam-

etsi

etsi mutuo pugnantes se percutiant, non sunt duellum, v. g. si quis ob exortas inimicitias dicat inimico: *in platea te expecto, ut pugnemus*, tempore non definito; aut contra: *vespere tecum præliabor, ubicunq; te obvium habuero.* Econtra si diceret: *sume arma, hic in platea, statim pugnemus*, duellum est tempore præsenti & loco designatis. Dicitur *cum periculo occisionis aut gravis vulneris.* Quoniam si certamen sit absq; ullo periculo vulneris, aut occisionis, sed ad vires exercendas, aut pugnis se se tundendos, duellum non est, quia non est peractum armis aut instrumentis sua naturâ aptis ad occisionem. E contra duellum est, si quis alterum provocat, aut provocationem acceptat, loco & tempore ad pugnam designatis, non animô se lædendi, sed honoris defendendi motivô, etiam sub morali certitudine, quod nullum indè damnum sit secuturum, eo quod amici se se interponent, ad mutuam pacem conciliandam; omnia namq; adsunt, quæ ad verum duellum requiruntur, & sine causa

ſa ſe tales duellum nolle interius comminiſcuntur. Tale etiam duellum ſcandalum parit, & eſt lege naturali prohibitum, & ab Eccleſia vetitum

Pænæ graves conſtitutæ ſunt in provocantes & acceptantes duellum, ad illudq; cooperantes. 1. Concilium Trident: ſeſſ: 25. cap: 19. excommunicationis pænam inurit Dominis, qui locum ad duellum committendum inter Chriſtianos conceſſerint. 2. Qui pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac bonorum omnium proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pænam incurrunt, & ut homicidæ juxta ſacros Canones puniri debent, atq; ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò Eccleſiaſtica careant ſepultura. 3. Etiam, qui conſilium in cauſa duelli tam in jure, quam in facto dederint, aut alia ratione ad id quidquam ſuaſerint, aut ſpectatores fuerint, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo ſubjiciuntur. Pius IV. in *motu proprio* edito anno 1560, eandem excommunicationem indixit, eamq;

eamq; extendit ad duellum privatum, ſicut & Gregorius XIII. Clemens vero VIII. anno 1592. præſatam excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervavit, decrevitq; incurri à provocantibus, etiam pugnâ non ſecuta. Et anno 1602. Regularibus privilegiatis facultatem quoq; ademit abſolvendi ab hac cenſura intra Italiam. Hinc Regulares privilegiati à duello abſolvere poſſunt in his locis, ſcilicet extra Italiam ſicut ab aliis caſibus extra Bullam cænæ, ſervatis tamen de jure ſervandis conditionibus, uti latius dicetur in Tractatu de Pænitentia, ubi Decretum S. Congregationis ſub Urbano VIII. hac de re editum, adferemus, Deo T. O. M. adjuvante.

Epilogus.

Ad te, chariſſime Diſcipule, à quo exordium ſumpſit, revertatur oratio mea; fidei Catholicæ veritatem & ſinceritatem brevi compendio complexus ſum; regulas, ad quas continuò reſpicere debeas, ante oculos tibi poſui hoc

fine

fine, ne unquam terminos, quos posuerunt Patres nostri, transgrediaris. Lumen fidei tibi semper affulgeat, sic in via Domini currendo nullum patieris offendiculum. Sed quia non tibi soli, verum etiam aliorum commodo vivis, hoc ipsum lumen fidei aliis instillare cures, est necesse; hoc ut praestes fidem spei junctam, ac à charitate Dei & proximi formatam habeas. Si enim verborum ratiocinio, argumentorum efficacia incredulos in Christi obsequium subigere ac captivare non poteris, morum innocentiâ, virtutum ac operum sanctitate illorum animos emollire, religiosaq; humilitate eorum supercilium devincire studebis.

Rationem saltem ab omnibus non requiret supremus Judex Christus Jesus, quod ad veram fidem incredulos non reduxerint, sed in omnes, praesertim eos, quos in lucem populorum posuit, severissime adimadvertet, si pravo exemplo suo ansam eis dederint, ut in incredulitate persistant; ut scitè ad hanc rem S. Chrysostomus ait: *En*

nos

nos ſumus cauſa, ut illi in errore permaneant. Jam pridem doctrinam ſuam damnaſſent, & noſtram approbaſſent, niſi vitâ noſtrâ retraherentur. Verbis Philoſophari perfacile, ſed inquirunt operum probationem. Itaq; horum nos pœnas dabimus, non ſolum eorum, quæ ipſi commiſimus, ſed quorum auctores fuimus, ut nomen Dei blasphemetur.

Porro ut incredulorum oculis fulgeat morum noſtrorum candor, ut vitæ noſtræ integritas illorum animos permoveat, altius hæreat mentibus noſtris Divinæ Majeſtatis præſentia, fide genita, ſpe nutrita, charitate roborata. Recogita fidem tuam annulum pretioſiſſimum eſſe, quo animæ tuæ cum Deo ſponſalia obſignantur fides tua ſecretiora Dei arcana reſerat, tibiq; communicat, quod ultimum eſt amicitiæ argumentum, quod credentium Patri Abrahamo Deus oſtenſum voluit dicens: *ambula coram me*, tanquam amicus in mea præſentia; & *eſto perfectus*. Erige animum, exere vires, & conatus omnes, ut Deum, quem præſentem fide credis, ſpe aſſequaris, dicaſq;

dicaſq; cum Bernardo: *Tu Domine una es omnium laborum, ac moleſtiarum mearum ſpes; tu cogitationum operumq; finis; tu principium ac meta totius vitæ meæ.* Ad hanc propoſitam ſpem, ſeu ad tutam & firmiſſimam anchoram confugere te oportet. Faceſſant ſpes vanæ, miſeræ, incertæ, quæ corda noſtra ſaturare nequeunt, & in ſolo Deo ſit ſpes noſtra, quia ille ſolus implere cor noſtrum poteſt, ille ſolus non deſerit ſperantes in ſe. Charitate præſentia Dei mirifice roboratur, præterquam enim quod amans non ſolum eſt coram, ſed in ipſo amato; amor iſte charitatis omnia noſtra ſibi vindicat, & in omnes dominatur affectiones noſtras. Charitatis iſtius vis eſt & efficacia, ut univerſalem legis obſervantiam exequatur. Eadem charitate Deum, nos & proximos complectimur mirabili ſervato ordine. Mutuo ſeſe amores iſti pariunt, mutuo nutricuntur, mutuo flammas augent, mutuo propriam conſervant vitam, nec alter ſine altero vivere poteſt. Sic in præſentia Dei conſtitu-

ſtitu-

ſtitutus frequentatis vocibus dicas ſicut ore ita corde cum Eccleſia Catholica: *Da nobis fidei, ſpei & charitatis augmentum, & ut mereamur aſſequi quod promittis; fac nos amare quod præcipis,* qui nos gratis ſalvaſti per fidem. *Ad Ephes:* 1. in quo per ſpem ſanctificamus nos. 1. *Joan:* 3. qui charitas eſt, & qui in charitate manet in te manet, & tu in eo. 1. *Joan:* 4.

Ad M. D. Gloriam.



DE

rint 1

redig

n Chri

fund

ortuna

tivita

& fid

ad q

onvere

fidem

onfess

aro &

, hanc

ac natu

non e

cælis

commu

paucos

morib

cos dif

igitur

ons? N


m aliqu

athe ita

Verbis 1

ern. 1

fime di



...m Apost: 2. ...
deles *in captivitat*...
tellectum in obsequi...
fides nost... 1. ...
hominum. 2. im...
necessaria esset ca...
obsequium Chris...&
crederent fideles ...
tione naturali ...
Christus laudatu...
Filium Dei vivi...
fuit confitenti: ...
velavit tibi (hoc est, ...
fessionis lumine ...
intellectûs Petre no...
Pate...eus, qui in ...

Prob. ... ex con...
trum missis ...iis, pa...
gustinus lib. 1. de m...
2. contra h...et co...
do arguit: *U...de ig*...
thoritate an a ...
do se habet ut ...
onem p...at ...
Serm. 51. de Ver...
tione . nova Ser...
des enim ...